Meletemata mathematico-philosophica cum erudito orbe literarum commercio communicata / Quibus accedunt dissertationes variae ejusdem argumenti, et complura omnis eruditionis alia hinc illinc disperse obvia.

Contributors

Wolff, Christian, Freiherr von, 1679-1754

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : In bibliopoleo Rengeriano, 1755.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kqxukrpn

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

55101/B

34046

34046

CHRISTIANI L. B. DE WOLF

POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS CONSILIARII INTIMI FRIDERICIANÆ CANCELLARII ET SENIORIS, JURIS NATURÆ ET GENTIUM ATQUE MATHESEOS PROFESSORIS ORDINARII, PROFESSORIS PETROPOLITANI HONORARII, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM PARISINÆ, LONDINENSIS AC BORUSSICÆ ET INSTITUTI BONONIENSIS MEMBRI

MELETEMATA

MATHEMATICO-PHILOSOPHICA

CUM

ERUDITO ORBE LITERARUM COMMERCIO

COMMUNICATA.

QUIBUS ACCEDUNT

DISSERTATIONES

VARIÆ EJUSDEM ARGUMENTI

ET

COMPLURA

OMNIS ERUDITIONIS ALIA

HINC ILLINC DISPERSE OBVIA.

HALÆ MAGDEBURGICÆ

IN BIBLIOPOLEO RENGERIANO

MDCCLV.

9ª 11.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DISSERTATIONES

LECTORI BENEVOLO.

editationes, quas perillustris WOLFIUS societatibus rei litterariæ dijudicandas tradidit, tanto semper in pretio habitæ sunt, ut jam diu multi optaverint, easdem cum aliis ejusdem generis lucubrationibus, ob argumentorum copiam & selectum, in unum volumen tandem collectas redigi. Ut igitur huic exspectationi satisfiat, B. AUTORE die 9 Aprilis anni superioris pie defuncto, præconia vitæ ejus et scriptorum ab ipso editorum denuo urgent, præsertim cum ipso vitam ad-

huc degente, jam celeberrimi viri, LUDOVICI, HARTMAN, BAUMEISTER ceteri, ſigillatim recenſendo, quæ ipſe publici juris fecerat, huic inſtituto occaſionem ſubminiſtraverint. Exhibentur ergo præſenti volumine duo libri, quorum alter lingua vernacula, alter latina conſcriptus eſt, prout ex ipſius AUTORIS calamo profluxerunt. Traduntur in iis ea, quorum nullum fere uspiam exſtat veſtigium, & ſi qua forte adhuc obvia fuerint, ea tamen ſparſim hinc et illinc deliteſcunt. Ex quibus proinde apparebit, quo ſucceſſu B. AUTOR ab anno 1703 usque ad extremum vitæ ſuæ halitum, adeoque ultra quinquaginta annos indefeſſa diligentia, ſi quotidianis negotiis vacaverit, horis ſubſecivis, anniſus ſit eruditionem locupletare atque exornare. Ut de conatibus ejus, quibus jam adoleſcens condiſcipulis ſuis aliisque conſulere ſtuduerit, taceamus. Neque recenſiones plurimorum librorum, quos alii evulgaverant, in Actis, præſertim Lipſienſibus, exſtantes, quæ jamdiu oblivione deletæ ſunt, niſi quod multa dijudicatu et intellectu ardua AUTOREM tanto huic oneri parem prodant, commemorabimus.

Quæ

Quæ ſectionem primam noſtræ collectionis ſequuntur, et gravitate et varietate et jucunditate thematum ſeſe commendant; nec Lectorem pœnitebit exinde cognoviſſe, qua via AUTOR piæ memoriæ pedetentim ad interiores veritates receſſus penetraverit. Singulorum capitum themata, quæ hic docentur, conſpectus generalis huic volumini præfixus objiciet luſtranda, quibus n. 38 ſect. I examen rationum ab AUTORE nunquam in lucem editum, Johannis Cevæ contra inductionem fluminis Rheni in Padum, in gratiam eorum accedit, quorum intereſt, rem hydraulicam altius inſpicere; cum non conſtet, quare defenſionem ſententiæ ab acutiſſimo MANFREDO ſtatutæ ad finem non perduxerit. Plura præſtantiſſimarum veritatum ſpecimina, ad rem mathematicam et philoſophicam ſpectantia, ex commercio epiſtolico B. Defuncti cum variis eruditis, in dictis ſcientiis facile principibus, propediem typis excudenda curabimus.

FIGURARUM PAGINAS
in ſectione I et II evolvendas eſſe monemus.

CONSPECTUS MATERIARUM VARIARUM IN HOC LIBRO SECUNDUM NUMEROS ET PAGINAS CONSCRIPTUS.

SECTIO I.

MEDITATIONES WOLFIANÆ

AD VARIAS ERUDITORUM EUROPÆ SOCIETATES MISSÆ.

Num. I.
Eclipsis solis d. XII. Maji MDCCVI. in diversis Germaniæ locis observata pag. 3

Num. II.
Methodus demonstrandi veritatem religionis christianæ. 1707. pag. 5

Num.

Num. III.

C. W. Schediasma de inveniendo sinu anguli multipli ex dato sinu simpli. 1707. pag. 8

Num. IV.

Solutio nonnullarum difficultatum circa mentem humanam obviarum, ubi simul agitur de origine notionum & facultate ratiocinandi. 1707. 11

Num. V.

Leges experientiarum fundamentales, exhibitæ a C. WOLFIO. 1708. 18

Num. VI.

Dubium geometricum circa Tetragonismum circuli, almæ Geometriæ acutissimis cultoribus propositum a FERDINANDO ERNESTO Comite ab HERBERSTEIN. 1708. 22

Solutio dubii geometrici ab Illustrissimo Comite ab HERBERSTEIN propositi, excerpta ex litteris C. WOLFII ad N. - - datis. 1708.

Ulterior expositio, sive declaratio dubii geometrici circa Tetragonismum circuli, almæ Geometriæ cultoribus a FERDIN. ERNESTO Comite ab HERBERSTEIN propositi. (conf. Num. XXIV.). 23

Num. VII.

Descriptio meteori igniti die XI. Septembris 1708. Halæ Saxonum alibique visi. 24

Num. VIII.

Aërometriæ elementa, in quibus aliquot Aëris vires ac proprietates iuxta methodum Geometrarum demonstrantur; auctore CHRISTIANO WOLFIO, in academia regia Fridericiana Mathematum Professore. 1709. pag. 26

Num. IX.

De productione luminis per attritum; excerpta ex transactionibus Anglicanis A. 1706. & 1707. Num. 307. 308. & 310. p. 2277. seqq. 33

2) Phænomenon, quod sole occidente apparuit. 1709.

Num. X.

Experimenta nonnulla de coloribus per confusionem diversorum fluidorum producendis, exhibita a CHRISTIANO WOLFIO. 1709. 35

Num. XI.

JOHANNIS KEILL, A. M. ex Æde Christi in Academia Oxonienſi, Epistola ad Clarissimum Virum CHRISTIANUM WOLFIUM, in academia regia Fridericiana Mathematum Professorem. 1709. 37

Num. XII. a.

C. W. Responsio ad epistolam Viri Clarissimi JOHANNIS KEILL, A. M. ex Æde Christi in Academia Oxonienſi & Reg. Societ. Socii. 1709. 41

Num. XII. b.

Monitum circa experimentum de circulatione Aëris per poros ligni, ex Elementis Aërometriæ in Acta Lond. A. 1709. Mens. Jan. p. 28. translatum. 44

Num. XIII.

Communicatio litterarum de mira metamorphosi ligni in mineram ferri per experimenta comprobata a JOH. GEORGIO LIEBKNECHT, Mathematum in Acad. Giessenſi Professore; qui

qui ibidem teſtatur, translatum eſſe hoc ſchediaſma in diarium Londinenſe, Memoirs of Literature dicto, die 27. Novembris 1718. pag. 45

Num. XIV.

Phænomenon diabetis antea non obſervatum. 1710. 47

Num. XV.

CHRISTIANI WOLFII, in academia Fridericiana Mathematum Profeſſoris regii, ſolutio dubiorum aërometricorum in diario Trevoltienſi A. 1710. art. 48. p. 588 & ſeqq. propoſitorum. 1711. 48

Num. XVI.

Novum lampadis genus, inventum a CHRISTIANO WOLFIO, in acad. Fridericiana Mathematum Profeſſore regio. 1711. 51

Num. XVII.

Defenſio virium in corporibus exiſtentium (a STURMIO & LEIBNITIO aſſertarum) contra nuperas objectiones. 1711. 53

Num. XVIII.

C. W. objectiones contra novam definitionem motus in diario eruditorum Pariſino exhibitam. 1711. 57

Num. XIX.

Experimentum coagulationis extraordinariæ, ex diarii Trevoltienſis Anni 1711. Art. 174. p. 2120. excerptum, a B. AUTORE communicatum 59

Num. XX.

Reſponſio ad imputationes JOHANNIS FREINDII in transactionibus Anglicanis Num. 331. p. 330. & ſeqq. 1711. 60

Num. XXI.

Relatio de novo barometrorum & thermometrorum concordantium genere (FARENHEITI) 1714. pag. 67

Num. XXII.

Examen corollarii tertii ad propoſitionem ſeptimam tractatus de quadratura circuli & hyperbolæ per infinitas parabolas & hyperbolas geometrice exhibita a R. P. D. GUIDONE GRANDO, Magni Hetruriæ Ducis Theologo & Mathematico ac Philoſ. Prof. in academia Piſana, in quo corollario quantitatem ex infinitis nullitatibus componi, ſtatuitur. 1715. 69

Num. XXIII.

Nova litteraria mathematica, de perpetuo mobili, longitudine maris & quadratura circuli. 1715. 73

Num. XXIV.

C. WOLFII meditatio de ſimilitudine figurarum, præſertim curvilinearum & conſtructione lunularum cyclico-parabolicarum ſimilium datamque inter ſe rationem habentium. 1715. 76

Num. XXV.

Regula nova inveniendi logarithmum ſummæ vel differentiæ duorum numerorum ſive rationalium ſive irrationalium, tam integrorum, quam fractorum, itemque potentiarum eorundem ſive ſimilium ſive diſſimilium, reperta a CHRISTIANO WOLFIO. 1715. 81

Num. XXVI.

Eclipſis ſolis anno MDCCXV. die 3. Maji ante meridiem obſervata Vratislaviæ in academia Leopoldina Soc. Jeſu, quan-

quantum nubes ſubinde intervenientes patiebantur, a P. CHRISTOPHORO HEINRICH, Soc. Jeſu & Theolog & Mathem. Profeſſore. Excerpta ex litteris ad Cl. WOLFIUM datis. pag. 85

Num. XXVII.

Regula nova eaque univerſalis inveniendi differentiam potentiarum duarum quarumcunque, ſed ejusdem gradus, quarum radices ſive unitate, ſive quocunque numero alio differunt, reperta a CHRISTIANO WOLFIO. 1715. 86

Num. XXVIII.

Epiſtola pro eminente Mathematico Dn. JOANNE BERNOULLIO, contra quendam ex Anglia Antagoniſtam ſcripta. 1716. 89

Num. XXIX.

Explicatio phænomeni inſoliti, quod d. 17. Mart. poſt ſeptimam veſpertinam Halæ Saxonum & alibi obſervatum. 1716. 107

Num. XXX.

C. WOLFII Theoremata geometrica nova, quibus omnium parabolarum, hyperbolarum & Ciſſoidum in infinitum, aliarumque innumerarum curvarum deſcriptiones ſimpliciſſimæ continentur. 1717. 113

Num. XXXI.

Notanda circa theoriam colorum Newtonianam. 1717. 118

Num. XXXII.

Elogium GODOFREDI GVILIELMI BEIBNITII. 1717. 120

Num. XXXIII.

Notitia de hiſtoria Brunſuicenſi, quam edere paraverat G. G. LEIBNITIUS. pag. 137

Num. XXXIV.

Ratio prælectionum Wolfianarum in Matheſin & Philoſophiam univerſam. Halae 1718. 138

Num. XXXV.

De differentia nexus rerum ſapientis & fatalis neceſſitatis, nec non harmoniæ præſtabilitæ & hypotheſium SPINOSÆ luculenta commentatio, in qua ſimul genuina Dei exiſtentiam demonſtrandi ratio expenditur & multa religionis naturalis capita illuſtrantur; autore CHRISTIANO WOLFIO, 1723. 143

Monitum ad commentationem iſtam, quo nonnulla ſublimia Metaphyſicæ ac Theologiæ naturalis capita illuſtrantur; AUTORE eodem 144

Num. XXXVI.

Principia dynamica (ad Petropolitanam academiam miſſa), autore CHRISTIANO WOLFIO. 1726. 151

Num. XXXVII.

C. W monitum de ſua philoſophandi ratione, inſerviens loco reſponſionis ad ea, quæ occaſione operis ſui logici non nemo monuit in Actis Eruditorum anni 1728. p. 474. 167

Num. XXXVIII.

Examen rationum DOMINICI JOANNIS CEVÆ, contra introductionem Rheni in Padum magnum, huic editioni noviter accedens, nec antea publici juris factum. 173

CONSPECTUS

SECTIO II.

DISSERTATIONES

QUAS

PERILLUSTRIS AUTOR

PRO CATHEDRA

DEFENDIT.

Num. I.

Philosophia practica universalis, mathethematica methodo conscripta, A. O. R. MDCCIII. d. 12. Januarii Eruditorum disquisitioni submissa a M. CHRISTIANO WOLFIO, Vratislaviensi, & Respondente LAURENTIO DAVIDE BOLLHAGEN, Starg. Pom. pag. 188

Num. II.

Dissertatio prior de *Rotis Dentatis*, quam pro Loco in Facultate philosophica obtinendo, d. xx Octob. MDCCIII. publice ventilandam proponit M. CHRISTIANUS WOLFIUS, Vratislaviensis. (de continuata non constat) 223

Num. III.

Disquisitio philosophica de *Loquela*, A. O. R. MDCCIII. die 20. Decembris, sub Præsidio Dn. M. CHRISTIANI WOLFII, Vratislaviensis, Resp. JOHANNES JUSTUS GRAVIUS, Sangenberga - Hassus Casselan. Philos, & Medic. studiosus pag. 244

Num. IV.

Dissertatio algebraica de *Algorithmo infinitesimali differentiali*, quam in Academia Lipsiensi pro Loco in eodem obtinendo postrema vice disputaturus d. xx. Decembr. A. O. R. MDCCIV. submittet M. CHRISTIANUS WOLFIUS, Vratislaviensis. 267

Num. V.

Methodus *serierum infinitarum*, d. 23. Dec. 1705. præside M CHRISTIANO WOLFIO, Resp. JUSTUS GOTTHARD RABENER, Lipsi. 290

Num. VI.

Consideratio physico-mathematica hiemis proxime præterlapsæ, 1709. d. 13. Jun. 320

Num. VII.

Examen systematis solium dimidiatorum, 1725. d. 28. April. 363

Num. VIII.

Theses philosophicæ WOLFII promotoris 5. magistrorum, d. 13. Aug. 1727. 374

SECTIO

MATERIARUM.

SECTIO III.

SCRIPTURAS WOLFIANAS VARII ARGUMENTI

CONTINENS

VELUT

PROGRAMMATA, ORATIONES EPISTOLAS, PRÆFATIONES.

Num. I.

CHRISTIANUS WOLFIUS, Mathematum Prof. Publ. & Ordinar. lectiones proxime inchoandas intimat. 1707. per progr. de incrementis philosophiæ novioribus agens. pag. 3

Num. II.

CHRISTIANI WOLFII, Mathematum Professs. P. & O. epistola gratulatoria (in qua vera philosophiæ mechanicæ notio explicatur) ad SIMONEM DANIELEM TITIUM, pro Doctoris gradu publice disputantem 1710. 15

Num. III.

De propositionibus identicis, principio individuationis. Litteræ mutuæ KOCHII & AUTORIS. 19

Num. IV.

CHRISTIANI WOLFII, Consil. Aulici Hassiaci, Mathematum ac Philosophiæ Professoris Primarii in academia Marburgensi, Professoris honorarii in Acad. Scient. Petropolitana, Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodalis, Oratio de *Sinarum Philosophia practica*, in solemni panegyri recitata, cum in ipso Academiæ Halensis natali 28. d. 12. Julii A. O. R. 1721. fasces prorectorales successori traderet, notis uberioribus illustrata. pag. 22

Num. V.

Epistola gratulatoria ad CONR. HENR. MENSCHING, Hannoveranum, dissertationi THÜMIGII, de *immortalitate animæ*, adjuncta. 1721 127

Num. VI.

Epistola gratulatoria ad GEORG. FRID. UNRUHE, Respondentem dissertationis Thümigianæ, qua phænomenon *solis* cœlo sereno *pallescentis* 1721. d. 1. Jun. evolvitur. Meditationes de portentis. 128

Num. VII.

Epiſtola gratulatoria ad JOH. ULRICUM CRAMERUM, Jur. U. & Phil. D. Profeſſorem Publicum Ordinarium in academia Marburgenſi, qua diſquiritur: Num utile ſit *artem inveniendi* in ſyſtema redigi. Autore CHRISTIANO WOLFIO. 1733. pag. 130

Num. VIII.

Præfatio phyſicæ electivæ JOH. CHRISTOPH. STURMII Tomi II. anno 1722. a Perilluſtri WOLFIO addita. De incrementis Matheſeos et phyſices. 140

Num. IX.

Præf. ad CRAMERI Tr. de renunciatione filiæ nobilis. De uſu demonſtr. in iurisprud. 147

Num. X.

Præfatio ad GROTIUM, de *Jure belli & pacis*, 1734. De uſu hujus libri. 153

Num. XI.

Præfatio ad libellum Augſpurgi de dominio, agens de certitudine juris poſitivi obtinenda 162

Num. XII.

Præf. ad STIBRITZII compendium Philoſophiæ Wolfianæ. pag. 167

Num. XIII.

Præf. ad BERNSAVII Theol. dogmat. 1745. De uſu demonſtrationum in Theologia. 169

Num. XIV.

Progr. de neceſſitate methodi ſcientificæ 173

Num. XV.

Præf. Catalogi librorum LUDEWIGII, de vita et meritis eiusdem. 197

Num. XVI.

Præf. ad LEIBNITII methodum diſcendi Jurisprudentiam. De ſententiis LEIBNITII, quas poſtea mutavit. 203

Num. XVII.

Præf. ad BERTLINGII Theol. moralem. De differentia rationis et revelationis. 207

SECTIO

SECTIO I.

MEDITATIONES WOLFIANÆ,

AD

VARIAS ERUDITORUM EUROPÆ SOCIETATES

MISSÆ.

SECTIO I.

MEDITATIONES

WOLFIANÆ,

AD

VARIAS ERUDITORUM

EUROPÆ SOCIETATES

MISSÆ.

Num. I.

Eclipſis ſolis d. XII. Maji MDCCVI. in diverſis Germaniæ locis obſervata.

Qualis Lipſiæ, Ienæ, Berolini apparuerit:

Phænomenon hoc, in terris noſtris rariſſimum, cœlo vndique ſudo, non ſine voluptate conſpiciendum ſe præbuit. Initium occultationis hic Lipſiæ circa primum quadrantem horæ decimæ, maxima obſcuratio h. x. 25′ 20″, finis h. XI. 35′ 45″ notata fuere, ipſumque adeo deliquium h. 2. 21′. duravit, ſub medium eius vix triente digiti Solaris diſci a defectu immuni: quo tempore ♀ prope Solem & 24 Orientem verſus clariſſime nobis conſpecti fuere. Sunt quibus & ♄ atque ☿ viſi perhibentur, cum pluribus fixis primæ magnitudinis. Ambibat Lunam annulus fulgens, limbo ejus parallelus, obverſa Lunæ parte denſior, averſa rarior, exacta tamen peripheria terminatus, a parte Solis lucida ſupra illum verſus zenith prominente accurate diſtinguendus. Splendor ejus quaſi argenteus, minor tamen quam ab occultatione immunis diſci Solaris particulæ. Margo Lunæ inſtar nubeculæ pallebat, nigredine

gredine medium disci occupante. Prope horizontem occiduum nebulæ veluti cooriebantur, cœlumque rubebat.

Eandem Eclipsin Ienæ accuratissime observans Clarissimus Professor Hambergerus, notavit initium h. IX. 11′ 40″; medium h. X. 21′ 59″; finem h. XI. 32′ 18″; magnitudinem $11\frac{5}{6}$ digitorum; integram durationem h. II. 20′ 38″. Maxima cum esset obscuratio, Venerem vidit, Iovem atque Capellam, tenebris adeo invalescentibus, ut ad dignoscenda in Horologio Oscillatorio ad fenestram collocato minuta & secunda horaria, candela accensa opus esset.

Berolini initium fuisse h. IX. 24′, finem h. XI. 45′, & defectum ad $11\frac{7}{8}$ dig. excrevisse accepimus.

Vratislaviæ in Collegio Academico Soc. Iesu a R. P. Christophoro Heinrich, Prof. Theolog. & Mathem. sequentia annotata sunt.

Initium erat	h. IX.	39′.	40″.
Totalis obscurationis initium	X.	49.	—.
Medium	X.	49.	30.
Lucis initium	X.	50.	—.
Finis totius Eclipseos	XII.	2.	20.
Mora totalis obscurationis	—.	1.	—.
Duratio Eclipsis ab initio ad finem	II.	22.	40.

Punctum ultimi exitus a Sole distabat a puncto verticali Solis Orientem versus 56° -20′.

Diameter Lunæ excedebat Diametrum Solis minimum 15′ Diametri Solaris.

Tempore totalis obscurationis stellæ complures libero oculo visæ, etiam duæ prope Solem. Lunam circulus dubiæ lucis ambibat, Halonis instar. Simul apparebat inæqualitas superficiei Lunaris; sed præcipue sub initium luminis distinguebantur, in effigie per telescopium in chartam albam projecta, montes & valles Lunares, intermicantibus Solis particulis.

Hora 10, 6′ 30″ obscuratis in Sole digit. 5, speculum Parabolicum diam. 3 ped. adhuc inflammavit lignum siccum: quod haud amplius præstitit h. 10. 18′ 20″ obscuratis 7 digitis.

Hora

Hora 10 35′ 30″ obſcuratis 10 digitis adhuc tantiſper adusſit pannum.

Hor. 10 42′ 0″ obſcuratis 11 digitis nec fomitem amplius accendit.

Lens uſtoria diam. $9\frac{1}{2}$ pollic. poſt obſcuratos dig. 9 h. 10. 30′ adhuc aduſſit pannum: obumbratis vero 10 digitis nec fomitem quidem.

Cœlum omni hoc tempore fuit admodum ſerenum.

Num. II.

Chriſtiani Wolfii, Mathemat. Prof. in Acad. Frider. Methodus demonſtrandi veritatem Religionis Chriſtianæ. 1707.

Methodum Wolfianam differre a Wittiana.
Illius expoſitio & ſeries.
Evidentiæ fundamentum.
Hypotheſis, theſis.
Nexus cogitationum.
Demonſtrationes in meditatione rerum divinarum (conf. Horæ Marburg. 1731.

Cum viri Clariſſimi, Iohannis Witty, vindicationem expoſitionis vulgaris hiſtoriæ Moſaicæ de creatione mundi perlegerem, placuit methodus, qua in demonſtranda Scripturæ ſacræ, conſequenter religionis chriſtianæ (veritate) utitur. Utut vero eadem in generalibus cum mea methodo convenire videatur, viris judicio præditis, cum quibus eam communicavi, non improbata, in plurimis tamen ab ea diſſidet. Mea enim methodus rigorem demonſtrandi geometricam conſtanter obſervat, & ab iis, quæ mihi hactenus innotuere, prorſus diverſa exiſtit. Quamobrem quia noſtro inprimis ævo methodus demonſtrativa evincendi veritatem religionis chriſtianæ multam habitura utilitatem non temere præſumitur; veritatis tanti momenti certo cognoſcendæ ardore flagrantibus non ingratum fore arbitror, ſi generalia meditationum mearum circa illam capita cum publico communicavero.

Tota autem methodus huc redit. I. Evinco, exiſtere Ens, cui competunt omnes realitates in gradu abſolute ſummo. 2. Demonſtro,

monſtro, hoc ens eſſe a mundo ſeu machina hujus univerſi diverſum. 3. Inquiro in finem, propter quem machinam hanc ſtupendam cum creaturis intelligentibus produxerit Deus. 4. Ab hoc fine ex perfectionibus divinis antea erutis deduco leges, juxta quas creaturæ rationales actiones ſuas ex intentione divina dirigere debent, derivo. 5. Legum harum cum perfectionibus divinis collatio conditionem prodit, in qua a Deo produci debuit homo. 6. Conditio hæc cum præſente, in qua vivit, comparata utriusque diſparitatem manifeſtat. 7. Ex natura igitur Dei ulterius deduco, præſentis conditionis autorem non eſſe Deum, ſed ipſum potius eandem averſari, nec 8. vanum eſſe de miſeria majore minimum menti a morte corporis ſubeunda metum evidenter oſtendo. 9. Huc ibi perveni, concludo, aut Deum nos velle liberare ex præſente miſeria, aut non velle. Quodſi velit, neceſſariam eſſe aliquam revelationem immediatam, ſtabilio. 10. Immediatæ hujus revelationis criteria cum antecedentibus neceſſarium nexum habentia eaque prorſus infallibilia ſuppedito. Tandem 11. eadem ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum competere, indubie evinco.

Enimvero ut appareat, quam evidentiam in demonſtrationibus meis conſeruem & quomodo conſeruem, quædam ſpecialius ſunt ediſſerenda. Scilicet ne multa mihi de natura veritatis ac evidentiæ diſputanda ſint, omnia ad eum evidentiæ gradum revoco, quo nititur exiſtentiæ Mentis propriæ cognitio. Normam gradui huic æſtimando conducentem ita reperio. Cum intime percipiam, me eſſe mei conſcium, nihil autem dicam, cui nulla competit realitas; me non eſſe nihilum, ſed aliquid eo ipſo momento, quo me mei conſcium percipio, actu præſens infero. Ecce tibi duas in mente mea de ipſa cogitationes: alteram, quod ſit ſui conſcia; alteram, quod ſit aliquid eo momento, quo ſui conſcia eſt, actu præſens. Has duas cogitationes tam neceſſario nexu cohærere deprehendo, ut mens ad eas divellendas omnibus viribus nitens inanem operam ſumat. Admiſſa enim priore, mentem eſſe hoc momento ſui conſciam, alterius contradictoriam, eſſe nempe eam eo ipſo momento nihil, locum habere non poſſe reperio. Inde concludo, in propoſitione evidente duo eidem rei tribui & unum quidem propter alterum,

rum, ita ut, si unum ei inexistere cogitem, alterum non existere cogitare non liceat.

Primum, quod rei inexistere cogito, *Hypothesin;* alterum, quod propter prius eidem tribuo, *Thesin* appellare soleo. Quoniam adeo theseos certitudo in certitudinem hypotheseos tota resolvitur; unde hujus evidentia pendeat, quæri potest. In allato antea exemplo ab intima mentis perceptione pendebat, quam dum habeo, quin eam habeam, dubitare nequeo. Ad nostrum igitur evidentiæ gradum demonstrationem suam revocaturus, hypothesin suam in intimam mentis perceptionem tandem resolvere tenetur.

Similiter ex eodem exemplo patet, nexum necessarium mearum cogitationum mihi innotescere, si distincte expendo, quid unaquæque involuat, &, quæ involuta intueor, inter se confero. Constat jam, quomodo evidentiam conseruem. Neque vero excipere licet, evidentiam hanc conservari non posse, ubi monstrandum criteria immediatæ revelationis infallibilia, (quæ esse demonstro descriptionem medii liberationis miseriæ nostræ tollendæ sufficientis ac perfectionibus divinis digni, harmoniam eorum, quæ Scriptura de Deo affirmat, cum iis, quæ de ipso ex principiis rationis juxta nostrum evidentiæ gradum demonstrantur & rationem dirigendi actiones liberas legibus naturæ ex perfectionibus divinis erutis prorsus consonam) scriptis prophetarum & Apostolorum convenire. Datur enim aliqua demonstrativa interpretandi methodus, & hæc ipsa in potestate est. Scripturam nempe nostrum in finem interpretaturus demonstret necesse est, quasnam cum vocibus singulis notiones conjungant librorum sacrorum Autores: ut adeo tota in methodum eruendi notiones vocum in Scriptura obviarum ex ipsa Scriptura resolvatur, qualem possibilem esse non dubitabit, qui ex perfectionibus divinis opera divina æstimare didicit. Ex his datis integram demonstrationem in volumen abituram construet, cui mentis aciem per Geometriam & Analysin intendere contigit. Intelligentibus enim hæc scribuntur, non iis, quibus vires intellectus cognoscere nondum datum est.

Astronomiæ Cometicæ Edmundi Halleji Synopsis a perill. Wolfio concinnata vid. April. 1707. p. 218.

Num.

Num. III.

C. W. Schediasma de inveniendo sinu anguli multipli ex dato sinu simpli 1707.

Tangente anguli multipli inventa: Investigantur hic sinus angulorum multiplorum.
Cujus Methodus prolixior illa.

Docuit nuper Geometra clarissimus de Lagny in Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1705, quomodo ex data Tangente anguli cujuscunque inveniatur Tangens anguli multipli, e. g. dupli, tripli, quadrupli &c. Tentare igitur libuit, an simili via Sinus quoque angulorum multiplorum ex dato Sinu anguli simpli investigare liceret: id quod felicissime succedere expertus sum, nisi quod calculo opus sit operosiore, quemadmodum nunc ostensurus.

Fig. I. Sit enim Radius seu Sinus Totus AC=AG=a, Anguli simpli CAD Sinus CD=b, erit Sinus complementi AD=Vaa—bb, pro quo brevitatis caussa ponamus c. Sit porro EC=x, erit ED=b+x, & si angulus EAC ponatur ipsi C A D æqualis, ita ut GI sit Sinus anguli dupli,

DC . AD : : EC . AE.

$\frac{}{b}$ c x $\frac{cx}{b}$.

Quamobrem $AE^2=\frac{ccxx}{bb}$, quod idem cum æquetur AD^2+DE^2, reperitur = cc+bb+2bx+xx. Unde habetur $\frac{ccxx}{bb}$ = cc+bb+2bx+xx & reductione facta ipsiusque valore cc (=aa—bb) substituto, $x=\frac{aab}{aa-2bb}$. Ergo $DE=b+x=b+\frac{aab}{aa-2bb}=\frac{2aab-2b^3}{aa-2bb}$, $AE=\frac{cx}{b}$

$= cx = \frac{aac}{aa-2bb}$. Denique propter ſimilitudinem Triangulorum AED
$\overline{\quad\quad}\ \overline{\quad\quad}$
b

& AGI erit.

AE.	ED : :	AG.	GI.
$\frac{aac}{aa-2bb}$	$\frac{2aab-2b^3}{aa-2bb}$	a	$\frac{2aab-2b^3}{ac}$

Eſt igitur Sinus anguli dupli $\frac{aa-bb}{ac} \times 2b =$ (ſubſtituto valore ipſius
$\overline{\quad\quad}\ \overline{\quad\quad}$

aa — bb) $\frac{2bcc}{ac} = \frac{2bc}{a}$, conſequenter Sinus anguli ſimpli ad Sinum
$\overline{\quad\quad}\ \overline{\quad\quad}$

dupli ut b ad $\frac{2bc}{a}$, hoc eſt, ut a ad 2c. Hinc Sinus in tabulis ri-
$\overline{\quad\quad}$

te poſitus intelligitur, ſi, reſectis a duplo facto ex Sinu anguli propoſiti in Sinum complementi ejusdem tot verſus dexteram notis, quot Sinus Totus cyphras habet, Sinus anguli dupli prodeat, modo angulus, de cujus Sinu disquiritur, 45° non excedat. Patet præterea, eſſe $\frac{bc}{a}$ dimidium Sinum anguli dupli, adeoque ut Si-
$\overline{\quad\quad}$

num Totum ad Sinum arcus, ita Sinum complementi ad ſemiſinum anguli dupli: quod eſt theorema a Trigonometriæ Scriptoribus dudum demonſtratum. Quodſi ulterius fiat

AC.	AD : :	AG.	AI.
$\frac{aac}{aa-2bb}$	c	a	$\frac{aa-2bb}{a}$

reperietur Sinus complementi anguli dupli $\frac{aa-2bb}{a}$, conſequen-
$\overline{\quad\quad}\ \overline{\quad\quad}$

ter Sinus complementi anguli ſimpli ad Sinum complementi anguli dupli ut ac ad aa — 2bb.

Si jam ulterius deſideretur Sinus anguli tripli HK, fiat AC = HA = a, DC = b, AD = e, EC = e = $\frac{aab}{aa-2bb}$, EF = x, erit ED e + b

(pro quo ad calculum facilitandum ponatur d) & FD = d + x. Quia angulus FAE æqualis angulo EAC, erit

EC. AC :: EF . AF.
e a x $\frac{ax}{e}$

Ergo $AF^2 = \frac{aaxx}{ee}$, quod idem, cum ipsis $AD^2 + DF^2$ æquale existat, reperitur = cc + dd + 2dx + xx. Habemus itaque $\frac{aaxx}{ee}$ = cc + dd + 2dx + xx. Unde reductione ac substitutione valorum d & e rite facta elicitur $x = \frac{eaa + eeb + eed}{aa - ee} = \frac{eaa + 2eeb + e^3}{aa - ee}$. Quare $FD = d + x = \frac{eaa + eeb + eed + d}{aa - ee} = \frac{eaa + eeb + aad}{aa - ee}$, & $AF = \frac{ax}{e} = \frac{a^3 + eab + ead}{aa - ee}$. Denique propter Triangulorum FAD & HAK similitudinem, erit

FA : FD :: AH : HK.
$\frac{a^3 + eab + ead}{aa - ee}$ $\frac{eaa + eeb + aad}{aa - ee}$ a $\frac{eaa + eeb + aad}{aa + eb + ed}$

Est igitur Sinus anguli tripli $\frac{eaa + eeb + aad}{aa + eb + ed}$ = (Substitutis valoribus d & e) $\frac{3a^4b - 7aab^3 + 4b^5}{a^4 - aabb}$ = (dividendo per aa — bb) $\frac{3aab - 4b^3}{aa} = \frac{3aa - 4bb}{aa} \times b$, consequenter Sinus anguli simpli ad Sinum tripli ut b ad $\frac{3aab - 4b^3}{aa}$, hoc est, ut aa ad 3aa — 4bb, & Sinus anguli dupli ad Sinum tripli ut $\frac{2bc}{a}$ ad $\frac{3aab - 4b3}{aa}$, hoc est,

ut

ut 2ac ad 3aa — 4bb. Eadem prorſus ratione ulterius progredi licet, quousque libuerit, nec ullum ſupereſt dubium fore, ut in progreſſu lex quædam patefiat, juxta quam Sinus angulorum multiplorum creſcunt, regulam generalem manifeſtatura.

Num. IV.

Solutio nonnullarum difficultatum circa mentem humanam obviarum, ubi ſimul agitur de origine notionum & facultate ratiocinandi. 1707.

Doctrina metaphyſices adhuc inſufficiens.
Rationis uſu deſtituuntur ſurdi, ſilveſtres, infantes, dormientes.
Natura rationis, a priori non inveſtiganda.
Perceptio rei ſingularis.
Notio ſpeciei, figuræ.
Ex hac combinationes arbitrariæ.
Multa eſſe in intellectu quæ non fuerunt in ſenſu.
Ratiocinii ars caracteriſtica.
Caracterum ſubſtitutio mathematica, phyſica &c.
Signorum explicatio.
Ars combinatoria ſeu ſignorum combinatio.
Reflexione infantes, ſurdi &c. carent.
Animæ immortalitatem probaturo opus eſt, antea in vires animæ inquirere.

Principia Metaphyſica nondum rite eſſe conſtituta, vel exinde liquet, quia effectuum mentis non prompte ex iis redditur ratio.

Relatum eſt in his ipſis Actis A. 1706. p. 366. quod juvenis quidam ruſticus, a nativitate ſurdus ac mutus, quam diu auditu privatus ſermonis uſu carebat, ſolis perceptionibus impulſus, omnia egerit, nulla facta ad perceptiones & actiones ſuas reflexione, multo minus idearum compoſitione aut disjunctione. Similiter *Bernhardus Connor* auctor eſt in *Evangelio Medici* p. m. 133. & 134, cum anno 1694 in aula *Iohannis Sobieſci Regis Poloniæ* verſaretur, in nemoribus ad *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* confinia ſitis a venantibus ſylvicolis inter gregem urſorum captum fuiſſe juvenem, 10 circiter annos natum, adſpectu horridum & pilis hirſutum, neque

rationis, neque loquelæ, neque vocis humanæ uſu gaudentem, qui poſt longum tempus cicuratus cum rauca & inhumana voce verba quædam proferre incepiſſet, de ſylveſtris vitæ curſu non magis recordabatur, quam nos eorum meminimus, quæ acta ſunt, quando in incunabilis vagivimus. Mirum igitur plerosque habet, cur nativitate ſurdus ad nullum perveniat rationis vſum, niſi a ſurditate liberetur? Cur inter beſtias educato rationis uſus nullus concedatur? Cur rationis uſu prorſus deſtituantur infantes? ad tempus orbemur omnes dormientes? cur denique rationis uſu conceſſo nullius recordemur, quod, dum eo privaremur, cogitavimus?

2. Nodi hi hactenus pro inſolubilibus habiti, non quod tales ex natura ſua exiſtant, ſed quia de anima perperam huc usque philoſophatum. Nos igitur certam eorundem ſolutionem afferemus, atque eo ipſo monſtrabimus, quænam in ſimilibus adhiberi debeat philoſophandi methodus: quod præſtitiſſe iis forſan non displicebit, quos veritatis incrementum juvat. Cum autem difficultates recenſitæ omnes circa rationem verſentur; in ejus naturam cum cura nobis inquirendum. Et quoniam mentis definitio realis adhuc deſideratur, ratio vero ſit aliqua vis ipſius; a priori eam eruere non datur. Inveſtiganda igitur a poſteriori, reflectendo ſcilicet ſuper ratiociniis perfectis, qualia in Geometria occurrunt.

3. Cogitationibus noſtris attenti docemur, nos res ſingulares percipere. Iam ſi contingat, mentem in perceptione totali multas partiales diſtinguere a ſe invicem poſſe, notionem acquirit diſtinctam: in caſu oppoſito confuſam. E. gr. ſi Triangulum percipio, latera tria, angulos tres; ſique fuerit Scalenum, laterum & angulorum inæqualitatem percipio. Latera ab angulis, immo tum illa, tum hos invicem quantitate diſtinguo. Iam cum omnimoda determinatio eorum, quæ in perceptione totali diſtinguuntur, *principium individuationis* conſtituat; ſi ab ea abſtrahimus, utpote per ſenſum non accurate determinanda, notionem habemus *Speciei*. E. g. in noſtro caſu determinata laterum & angulorum ad ſe invicem eſt ratio, non mutanda, niſi individualitate Trianguli deſtructa. Ab ea vero ſi abſtrahimus, relinquitur notio omnibus Triangulis Scalenis communis. Obiter vero hic moneo, (ne quis hactenus dicta exceptio-

ceptiones admittere arbitretur,) me a plani, in quo Triangulum deſcriptum, & a materiæ, qua in lateribus ejus docendis uſi fuimus, mentione conſulto abſtinuiſſe, utut ad individualitatem Trianguli ſuo quodam modo aliquid conferre non negaverim. Enimvero quæ in notione communi Trianguli Scaleni diſtinguuntur, aliquo adhuc modo determinata ſunt: relinquitur enim & laterum, & angulorum inæqualitas, adeo licet inæqualitatis nulla determinatio adſit, in eo tamen determinatio quædam jam continetur, quod requiritur, & latera & angulos æqualia eſſe debere. Quodſi igitur ab hac determinatione abſtrahamus, remanebit notio generalis omnium Triangulorum, quod nempe ſit ſpatium tribus lineis comprehenſum. Hæc ipſa vero quandam adhuc determinationem admittit, nempe laterum numerum ternarium; quæ ſi abjiciatur, prodibit notio ſpatii lineis terminati, h. e. *Figuræ.*

4. Ex jam dictis apparet, quomodo occaſione noſtrarum perceptionum formentur notiones. Quæ autem hac ratione formantur, de earum realitate dubitandum non eſt, cum nihil contineant, niſi quod eſſe indubitato experimur. Et ſi omnes notiones hac ratione formarentur, dici quodammodo poſſet, nihil eſſe in intellectu, quod non fuerit in ſenſu. At multarum rerum formantur notiones non per *abſtractionem*, ſuper perceptionibus reflectendo, ſed per *arbitrariam combinationem*, ad quam faciendam per determinationem quandam in notione aliqua animadverſam mens determinatur. E. gr. ſi in notione Trianguli ternarium laterum numerum expendit mens, ternario ſubſtituit quaternarium, denarium, millenarium, indefinitum numerum &c. quo facto, oriuntur notiones figurarum quadrilaterar., decangular., millelaterar., multilaterarum &c. Similiter ſi in notione Trianguli laterum inæqualitatem perpendit, inæqualitati ſubſtituit æqualitatem, vel trium, vel duorum laterum, proditque in caſu primo notio Trianguli æquilateri, in poſteriori notio Trianguli æquicruri. Similiter in Geometria ſublimiori propoſita æquatione ad *Parabolam Apollonianam* $ax = y^2$, æquationes ſimiles, quas infinitarum Curvarum notiones exprimere notiſſimum eſt, $a^{m-1}x = y^m$, $ax^{m-1} = y^m$, $a^m x^n = y^{mtn}$ ſtatim formantur. Ex his exemplis apparet, mentem, fundamento differentiæ notionum

animadverſo, per determinationes arbitrarias multa rationum genera comminiſci. Ex ipſo autem modo, quo notiones iſtæ formantur, colligitur, earum realitatem demum comprobandam eſſe vel a priori, ut nexus neceſſarius cum aliis, de quarum realitate nullum ſupereſt dubium, demonſtretur, aut modus formationis plene intelligatur, (ad quod requiritur, tum ut conſtet, talia poſſibilia eſſe, quæ ad formationem concurrere ponuntur, tum ab iis ea proficiſci poſſe, quæ ipſis attribuuntur): vel a poſteriori, ubi talia in rebus extra nos percipimus, qualia notiones formatæ involuunt. Hinc liquet, multa eſſe in intellectu, quæ non fuerunt in ſenſu.

5. Quoniam vero notiones generum & ſpecierum omnimodam determinationem non admittunt, qualem requirunt ſingularia, quæ percipiuntur per Art. 3 & 4; ut percipiantur, fieri nequit. Quamobrem ea, quæ in notionibus diſtinguuntur, per characteres ſeu ſigna perceptibilia repræſentari debent. Talia ſigna ſunt voces, notæ numericæ & characteres Algebraici. Totum adeo ratiocinandi artificium ad duo capita revocatur, nempe ad *partem characteriſticam* ſeu conſtitutionem ſignorum, & *partem combinatoriam* ſeu combinationem ſignorum. Pars prima arbitrium ratiocinantis fundamenti loco ſupponit, non tamen prorſus indifferens, ſed per leges ſapientiæ limitatum, quibus applicatis regulæ neceſſariæ Artis characteriſticæ enaſcuntur, demonſtrationibus adeo firmandæ. Exempla ſpecialia in Analyſi Mathematicorum & ipſa Arithmetica vulgari habemus. Signorum combinatio arbitraria non eſt, cum per eam nexus rerum poſſibilium neceſſarius repræſentetur. Certas igitur admittit leges, quoad veritates Mathematicas in Analyſi explicatas.

6. Nimirum ratiocinari in Matheſi eſt ſubſtituere æqualia pro æqualibus, hoc eſt, ratione vel quantitate eadem pro iisdem ratione aut quantitate. Atque ideo in ratiociniis Mathematicis non poteſt non conſervari evidentia ſumma. Hæc vero ſubſtitutio fit vel per *arbitrariam valorum aſſumtionem*, quæ per omnem analyſin uſum habet ampliſſimum; vel per *neceſſarias valorum mutationes & explicationes* juxta axiomata evidentia & theoremata demonſtrata factas. Tot ſunt probationes, quot in Matheſi demonſtrationes, quot exem-

exempla calculi Algebraici. Et in genere ex definitione seu notione data alia deducere est eorundem signorum ulteriorem explicationem per plurium pro singulis substitutionem afferre. E. gr. ponamus $6=5+1$, cum etiam sit $2+2+2=6$, $2\times3=6$, $2\times2+1=6$, $3+3=6$, $2+1+2+1=6$, $2+2\times2=6$, $4+2=6$, &c. erit quoque $5+1=2+2+2$, $5+1=2\times3$, $5+1=2\times2+1$, $5+1=3+3$, $5+1=2+1+2+1$, $5+1=2+2\times2$, $5+1=4+2$; item $2+2+2=2\times3$, $2+2+2=2\times2+1$, $2+2+2=3+3$, $2+2+2=2+1+2+1$, $2+2+2=2+2\times2$, $2+2+2=4+2$; similiter $2\times3=2\times2+1$, $2\times3=3+3$, $2\times3=2+1+2+1$, $2\times3=2+2\times2$, $2\times3=4+2$ &c. Ecce tibi plures senarii notiones ex notionum antecedentium numerorum legitima combinatione factas, quarum combinationes totidem producunt theoremata varias senarii proprietates manifestantia.

7. Ut idem extra Mathesin quoque valere intelligatur, exemplo ex physica desumto dictis fidem facere libet. Afferamus e. gr. propositionem per experientiam nobis innotuisse sequentem: *Ignis liquefacit plumbum.* Ut optime intelligatur, qua ratione id fiat, non opus est, nisi ut explicentur notiones ignis, liquefactionis, & plumbi, quod hic saltem consideratur tanquam massa consistens. Hoc enim facto, obtinebimus propositionem aliam loco primum propositæ, quæ hujus tenoris: Ignis particulæ subtilissimæ dum sese insinuant in poros plumbi, partes cohærentes a se invicem divellunt. Ut explicatio notionum per substitutionem facta rite intelligatur, integram mentis operationem hic exprimere libet.

1) Ignis	1) liquefacit	1) plumbum.
2) Corpus fluidum, subtilissimum, corpora quævis penetrans.	2) fluidum reddit.	2) massa consistens.
3) Corpus habens partes a se invicem separatas & poris aliorum corporum se insinuantes.	3) convertit in massam, cuius partes dissolutæ.	3) massa, cujus partes sunt cohærentes.
	4) divellit a se invicem partes, quæ cohærent.	

Ignis

Ignis particulæ ſubtiliſſimæ, ſe ſeſe inſinuant in poros plumbi, partes ejus cohærentes a ſe invicem divellunt. Has ſucceſſive in ſingulis propoſitionis partibus factas ſubſtitutiones ſi legitime combinemus, propoſitionis primum propoſitæ enaſcitur demonſtratio. Quodſi notiones inſinuationis & divulſionis ulterius explicare libuerit, natura ignis plenius manifeſtabitur, atque modus cohæſionis partium in plumbo patefiet. Verum his immorari noſtrum non eſt.

8. Id adhuc annotamus, ex art. 6. & 7. manifeſtum fieri, in notionum explicatione non utendum eſſe niſi Signis jam antea ſatis explicatis, quorum valorem in mentem nobis revocare poſſumus, quotiescunque libuerit. Patet etiam ratio, cur in ratiocinandò, non violata ratiocinii evidentia, cognitione ſymbolica contenti eſſe poſſimus, qua ſcilicet nos mente referimus ad notionis explicationem vel propoſitionis demonſtrationem alibi factam. E. gr. ſi conſtet eſſe $3+3=6$ & $2\times 2+1=6$, atque recordemur, notionem ſenarii alio tempore nobis fuiſſe ſatis expenſam & identitatem inter ipſam ac factum ex binario in binarium & unitatem, itemque ſummam ex duobus ternariis ſufficienter animadverſam; nullam amplius rationem habemus notionis ſenarii atque demonſtrationis, per quam identitas prædicta nobis innotuit; ſed de utroque ſecuri inferimus: $3+3=2\times 2+1$. Confidimus nimirum veritate axiomatis ratiocinandi fundamentalis: quæ ſunt eadem cum eodem tertio, ea ſunt eadem inter ſe. Denique liquet, demonſtrationes non eſſe niſi combinationem ſerierum ſubſtitutionum nobis memoratarum.

9. Cum adeo tum ad notiones firmandas, tum ad eas combinandas ſignis opus habeamus per Art. 5. ſintque talia voces, per Art. cit. ut ante ſermonis uſum vel negato verborum uſu ratiocinemur, fieri non poteſt. A nativitate igitur ſurdus, inter bruta educatus atque infans rationis uſu deſtituitur. Vt vero etiam intelligatur, cur dormientes rationis uſu ad tempus orbemur; tenendum eſt, poſtquam materiarum notionum voces conſtituimus adeoque ſine vocum uſu ratiocinari nequimus, ſigna iſta menti percipienda repræſentari debere, dum ratiocinari aut diſtincte quidpiam cognoſcere conamur. Quare utut non loquamur, clauſo tamen ore ſubmiſſa

missa quam maxime voce inter meditandum nobismet ipsis loquimur. Unde cum per exspirationem aëris ex pulmonibus per tracheam prorumpentis voces formare conemur, alio tempore deduxi, cogitationes nobis ex corde procedere videri. Iam cum inter dormiendum cessent perceptiones ab impressionibus in sensuum organa profectæ, vocum quoque formandarum conatus abest, consequenter et usus rationis. Somnia tamen excipiuntur, in quibus quemadmodum aliis perceptionibus conceditur locus, ita & conatus formandi voces non prorsus abest, quem me sæpius percepisse, quodque conatus clamandi eluderetur, indignatum fuisse probe memini. Denique quoniam ea facillime oblivioni tradimus, super quibus nulla fit reflexio, reflexio autem fit distinguendo a se invicem, quæ perceptio totalis involuit, formandoque notiones distinctas rerum perceptarum, id quod sine sermonis aut aliorum signorum usu fieri haud potest: ut eorum recordemur, quæ ante sermonis usum percepimus aut fecimus, utque ante sermonis usum deliberato quidpiam agamus, concipi nequit. Quamobrem & inter dormiendum anima se ipsam percipit, nihil rerum externarum, omnisque abest ab illa immediata sui perceptione reflexio. Non igitur mirum, quod evigilantes nullius cogitationis recordemur.

10. Ad hæc scribenda me impulerunt, quæ in his Actis anno præsente de anima passim leguntur. Vellem enim, ut in immaterialitatem animæ inquisituri ejus ante vires accurate cognoscerent, (cuius cognitionis aliquod specimen in antecedentibus exhibui); quam arduum hoc opus aggrederentur; ita enim futurum arbitror, ut nec cum Cartesianis paralogismum pro demonstratione venditent, nec cum aliis, quia nodos a nobis solutos & aliosipsis similes non statim capiunt, mentem pro potentia ex combinatione organorum corporeorum resultante habeant, utque in principio actionum brutorum definiendo solidiora proferant.

Num. V.

Leges experientiarum fundamentales exhibitæ a C. Wolffio. 1708.

Experiri quid.
Obtinet ſaltem in ſingularibus.
Notiones in genere; primigeniæ.
Notionum uſus.
1) Recordatio et communicatio earundem.
2) Deductio ex illis.
Methodus deducendi.
Confuſio notionum.
Mutatio quatenus per experientiam cognoſcitur.
Quotuplex ſit, et quomodo indaganda.
Effectus viribus proportionatus eſſe debet.
Inveſtigatio nexus cauta.
Cognitio ſingularium tranſiens ad cognitionem univerſalium et hypotheſes.

Quicquid per intuitum perceptionum noſtrarum cognoſcimus, experiri dicimur. Quare cum eædem ab obiectorum externorum in ſenſus noſtros actione pendeant; experientia ſingularium eſt, non univerſalium. Ad experientiam igitur provocans, caſum ſingularem afferre debet, tum ut iudicare liceat, quænam per intuitum noſtrarum perceptionum innotuerint, tum ut appareat qua ratiocinii forma ex intuitu cognito deductum fuerit, quod inde derivatum. Cavendum præterea, ne per experientiam cognita ultra ſuos limites extendantur. Super ſuis perceptionibus ſi mens reflectit, hoc eſt, ſi in totali partiales multas diſtinguit, aut ſe diſtinguere non poſſe animadvertit; notiones format, in caſu quidem primo diſtinctas, in altero confuſas: quemadmodum oſtendimus in Actis Erud. Mens. Nov. A. 1707. p. 508. (*).

Et quoniam hæ notiones aliis formandis anſam ſuppeditant, §. 4. Sched. cit. eas *primigenias* appellare libet. Patet adeo, nos notionum primigeniarum certitudinem per experientiam cognoſcere. Quis enim dubitet, ens iſtiusmodi notis diſtinctum, quales notio formata involuit, poſſibile eſſe, cum tale exiſtere experiatur? Ne vero unquam contra notionum illarum amplitudinem peccetur, ſemper habenda eſt ratio notarum, quas involuunt.

Duplex

(*) §. 2. 3. Solutionum immediate præcedentium.

Duplex nimirum notionum eſt uſus. Alter in eo conſiſtit, ut rem oblatam recognoſcere valeamus, hoc eſt, ut nobis conſtet, rem oblatam eſſe illam, quæ hoc vel iſto tempore, hoc vel illo loco nobis occurrit, aut cui hoc vel iſtud nomen tribui ſolet: qui certe haud exiguus habendus, quoniam rebus externis ad perfectionem noſtram promovendam opus habemus, adeoque eas recognoſcere debemus. Et tum quidem perinde videtur, ſive notio noſtra diſtincta fuerit, ſive confuſa. Eſt tamen diſtinctarum præ confuſis prærogativa inſignis: illæ nimirum cum aliis abſente objecto communicari poſſunt, hæ minime, utut abſente objecto in eo reproducantur, qui obiectum præſens aliquando ſibi eandem ingeneraſſe recordatur. Multa hic utilia nec in vulgus nota dici poterant: verum enimvero ea non ſunt huius loci. Alter notionum uſus eſt aliorum ex illis deductio, quæ tum per notarum, quas involuunt, evolutionem, tum per plurium notionum inter ſe collationem abſolvitur, mutuos rerum reſpectus manifeſtantem. Tum vero notionum amplitudo ſancte cuſtodietur, ſi quæ cum notis, ex quibus notio diſtincta componitur, neceſſarium nexum habentia intuemur, nunquam alii rei tribuamus, niſi in qua notas illas diſtincte diſcernimus.

Omnis, quæ hac in parte oriri ſolet, confuſio inde petenda, quod, dum multa de una eademque re percipimns, nullam eius certam notionem formamus; ſed nunc hac, nunc iſta nota ad eam recognoſcendam utimur. Experimur ulterius aliqua fieri poſſe, hoc eſt, rei uni competere vim mutandi alteram: id quod dum contingit, rem A in alteram B influere dicimus, & motus, quo A mutat B, influxus ipſius A in B vocari ſolet.

Experientia igitur cognoſcuntur rerum mutui in ſe invicem influxus ac inde pendentes mutationes. Cognitionis huius caſus triplex. Aut enim mutatio ſola in ſenſus occurrit, aut una cum iſta cauſa, hoc eſt, res influentes percipiuntur, aut denique ipſe etiam influxus diſtincte percipitur. Quemlibet horum caſuum eſſe probabilem, exempla obvia confirmant. Si mutatio ſola in ſenſus incurrit, per experientiam non aliud conſtat, quam hoc vel illud fieri poſſe, ſeu rem aliquam mutationem quandam ſubire poſſe: nondum autem intelligitur, quibus poſitis cauſis atque conditionibus

& quo poſito influxu id poſſibile ſit. Quodſi itaque conſideremus, qualis res ante iſtam mutationem fuerit, & qualis a facta mutatione exiſtat, atque cognitiones noſtras per præcedaneas vel experientias, vel ratiocinationes acquiſitas recolentibus ſuccurrant, quæ illam mutationem efficere valeant; cavendum eſt, ne per experientiam cauſas illas nobis innotuiſſe arbitremur: alias de veritate cognitionis ſecuri debitum ratiocinii examen negligemus. Si una cum mutatione cauſæ in ſenſus incurrant, non autem earundem influxus; per experientiam nobis innoteſcit, vel facta rerum quarundam combinatione aliquid fieri, vel unum alterum ſubſequi, vel quædam una fieri. Si ex rerum contiguitate ſequatur mutatio, inprimis ſubitanea; quin una mutationis alterius cauſa exiſtat, dubitandum non eſt. Ne vero experientia facile abutamur, cum cura obſervandum eſt, quibus poſitis aliquid ſequatur: quoniam enim nihil abſolute poſſibile niſi Ens a ſe, quod uti omnes realitates ita & poſſibilitatem in gradu abſolute ſummo poſſidet, ſed quicquid poſſibile, non niſi ſub certis conditionibus poſſibile eſt (prout facile demonſtratur), quænam ſint illæ conditiones, poſſibilitatis characteres, omnino ſcrutandum. Alias profecto pro poſſibili aſſumemus, quod poſſibile non eſt, & quicquid ex iſtiusmodi experientiæ principiis confuſis deducitur, ipſe eventus erroneum comprobabit.

Certus autem evades, quibus poſitis aliquid fieri queat vel a priori, vel a poſteriori. A priori indagabitur, ſi earum rerum, quæ in aſſumta hypotheſi ponuntur, notiones inveſtigentur diſtinctæ, modo ex ſchediaſmate ſupra citato facile eruendo, & per earundem collationem inquiratur, num iis poſitis, quod factum eſt, fieri debere concipiatur. Quod enim ob mera poſſibilia fieri poſſe concipis, illud ipſum utique poſſibile exiſtit: quod non negabit, qui vel ſola Euclidis elementa primis labris deguſtavit & cauſam certitudinis demonſtrationum meditatus eſt. A poſteriori ad eundem certitudinis gradum pervenies, ſi denuo factis iis, quæ propoſitionis tuæ hypotheſis ſuppeditat, denuo fieri obſeruas, quod alias fieri obſervaſti, & ſub determinatis quibusdam conditionibus fieri poſſe collegiſti. Inprimis hic quoque conſiderandum eſt, quicquid in eſſe alterius influit, illud determinatis agere viribus, atque omnem effectum viribus productricibus proportionalem eſſe. Ne igitur

poſſi-

poſſibilitatem ejus, quod fieri per experientiam cognovimus, ultra ſuos limites extendamus, vires accurate æſtimari debent. Atque hic uſus eſſe debet experimentorum inſtrumentis pretioſis inſtitutorum: & potiſſimus veræ Phyſicæ ſcopus eſt, virium, quibus agunt res naturales, leges eruere ac erutas ad uſum indigentiæ vitæ humanæ, nec non ad æſtimandam Numinis perfectionem transferre. Si unum alterum ſubſequi, vel quædam una fieri experiamur; nondum ſufficiens nobis eſt inferendi ratio, quod unum alterius cauſa exiſtat, quæ enim conſtanter connexa ſunt, eorum vel unum eſt cauſa alterius, vel utrumque a communi cauſa dependet; quæ ſæpius ſe mutuo excipiunt vel comitantur, ne quidem communem cauſam habere debent, ſed ſine communi nexu una exiſtere poſſunt; utrumque ſæpius accidere in tempore omnibus rebus communi ſufficit. Denique ſi ipſe influxus noſtros feriat ſenſus, apprime obſeruanda ſunt, quæ de accurata virium æſtimatione modo dicta ſunt, ne in concluſionum deductione paralogiſmos committamus inferentes, quod inferri non debebat. Hæc ipſa ratio etiam exigit, ut perſcrutemur, num qua influxus pars ſenſus noſtros forte effugiat: ubi repetenda ſunt, quæ paulo ante de poſſibilitatis characteribus conſtituendis in medium protulimus. Has experientiarum leges in uſum privatum iam ante aliquod temporis intervallum erutas publice commemorare libuit, cum videam in virorum etiam inſigni iudicio præditorum ſcripta errores ſubinde irrepere, quia ad illas non ſatis reſpiciunt, quodque plurimi reperiuntur, qui, dum experientiis continuo ſtudent, ignorant tamen, quomodo experientiis utendum.

Noſtra vero methodo qui experientias tractaverit, non modo ſingularium notitia animum imbuet, ſed et ad univerſalium cognitionem certo pede promovebitur. Formabit enim notiones diſtinctas, quæ univerſales ſunt & univerſalitatis ſuæ characteres involvunt, vi quorum res multæ, ſed ſemper ſine errore cognoſcuntur: formabit iudicia hypothetica de poſſibilibus, quorum hypotheſis certiſſimas univerſalitatis notas prodit & theſium ad ſingularia applicationem dexterrime moderatur.

Num. VI.

Dubium geometricum circa Tetragonismum Circuli, almæ Geometriæ acutissimis cultoribus propositum a Ferdinando Ernesto Comite ab Herberstein.

1708.

Ellipsin datam in lineam converti postulat &c.

Fig. 2. Describatur super axe transverso AB Ellipseos AGBDA Circulus ACBH. Radioque AH æquali lateri Quadrati eidem Circulo inscripti ex C et H velut centris resecentur lunulæ AEBCA, AFBHA.

Quæritur: an reperto Rectilineo æquali excessui, quo spatium Ellipticum superat spatium curvilineum AEBFA, exhiberi possit Quadratum æquale circulo ACBH?

Cum hæc, addunt Lipsienses, *cum Cl. Christiano Wolfio Mathematum in vicina Halensi Professore Publ. qui indefessam in recensendis varii generis libris, de quibus vid. Præfatio A. E. operam hactenus nobis præstitit, communicassemus, sequentia nobis per litteras rescripsit, quæ inseri hoc loco operæ pretium duximus.*

Solutio dubii Geometrici, ab Illustrissimo Comite ab Herberstein propositi, excerpta ex litteris C. Wolfii ad N. — — datis.

Quæris ex me, quid de dubio ab Illustriss. Comite proposito mihi videatur. Scito igitur, me in ea esse sententia, quod data Quadratura Lunulæ AGBEA sine negotio inveniatur & Quadratura Circuli ACBHA et Quadratura Ellipseos AGBDA. Etenim spatium curvilineum ACBEA est Lunula Hippocratis, quam quadrare norunt Geometræ: est nimirum Triangulo AHB seu quadrato super recta AI constructo æquale. Quodsi igitur detur Lunula AGBEA, dabitur etiam Lunula AGBCA, hoc est differentia semiellipseos AGBA

AGBA a ſemicirculo ACBA. Conſtat vero ex Conicis, eſſe ſemiellipſin AGBA ad ſemicirculum ACBA ut GI ad CI. Quare ex Elementis notum eſt, eſſe etiam ACBA—AGBA, hoc eſt Lunulam AGBCA ad Circulum ut GC ad CI, conſequenter cum data Lunula AGBEA inveniri poſſit Lunula AGBCA *per demonſtrata;* Lunula AGBEA data reperietur circuli area, et inde porro area Ellipſeos. Q. e. d. Quodſi itaque Illuſtriſſimus Comes de quadratura Lunulæ AGBEA quædam meditatus fuerit, rogandus eſt, ut ea diutius non premat. Ita enim Tetragoniſmi circularis celebre problema tandem perfecte ſolvetur.

Ulterior Expoſitio ſive Declaratio dubii Geometrici circa Tetragonismum Circuli almæ Geometriæ cultoribus a Ferdin. Erneſto Comite ab Herberſtein propoſiti.

Lunulam ellipſi ſubſtituit.

Solutio, qua acutiſſimus Wolfius, Mathematum in celeberrima Univerſitate Halenſi Profeſſor publicus, dubium Geometricum a me propoſitum in Actis menſis Iunii anni currentis illuſtrare dignatus eſt, eo me adigit, ut reducto tandem velo difficultatem ſub hoc ipſo dubio latentem non alio equidem fine in apricum deducam, quam ut, dum inter alias occupationes ea, quæ circa hoc argumentum forte non omnino infeliciter meditatus ſum, Geometrarum cenſuræ ſubjicere paro, acutiſſimus eorundem ſenſus mihi innoteſcat. Si quis proinde aut ipſius problematis ſolutionem aut ingenioſam quampiam aduerſionem circa illud transmiſerit, illius in *Morpheo* meo *geometrico* nomen et gloriam me publicaturum promitto. Ut porro de propoſito meo luculentius conſtet, agnoſco equidem multas easque præclaras Ellipſeos proprietates ab Anteceſſoribus noſtris detectas eſſe; at inſimul fatendum judico, eosdem immenſum hoc mare neutiquam exhauſiſſe. Admiratione prorſus digna ſunt, quæ *Gregorius a S. Vincentio,* ſeculi ſui Archimedes et Belgii noſtri gloria, demonſtravit; at ſi præiactis fundamentis preſſius inhærendo Corollaria quæpiam annotare libuiſſet, forſitan relicta ſalebroſa, quam ingreſſus eſt, ſemita planiorem elegiſſet, niſi ſummo

huic

huic viro placuiſſe arbitremur, latentes vel in his ſcopulis veritates orbi litterario reddere manifeſtas. Ajo itaque ſub inſigni quapiam Ellipſeos proprietate methodum deliteſcere lunulæ AGBEA æquale rectilineum exhibendi, eandemque illico quadrari poſſe, ubi reſolutum fuerit Problema: Lunulam datæ æqualem & alteri datæ ſimilem exhibere.

Conf. inferius n. VIII.

Num. VII.

Deſcriptio meteori igniti, die XI. Septembris 1708. Halæ Saxonum alibique viſi.

Raritas obſervationum hujus generis.
Deſcriptio meteori.
Imaginationis ſpectatorum luſus varii.
Splendor, mutationes, figuræ.
Loca ubi viſum.
Ratio Phænomeni.
Fluctuatio limbi ejusque cauſa.

Meteora ignita in varias claſſes diſtinguunt rerum naturalium ſcriptores, ſed magis ex imaginatione vulgi, quam ex accuratis peritorum obſeruationibus. Cum enim iſtiusmodi phænomena non ſtata ament apparitionis tempora, rariſſime quoque a Mathematicis, plerumque nonniſi a vulgo imperito obſervantur. Laboramus ergo defectu obſervationum, in hoc hiſtoriæ naturalis capite. Quamobrem ſcientiæ naturalis cultoribus non ingratum fore iudicavi, ſi cum ipſis deſcriptionem meteori igniti, nuper apud nos aliisque vicinis in locis viſi, communicarem.

Nimirum circa horam decimam veſpertinam, cœlo ſatis ſereno, iterata iam ab hora octava aliquoties fulgura, ignis quidam conglobatus, clariſſima luce oculos ſpectatorum percellens, fere ex Auſtro-Oriente inſecutus eſt, lentius tamen fulgure ex confiniis Horizontis aſcendens. Mox materia conglobata in faſciam quandam Zenith noſtrum altera ſui extremitate attingentem, atque in Segmentum annuli elliptici magis, quam circularis, Horizontem reſpiciens, & concavitatem Orienti, convexitatem Occidenti obvertens, diducta, ita ut integrum phænomenon G quoddam Latinorum inver-

inverſum, quale ſcribentis calamo pingi ſolet, non incongrue referret, aliis figuram ſerpentis, aliis figuram falcis, aliis figuram litteræ Græcorum ultimæ Ω inde exſculpentibus, prouti unusquisque ſua imaginandi vi abundabat. Continebatur vero faſcia lineis rectis ſegmentum annuli arcubus ad ſenſum parallelis. Longitudo integri phænomeni 10 circiter pedum, latitudo dimidii apparebat. Sunt qui phænomenon cum ſibilo quodam ortum affirmant. Medium tam faſciæ, quam ſegmenti annuli partibus lateralibus lucidius erat, & uterque limbus inſigniter fluctuare cernebatur. Tanto jubare tellus colluſtrabatur, ut ad lumen lunare latentia in hac luce diſtinguerentur. Immutata mole ac figura per plura minuta horaria eodem in loco perſtitit, ſed ſplendor ſucceſſive imminutus, ita ut cum primum fulguris, poſtea Lunæ plena facie ſplendentis vivacitatem exprimeret, tandem nonniſi tramitem illuſtrem galaxiæ referret. Cum materia conglobata aſcenderet, eadem rubedine tingebatur qua ſubſequente die circa horam ſeptimam veſpertinam ex nubibus tempeſtuoſis in eadem plaga conſtitutis emicans fulgur gaudebat, a fulgure candidiore ex plaga inter Occidentem & Meridiem fere media una prorumpente optime diſtinguendum. Illud quoque notatu dignum eſt, quod junctura ſegmenti annuli atque faſciæ multo lucidior ipſis hiſce partibus fuerit, atque ſplendor ſucceſſive ab utraque extremitate verſus illam æqualiter decreverit. Eodem tempore idem phænomenon Lipſiæ, Numburgi, Cizæ atque Ienæ viſum eſſe, per literas inde acceptas didicimus.

Quod hoc noſtrum phænomenon in atmosphæra noſtra extiterit, vel ſolus ab Horizonte usque ad Zenith intra pauca temporis minuta ſecunda factus aſcenſus teſtatur. Quoniam adeo nullum corpus lucidum tunc temporis atmoſphæram noſtram notabiliter illuſtrabat, phænomeni vero ſplendor fulguris vivacitati non cederet, ſplendorem Lunæ plenæ ſub initium prorſus ſuperabat; quin proprio lumine gaviſum fuerit, dubitandum non eſt. Materiam autem, ex qua conſtitit, fuiſſe inflammatam, non modo inſigne lumen, quo inſtar ignis in vicinia ardentis corpora terreſtria colluſtravit, ſed & inprimis ſubitanea eius diductio ſuadet. Et quia ſub initium eadem prorſus rubedine tingebatur, qua fulgur ex eadem plaga ſequenti die emicans; ex eadem materia genitum colligo, quæ fulguri

isti materiam præbuit, nisi quod exhalationes crassiores fuerint, in aëre inferiore densiore hærentes, ut non tam cito atque in fulgure materia inflammata conflagrare ac dissipari potuerit. Mansit figura, mansit moles phænomeni immutata per totum apparitionis tempus, quod materia per totum æqualiter distributa esset, atque a ventorum vi libera existeret. Quoniam tamen in æqualibus utrinque a communi junctura distantiis densitas æqualiter decrevit; splendor quoque successive ab utraque phænomeni extremitate versus eam æqualia passus est decrementa.

Fluctuationes limbi a fluctuatione aeris vaporosi deduco: similem enim fluctuationem notavi, nuperrimam eclipsin Solarem d. 14. Sept. observaturus, in limbo Solis, cum ex nubibus circa Horizontem ortivum constitutis emergentis faciem per telescopium 8 pedum contuerer. Ratio vero, quæ me movet, vt fluctuationem limbi potius agitationi vaporum in atmosphæra, quam evibrationi radiorum ex materia accensa tribuam, hæc est, quod evibrationes laterales non contingant, nisi materia inflammata fuerit inclusa, flamma alias superiora petente, quodque particulæ per vibrationem semel ejectæ non rursus regrediantur, id quod tamen in fluctuatione observatur.

Num. VIII.

Aërometriæ elementa, in quibus aliquot Aëris vires ac proprietates juxta methodum Geometrarum demonstrantur; Auctore Christiano Wolfio, in Academia Regia Friedericiana Mathematum Professore.

Lipsiæ, apud hæredes Lanckischianos, 1709, in 12. Constat. plag. 16. & Tabb. aen. II.

Philosophia quid Autori sit.
Physica quid.
Dynamimetria, ex cujus neglectu portenta hypothesium.
Methodus mathematica eligenda.
Aërometria quid.
Leges metiendi legibus possibilitatis superstructæ.
Modus procedendi Autoris.
Instrumentorum usus.

Leges

Leges dilatationum, compreſſionum.
Baroſcopiorum &c emendatio.
Anemometri Autoris conſtructio
Cujus applicationem ad molendina ad aquam elevandam &c. regulis includit.
Diffractio vaſis, condenſatio a compreſſione.
Elater ad rationes revocatur.
Venti geneſis, celeritas.
De Atmoſphæra incertitudines.

Prodit modo e prelo Cl. Wolfii, Collegæ noſtri ſæpius laudati, opus doctiſſimum, cujus recenſum ſine mora Orbi erudito communicandum duximus. Philoſophia ipſi eſt rerum poſſibilium, quatenus poſſibiles ſunt, ſcientia: quæ definitio utut nominalis, adeoque arbitraria exiſtat, oſtendit tamen in præfatione, quod non ſine ratione eandem ita formaverit, arbitrio (prout in talibus opus eſſe judicat) per leges ſapientiæ limitato. Quemadmodum vero hæc definitio ad Philoſophiæ excellentiam & ſcientiarum humanarum imperfectionem demonſtrandam, adeoque ad nonnullorum faſtum retundendum & aliorum ignaviam tollendam una omnium optime eidem conducere videtur, ita & quam maxime claras ac diſtinctas omnium diſciplinarum notiones inde quam facillime per modum corollariorum derivari arbitratur.

Sic Phyſicam definit per ſcientiam eorum, quæ per vires corporum naturalium poſſibilia ſunt. Atque hinc Phyſici inprimis eſſe concludit, vires corporum naturalium metiri, & leges, juxta quas effectuum quantitates in dato quolibet caſu computentur, ſtabilire.

Hanc Phyſicæ partem, quam Dynamimetriam appellat, eam eſſe contendit, unde veritatum Phyſicarum certitudo potiſſimum pendeat, & per quam perfectum in creaturas dominium feliciſſime obtineatur, cum viribus earundem ad datum effectum pro arbitrio ſuo producendum uti valeant iſta cognitione inſtructi. Ejus vero neglectum præcipuam cauſſam eſſe probat, cur Phyſici plerumque hypotheſibus, hoc eſt, levibus quibusdam conjecturis contenti eſſe debeant, & vſus virium creaturarum plerumque nullis regulis adſtringatur.

Methodum ut integræ Philoſophiæ, ita & Phyſicæ congruam maxime cenſet eam, qua hactenus Mathematici fere ſoli ſunt uſi, quæque a notionibus diſtinctis & ſatis adæquatis rerum pertractandarum exponendis orditur, mox ad earundem realitatem ſive a

priori, ſive a poſteriori ſtabiliendam progreditur, & cum ex notionum poſſibilium collatione alia deducit, nihil admittit, niſi quod in iis evidentiſſime contineri perſpicitur, ac tandem theorias demonſtratas ad certam & ſufficientem problematum ſolutionem transfert. Verioris igitur Phyſicæ ſpecimen juxta eam, quam ſibi formavit, ideam & methodum modo laudatam in aeris proprietatibus ac viribus explorandis exhibere ipſi placuit.

Etenim per *Aërometriam* intelligit ſcientiam metiendi aerem; *metiri* autem ipſi idem eſt, ac quantitatem aliquam pro unitate aſſumere, aliarumque homogenearum ad eandem rationem exprimere: ut adeo, qui aerem metitur, gradus proprietatum ac virium ejus exacte determinare debeat. Notat notiones generales eorum, quæ omnibus entibus competunt, in Philoſophia prima evolui atque veritates univerſaliſſimas, adhibitis (ſicubi opus fuerit) principiis Mathematicis, ex iis deduci debere: quod tamen id hactenus præſtitum non eſt.

Ideo ipſe in ſcholiis quasdam leges metiendi generales explicat, quibus in ſubſequentibus utitur. Demonſtrat inprimis, cur & quando effectus virium productricium menſuræ eſſe queant, atque hoc ipſo Matheſeos in Philoſophia prima uſum comprobat. Ceterum, cum Philoſophiæ primæ ſit, generales poſſibilitatis leges interpretari, ægre fert, quod a recentioribus Philoſophis prorſus abrogata fuerit; quam potius emendandam eſſe cenſet. Ad hanc emendationem conducere arbitratur methodum notiones generales a caſibus ſpecialibus abſtrahendi, itemque methodum particulares veritates ad univerſales revocandi, & ideo utramque exemplo illuſtrat. Quoniam itaque diſtinctam actus metiendi notionem evoluit, non poterat quoque non inter barometrum & baroſcopium, thermometrum & thermoſcopium, hygrometrum & hygroſcopium, manometrum & manoſcopium diſtinguere, utut hæ voces pro ſynonymis vulgo habeantur. Baroſcopia enim, thermoſcopia, hygroſcopia, manoſcopia incrementa & decrementa gravitatis, caloris, humiditatis, denſitatis aeris utcunque indicant; reliqua vero inſtrumenta eadem metiuntur. Axiomatibus ex præmiſſis definitionibus erutis experientias (vulgo experimenta vocant) annectit, iisque ad aeris exiſtentiam, compreſſibilitatem, elaterem, gravitatem, æquilibrium

librium cum aqua atque mercurio; rarefactionem & condenſationem tam aquæ, quam aeris, funium ac chordarum alterationem per humiditatem & ſiccitatem &c. probandam utitur juxta legum tenorem, quas ipſemet ſibi ſtatuit in Actis anni ſuperioris p. 163. & ſeqq. *) Iactis hiſce principiis propoſitiones demonſtrativas ſub lemmatum, theorematum & problematum titulis ſuperſtruit, additis ubique multis corollariis atque ſcholiis. In problematum reſolutione ſæpiſſime Analyſi ſpecioſa utitur, ut ejus in Philoſophia, naturali præſertim, uſum commonſtret. In ſcholiis inventores cum cura annotat: odit enim illorum morem, qui vel clanculum alienis inventis inhiant, dum Autorum nomina reticent vel palam ſibi tribuunt ab aliis dudum reperta. Quæ vero in iſtis propoſitionibus earumque corollariis ac ſcholiis de aere demonſtrantur, vel ejus elaterem, vel gravitatem, vel compreſſionem, vel condenſationem, vel dilatationem, vel rarefactionem, vel raritatem, vel denſitatem, vel motus varios, vel denique altitudinem, ac ſoliditatem totius atmoſphæræ concernunt. Prolixum nimis foret ſingula indicare, quæ in his Aërometriæ elementis demonſtrantur (qui enim Geometrarum utuntur methodo, paucis plagulis plurima comprehendunt); aliqua igitur delibaſſe ſuffecerit.

Notiſſima ſunt inſtrumenta ad aeris proprietates examinandas hactenus inventa, baroſcopia ſcilicet, thermoſcopia, hygroſcopia, manoſcopia, antlia pneumatica, quibus Cl. Autor *Anemometrum* ſuum addit. Eorum non modo varias conſtructiones ex demonſtratis aeris proprietatibus ac viribus eruit, defectus recenſet iisque ſubinde mederi conatur Noſter; ſed inprimis regulas affert, quæ certum magis & accuratum illorum commonſtrant uſum. E. gr. notum eſt ope antliæ pneumaticæ aerem vaſis incluſum dilatari & comprimi poſſe.

Oſtendit Autor poſt Bernoullum & alios, quomodo iſta dilatatio certis legibus adſtringatur, & idem circa compreſſionem molitur. Facilior tamen eſt regula ipſius ex data ratione aeris primitivi ad reſiduum una cum capacitate vaſis & numero agitationum emboli capacitatem antliæ inveniendi, quam *Varignoniana* in Commen-

*) *In legibus experientiarum fundamentalibus Num. V.*

tariis Academiæ Regiæ ſcientiarum A. 1705. Poteris igitur conſtruere antliam datæ perfectionis, hoc eſt, quæ per quemlibet aſſumtum agitationum emboli numerum aerem in data ratione dilabat atque comprimit, & contra ex cognita antliæ tuæ diametro & longitudine computabis numerum agitationum emboli ad aerem in data ratione dilatandum & comprimendum requiſitum: & ita porro. Ita exemplo Dn. *Amontons* per varias thermoſcopii mercurialis cum *Florentino* comparationes quantitatem variationis in altitudine mercurii ab influxu caloris pendentem computare docet, ut baroſcopio tanquam barometro uti liceat. Conſiderat tubum Torricellianum inclinatum, recurvum atque inverſum (qui ex tubo recuruo & vaſculo pſeudo-conico ſuperiorem locum occupante componitur) ut appareat, utrum in iis aliquid præſidii ad baroſcopia perficienda reperire liceat, nec ne: id quod in inverſo ſe repeririſſe confidit. Ne mercurius in vaſculo baroſcopii ſtagnans mutationes altitudinis ejusdem in tubo minuat, diametrum vaſculi inter duplam ſcalam & quadratum diametri tubi mediam proportionalem eſſe debere commendat. Varia circa repletionem baroſcopiorum notat, & experimento comprobat, aerem per poros ligni libere circulari. Fieri nimirum curavit campanam ligneam; quantacunque autem adhibita diligentia & circumſpectione obtineri haud potuit, ut, aere ex cavitate per antliam educto, catino adhæreret: quod tamen in vitreis ad primam emboli agitationem accidebat. Thermometrum adhuc deſiderari demonſtrat, & thermoſcopium *Renaldinianum* Tom. II. Suppl. p. 453. horum Actorum (Lipſienſium) propoſitum Florentino nequaquam perfectius exiſtimat. Baroſcopium ſtaticum, quod Boylius poſt Guerickium commendavit, a nobis in Actis A. 1693. p. 303. indicatum, manoſcopium eſſe oſtendit, ſimulque monſtrat quomodo inſtar manometri eodem uti valeamus: qua occaſione etiam de manometro Varignoniano in Actis A. 1706. p. 306. & 307. deſcripto diſſerit. Hygroſcopiis hactenus detectis ne eam quidem perfectionem tribuit, quam thermoſcopiis concedit: nihil enim hac in parte inventum huc uſque credit, quod ſit ſatis exactum, ſique diuturni fuerit uſus, ſatis conſtans.

Anemometri ſui, hoc eſt, machinæ vires ventorum metientis (cuius poſſibilitatem præter demonſtrationem Autoris ipſe quoque even-

eventus in ea, quam ſibi fieri curavit, idea materiali confirmavit,) talem conſtructionem prodit. Conſtruantur, inquit, alae ABCD, quales in molendinis ventorum vi agitandis adhiberi ſolent, multo tamen minores, & a plano verticali ſub angulo 54° circiter reclinandæ. Axi, cui alae infiguntur, aptetur etiam cochlea perpetua EF, quæ circumvoluta deprimit dentes rotæ ſtellatæ GH. Axi per centrum tranſeunti infigatur ad angulos rectos brachium ſatis longum IK, in medio canaliculi inſtar excavandum, ut intra cavitatem pondus plumbeum L ſurſum deorſum libere moveri queat, cui ex altera axis parte æquilibretur minus y, ſitque brachii majoris longitudo in quotlibet partes æquales diviſa, quarum ſingulæ radio axis æquantur. Denique eidem axi in M infigatur brachio IK ad angulos rectos index M N extra ciſtam, cui rota ſtellata cum cochlea includenda, prominens & ex centro axis in pariete ciſtæ exteriore deſcribatur circuli quadrans in 90° diviſus, ab indice aſcendente vel deſcendente indicandos. Cochleam perpetuam EF ideo adhibet, quod ceſſante impetu venti, pondus relabi non permittat: hinc enim, machina per noctem vento expoſita, mane angulum elevationis, maximum venti impetum in alas indicantem, notabis. Et quoniam alae aliquoties revolvuntur, antequam pondus ſufficienter elevatur: impetum quoque ſatis concipere valent, antequam modus ſiſtatur. Quodſi deſideras, ut machina ſua ſponte alas vento conſtanter obvertat, ciſtæ S T ad angulos rectos affigi jubet aſſeratum POQR in OP paulo latiorem, quam in QR. Datis angulis elevationis in eadem vel diverſis a centro axis diſtantiis, ſemper determinatur ratio virium ventorum pondus ſub datis angulis elevantium juxta regulas ab Autore traditas. Ceterum idem non ignorat, quod, ſi externa machinæ ſtructura immutetur, ejus uſus ad vires quascunque machinis agitandis impendi ſolitas metiendum extendatur; &, ſi in aquis fluentibus talia experimenta ſumerentur, qualia forſan ipſe alio tempore daturus, quin per ea regulæ reperiri queant, conſtructionem molendinorum aquaticorum certis legibus adſtricturæ, nullus dubitat. Expertus eſt *Mariotte*, experti ſunt poſt ipſum alii, aërem comprimi in ratione ponderum: demonſtrat Autor, id unice fieri debere, ſi cetera ſemper paria intelligantur. Aër compreſſus dum ſeſe expandit, certos producit effectus, ex. gr. aquam per orificia tubu- Fig. 3. 4. 5.

tubulorum ſalire facit: ſuppeditat Autor methodos inveniendi effectum aëris in dato compreſſionis gradu, & vice verſa gradum compreſſionis ad datum effectum producendum, e. gr. aquam ad datam altitudinem propellendi, requiſitæ. Sic ſi fuerit capacitas antliæ $=a$, numerus agitationum emboli $=n$, capacitas vaſis $=v$, aër primitivus $=i$, altitudo mercurii in tubo Torricelliano intra aërem primitivum $=c$, altitudinem intra dilatatum, utendo logarithmis, reperit $lc + nlv - nl(a + v)$. Premit aër corpora harumque preſſurarum inſignes ſæpiſſime ſunt effectus. Tradit itaque Autor regulas illorum quantitatem exacte computandi.

Diffringuntur vaſa, ſi ope antliæ aërem in iisdem vel comprimas, vel ex iisdem educas: quantitatem virium ad vtrumque præſtandum neceſſariarum accurate inquirit Autor. Facile experiri potes, & ille a priori demonſtrat, ſi vas exigui orificii non plenum invertatur, ſub initium in ipſa verticali ſuſpenſione certam liquoris quantitatem effluere, reliqui vero ne guttulam minimam ſuccedere; quanta ſit in quolibet caſu liquoris expulſi portio, via ipſius indagabis. Conſtat ſimiliter, & ab Autore denuo a priori demonſtratur, ſi vas quodcunque perpendiculariter ſub aqua, aut alio quocunque fluido ſubmergatur, aërem intra ipſum comprimi certamque fluidi quantitatem cavitatem ejus ingredi: ipſum ſecutus gradum compreſſionis reperies, quantitatem fluidi ingreſſi determinabis, imo profunditatem definies, ad quam orificium vaſis deprimendum, ut aër intra ipſum in data ratione comprimatur. Et quoniam ob frigus fluidi aër in vaſe ſubmerſo condenſari, vel ob calorem ejus rarefieri valet, effectum condenſationis ab effectu compreſſionis, & quantum rarefactio compreſſioni obſit, diſcernere docet.

Elater aëris intenditur tum per compreſſionem, tum per rarefactionem, quæ intenſio ut ad calculum revocari poſſit, demonſtrat Autor; elateres duorum voluminum aëris compreſſi eſſe ad elaterem dilatati in ratione voluminum reciproca, & in ratione directa maſſarum ſub eodem volumine; elaterem, quo aër rarefactus, expanditur, eſſe ad elaterem condenſati uti volumen rarefacti ad volumen condenſati.

Venti geneſin per æquilibrii ſublationem in voluminibus aëris contiguis explicat, variosque enumerat modos, quibus ea fieri poſſit,

poſſit, & ſingulos in ſcholiis experientiis confirmat. Non tamen aſſerere audet, omnes a ſe recenſitos eſſe; quin plures potius adhuc ſupereſſe ſuſpicatur: ubi diſquiſitione dignum iudicat, utrum ex mutua Telluris, Solis atque Lunæ in ſe invicem gravitatione oriri queat ventus, nec ne? quemadmodum fluxum & refluxum maris inde proficiſci poſt *Keplerum* monſtravit *Newtonus*. Ut vero de illa æquilibrii ſublatione rectius judicare valeat, regulas proponit, per quas definitur celeritas, qua aër in locum irruit, ubi vel nullam, vel elatere ſuo inferiorem reſiſtentiam invenit De altitudine, conſequenter & ſoliditate atmoſphæræ, certi quid ſtatuere veretur ob inſufficientiam methodorum, quibus hoc negotium hactenus tentatum, ab ipſo fuſius delineatam.

Num. IX.

De Productione luminis per attritum excerpta ex transactionibus anglicanis A. 1706 & 1707. Num 307. 308. & 310. p. 2277. ſeqq.

2) Phænomenon quod ſole occidente apparuit.

Lumen oriens ex vitro in orbem acto.
Luminis mutationes.
Phosphori barometrici origo.
Experimenta ligni putridi, aëris mutati, vitrique.
Vitrum attrahens ejusque cauſæ.
Strepitus auditus, luminis color &c.
Phænomenon ſole occidente viſum.

Curioſa ſunt experimenta, quæ Cl. Hauksbee circa productionem luminis per attritionem vitri inſtituit. Aſſumſit vitrum ſphæricum, cuius diameter erat 9 digitorum, exhauſtoque per antliam pnevmaticam aëre, ope machinæ cujusdam in orbem celerrime egit. Quodſi manum nudam ſuperficicei vitri admoveret, brevi lumen ſatis clarum productum eſt, quod manu hinc inde mota adeo invaluit, ut litteris ſcriptis dignoſcendis ſufficeret, amplumque ſatis ſpatium illuminans ad diſtantiam decem pedum obiecta viſibilia redderet. Color lumini purpureus erat, & globus vi-

treus, quem manus leviter attingebat, vix ſenſibiliter incaluerat. Aere non prorſus educto, lumen debilius cernebatur. Humiditatem aëris effectui reſiſtere notat. Ceterum hinc concludit, phosphorum barometricum non a motu Mercurii, ſed attritione vitri oriri: id quod ulterius inde confirmat, quod tubi Torricelliani partem vacuam digitis fricando citra ullum Mercurii motum lumen produci expertus fuerit. Non tamen prorſus negat, vim lucis productricem in Mercurio quoque latere poſſe. Lignum humidum & fere putridum in tenebris lucens vacuo incluſum lucem amittere deprehendit. Aëre autem in vitrum (de quo ante dictum eſt) immiſſo, cum rotatio celerrime continuaretur, lumen alteratum ſui ſplendoris multum amiſit. Inprimis tamen notabile, quod digito verſus vitrum exerto, flammula ex vitro procedens ad diſtantiam unius fere unciæ pedis occurrere viſa, quodque colli amiculum ad diſtantiam unius vel 2 digitorum reſplenduerit, utut nullum ex vitro lumen ad id pertingeret. Alia vice intra vas vitreum ſatis amplum *a. a. a. a.* alterum *b. b. b. b.* *) firmavit, cuius ſuperficies a ſuperficie illius intervallo unius digiti diſtabat, quodque per antliam pneumaticam evacuabatur. Cum ea ratione, quæ ex inſpectione figuræ haud difficulter conjicitur, vitro majori celerrimum motum imprimeret, flammulæ ab ipſo ſpargebantur, nequaquam ab incluſo. Ubi vero interius eadem celeritate rotabatur, lux multo ſenſibilior apparebat. Adſcribit autem iſtam luminis productionem †) actioni effluviorum ex vitro incaleſcente expulſorum, quorum exiſtentiam confirmant experimenta circa vim attractivam ſeu electricitatem vitri calefacti ab ipſo inſtituta. Vitreum tubum, cuius diameter erat 1″, longitudo 30, chartæ affricuit, donec incaleſceret: quo facto ad diſtantiam 9 vel 10 digitorum fragmenta foliorum cupri attraxit. Quo magis incaluerat tubus, eo maior erat attractio. Interdum corpuſcula attracta tubi ſuperficiei adhærebant, interdum violenter repellebantur, nonnunquam in acceſſu ad vitrum, nonnunquam in contactu. Subinde corpuſcula lento motu ad vitrum ferebantur; ſubinde in libero aëre media, inter vitrum & tabulam ſuſpenſa hærebant, interdum tubum citra contactum præ-

Fig. 6.

*) *In actis anglic. p.* 2313.
†) *Ibid. pag.* 2327. *ſeq.*

prætervehebantur. Diverſitatis phænomenorum cauſam in variatam pro diverſo aëris ſtatu quantitatem effluviorum conjicit, exhalationem impedientibus vel ipſis particulis humidis aëri innatantibus, vel facta ſubito tubi condenſatione, ubi affrictus ceſſat. Si experimentum in tubo evacuato inſtitueret, effectus multo minor deprehenſus. Si idem in tenebris caperet, lumen productum eſt, cumque omnia ſilerent, ad 7 vel 8 pedum diſtantiam ſtrepitus quidam auditus. Corporibus quoque appropinquantibus flammula ex vitro obviam facta: id quod tamen non contingit, aëre ex vitro exhauſto. Nec ſilentio prætereundum, quod lumen in diſtantia dimidii digiti ex vitro cylindrico non evacuato & celerrime rotato manui obviam procedens ſentiri potuerit, nec in luce diurna prorſus obſcuratum fuerit, ſed purpureum colorem induerit.

Quod Gulielmus Derham d. 7. Aprilis A. 1707. Sole occidente ab Horizonte occiduo aſſurgens conſpexit phænomenon *), coloris rufi, aëre exiſtente humido, cum eo coincidit, quod ab Hevelio obſervatum exhibuimus in Actis A. 1682. p. 262. Fig. 7.

Num. X.

Experimenta nonnulla de coloribus per confuſionem diverſorum fluidorum producendis exhibita a *Chriſtiano Wolfio.*

Experimenta Boylii & Mariotti.
Colores priſtinos reſtituit Autor ope &c.
Eorundem mutationes variæ pro ratione affuſorum.
Transmutationis colorum indoles.
Colores ex foliis roſarum exhibiti.

Equidem *Robertus Boyle* in tractatu de Coloribus & *Mariotte* ſub finem Tentaminis de eodem argumento multa de coloribus per confuſionem diverſorum fluidorum producendis experimenta dederunt: quoniam tamen, cum nuperrime eadem repeteremus, nonnulla mihi ſeſe obtulerunt, quæ ab iis annotata non

 reperio

*) *In act. Angl. p.* 2411.

reperio, haud ingratum fore rerum naturalium curiosis arbitror, si eadem cum ipsis communicem.

Primo igitur methodum reperi peculiarem tinctura *ligni Nephritici* mirabili colores pristinos restituendi, postquam eidem ademti fuerant. Ipsam inter lucem & oculum positam cœruleam, oculo autem inter eandem & lucem posito rubram ordinarie videri notissimum est. Sed instilla aliquot guttas olei vitrioli, color aureus in omni positu apparebit. Cavendum vero, ne plures instillentur: alias enim turbida & impura evadit tinctura.

Quodsi itaque paucæ guttæ colorem aureum non producant, id indicio erit, illam esse aqua diluendam. Similiter tincturæ ligni Brasilienſis guttas aliquot olei vitrioli instillabis, ut color intense ruber in aureum itidem convertatur. Hæc tamen tinctura non nimis saturata, sed potius diluta esse debet. Novum huncce colorem instillatis aliquot guttis olei Tartari per deliquium intendes. Vtut enim massa quædam rubinea ad fundum vasis vitrei præcipitetur, cum tamen ebullitio frigida contingat, per tincturam rursus dispergitur, vitro in primis agitato, nec ullam colori mutationem inducit. Quodsi jam duo hi liquores commisceantur, miscibilium colorem communem retinet mixtum: ast si aqua sale Tartari saturata affundatur, cœruleus & rubineus prodit color multo tamen intensior, quam ab initio in tinctura ligni Nephritici fuerat. Magis colores ad primigenios accedunt, si tinctura ligni Nephritici & ligni Brasilienſis fuerint satis dilutæ, multoque gratiores existunt; quam ubi nimium saturatæ. Ceterum constare suppono, tincturas memoratas parari, si asserculis lignorum aqua limpida affundatur.

Si tincturæ ligni Brasilienſis per oleum vitrioli alteratæ ab instillato oleo Tartari per deliquium infundatur aqua sale Tartari impregnata, facta ebullitione color ruber redit. Sed si ante instillatum oleum Tartari eadem affundatur, color aureus intenditur. Suspicari poteras, posse quoque tincturæ ligni Nephritici ablatos per oleum Vitrioli colores restitui, si instillato oleo Tartari per deliquium affundatur aqua sale Tartari saturata: sed spem eludi eventu experieris. Aureus enim color nonnisi intenditur. Imo deprehendi experimentum non succedere, nisi singula eo ordine peragerentur, quem paulo ante insinuavi; id quod mirum videri non debet;

bet; fluida enim ſibi mutuo permixta moleculas varie dividunt & combinant. Actus vero diviſionis & combinationis quo ordine fiant in generationibus rerum, plurimum utique refert in noſtro in primis caſu. Omnis enim transmutationis colorum ratio huc redit, quod pro diverſa molecularum diſpoſitione alia atque alia ratione tranſitus radiis lucis concedatur. Cum exemplo Gaſſendi aridis aliquot roſarum foliis paucas olei vitrioli guttas, cum aqua limpida affudiſſem, non modo illorum color valde intendebatur, ſed & tinctura coloris roſei maxime perſpicua extrahebatur. Sola vero aqua affuſa odorem quidem, ſed colorem nullum contraxit, utut ultra 24 horarum ſpatium concederetur, imo plurium dierum. Priori tincturæ cum aquam ſale Tartari ſaturatam affunderem, color roſeus in viridem abibat: paucæ vero guttæ olei Vitrioli ebullitione frigida cum ſtrepitu facta colorem rubrum, ſed minus clarum revocabant. Quodſi eidem tincturæ inſtillentur aliquot guttæ aqueæ Mercurio ſublimato ſaturatæ, color prorſus non perturbatur: aſt infuſa aqua ſale Tartari impregnata oleum Vitrioli colorem rubrum, ſed a priore prorſus diverſum reducit. Tincturæ poſteriori nullius fere coloris infuſum ſalis Tartari colorem viridem, largius vero flavum conciliabat. Paucæ quidem guttæ olei Vitrioli eidem colorem roſeum largiebantur: is tamen per infuſum ſalis Tartari in viridem mutari non poterat. Denique aqua aluminoſa alteri ſale Tartari impregnatæ permixta lacteum producit colorem. Cumque uterque liquor ſit ſumme pellucidus, mixtura imperſpicua evadit.

Num. XI.

Iohannis Keill A. M. ex æde Chriſti, in Academia Oxonienſi, Epiſtola ad Clariſſimum Virum *Chriſtianum Wolfium* in Academia Regia Fridericiana Mathematum Profeſſorem. *).

Methodum Wolfianam laudat.
Exiſtentiam vacui defendit.
Gravitas quantitati proportionalis.
Ratio: vacuum adeſſe ex poſſibilitate.
Reſp. ad objectionem materiæ ſubtiliſſimæ pondus minuentis.

*) *ut eo magis de controverſia conſtet, appoſita.*

Per Theoremata I. de corporibus eadem velocitate deſcendentibus.
II. de proportione velocitatis corporum diverſorum.
Negatur dari fluidum ſubtiliſſimum.

Perlegi nuper, Vir Cl. eruditum tuum de Aerometria tractatum, in quo multa ſunt notatu digna, multa lectu jucundiſſima. Methodus certe tua, qua ſcientiam Phyſicam pertractandam cenſes, quæque non alia eſt quam Geometrarum, mihi maxime placet; nec diſplicet, quod introductionem meam ad veram Phyſicam initio operis notaveris & in ea me pro exiſtentia vacui diſputantem paralogiſmum commiſſiſſe aſſerueris. Si enim in illo, quod pro vacuo adduxi argumentum, quicquam deprehendatur fallaciæ, lubentiſſime errorem confitebor; at ſi ratiocinium illud ad accuratiſſimum deductum examen vim demonſtrationis habere cenſeatur, exinde magis eluceſcet veritas & Phyſicæ noſtræ firmiter ſtabilientur principia. Concedis, Vir doctiſſime, gravitates corporum eſſe quantitatibus materiæ in iisdem proportionales, meque illius demonſtrationem exhibuiſſe in pag. 16. & quod inde infero, ſc. corporis cujusque pondus ex aucta ſolummodo vel diminuta materiæ quantitate augeri vel minui, adeoque eadem manente materiæ quantitate idem manere pondus, dicis eſſe vniverſaliter verum, ſi abſtrahatur ab imminutione ponderis a reſiſtentia fluidi, in quo gravitat, profecta: alias fallere poteſt. At dicis: *dum vacui exiſtentiam exinde demonſtrare contendo, paralogiſmum me committere, quod negari nequit.* Ratiocinium autem meum pro vacuo eſt ejusmodi. Ponamus duos globos, plumbi ſcilicet & ſuberis, æqualium magnitudinum. Si in utroque eadem eſſet materiæ quantitas, per jam oſtenſa utrumque corpus æqualiter ponderaret, nam materia ſubtiliſſima poros ſuberis occupans ejusdem eſſet ponderis ac materia plumbi ipſi æqualis, cum vero magnum ſit in hiſce duobus globis ponderum diſcrimen, magnum quoque erit in iisdem materiæ diſcrimen, & ſi plumbum ſubere ſit triplo gravius, triplo quoque major erit in plumbo contenta materia quam in ſubere, adeoque plures erunt in ſubere pori ſeu plura ſpatia abſolute vacua. Vacuum igitur non tantum poſſibile eſt, ſed actu datur. Dicis jam, me ſic ratiocinantem paralogiſmum committere. Cum enim omnia corpora fluido ſubtiliſſimo innatent, quod eorum poros penetrat, eam quo-

quoque ponderis ſui partem in hoc fluido amittunt, quæ gravitatem fluidi mole illis æqualis adæquat. Unde impoſſibile eſt, ut materia ſubtiliſſima intra poros corporum recepta in eadem materia natantium pondus augeat; quemadmodum aqua vaſis, quod replet, pondus intra aquam augere nequit.

Quamvis hæc a te objecta prima fronte ſatis ſpecioſa appareant, nihilominus demonſtrationem noſtram eſſe firmiſſimam, cui & ipſe, ſi modo illam attentius perpendas, aſſentieris, atque ejus vim nullo modo illudi poſſe, affirmare non dubito. Et quoniam ad caſum illum, in quo fundata eſt totius noſtri ratiocinii vis, video te non reſpexiſſe, argumentum rurſus proponam & ad caſum tuum medii ſubtiliſſimi accommodabo.

Theorema I. *Corpora, quæ in fluido quovis vi gravitatis eadem velocitate deſcendunt, habebunt pondera in fluido quantitatibus materiæ proportionalia.* Nam quoniam corpora eadem velocitate deorſum feruntur, erunt ipſorum momenta ſeu motuum quantitates vt quantitates materiæ in iisdem, per theor. noſtrum ſecundum. At motuum quantitates ſunt ut vires motum generantes, & vires motum generantes ſunt corporum gravitates in fluido, ſeu pondera quibus in fluido deorſum feruntur. Quare quantitates materiæ in corporibus æquali velocitate deſcendentibus ſunt ut ipſorum pondera in fluido. Cum vero Viri illuſtres *Newtonus* & *Hugenius* multiplici experientia comprobaverunt, corpora omnia abſtrahendo ab aëris reſiſtentia, ſpatia paria cadendo deſcribere; neceſſe erit, ut pondera corporum ſint quantitatibus materiæ in iisdem proportionalia, ſive ſpatium, in quo deſcendunt corpora, ſit omnino vacuum, ſive materia quadam ſubtiliſſima plenum. Ponamus jam duos globos, ſuberis ſcilicet & plumbi, magnitudine æquales in ſpatio vel fluido ſubtiliſſimo eadem velocitate deſcendentes; ſi in utroque eadem eſſet materiæ quantitas, per jam oſtenſa utrumque corpus ſive in fluido, ſive in vacuo æqualiter ponderaret, & materia ſubtiliſſima poros ſuberis occupans & una cum ſubere deſcendens æque ponderaret ac materia plumbi ipſi æqualis, ſunt enim pondera quantitatibus materiæ proportionalia. At quantitates materiæ ex hypotheſi *pleni* ſunt æquales, unde pondera quoque æqualia erunt. Verum horum corporum pondera multum inter

ter se discrepant, unde non æquales erunt in utroque corpore quantitates materiæ. Vacuum igitur non tantum possibile est, sed quoque actu datur.

Vt vero ad id, quod a te adjectum est, respondeam, dico corpora, quorum pondera in fluido quantitatibus materiæ non sunt proportionalia, non æqualiter descendere, quod ostenditur per

Theorema II. *velocitas corporis sua gravitate in fluido cadentis est in ratione composita ex directa ratione differentiæ, qua ejus gravitas propria superat gravitatem fluidi & reciproca ratione gravitatis propriæ ejusdem corporis.* Sint duo corpora *a* & *b*, quorum moles sint ut *a* & *b*, sitque fluidum quodvis, cujus gravitas intensiva ceu propria sit ad gravitatem intensivam corporis *a* ut *g* ad *c*; ad gravitatem autem corporis *b* sit gravitas fluidi ut *g* ad *d*, & erit pondus seu materiæ quantitas in corpore *a* ut *ca*, & pondus fluidi ipsi mole æqualis erit ut *ga*, ac proinde ponderum differentia erit $ca - ga$. Et similiter pondus corporis *b* est *db* & pondus fluidi mole æqualis est *gb*, ponderumque differentia est $db - gb$. Sed per prop. 7. Archimedis de insidentibus humido, momentum seu vis, qua corpus quodlibet in fluido descendit, est ut excessus quo ejus gravitas superat gravitatem fluidi mole sibi æqualis. Corporum autem momenta sunt ut quantitates materiæ, & velocitates simul. Si itaque velocitas corporis *a* dicatur V, ejus momentum erit *ca* V. Et, si velocitas corporis *b* dicatur *v*, ejus momentum erit *dbv*. Unde erit $ca\,V : dbv = ca - ga : db - gb$ ac dividendo antecedentes per *ca* & consequentes per *db*, erit $V : v = \frac{e-g}{c} : \frac{d-g}{d}$.

Q. e. d. Hinc si corpora sint homogenea seu ejusdem gravitatis intensivæ, in fluido eadem velocitate descendent. Nam in eo casu ob $c = d$ erit $\frac{c-g}{c} = \frac{d-g}{d}$, ac proinde $V = v$. Sic etiam vice versa si duo corpora eadem velocitate descendant, erunt ipsorum gravitates intensivæ æquales, nam ob $V = v$ erit $\frac{c-g}{c} = \frac{d-g}{d}$, ac proinde $d = c$. Hinc si in fluido corpora æquivelociter descendant,

tam

tam gravitates relativæ ſeu pondera in fluido quam abſolutæ ſunt quantitatibus materiæ proportionales.

In hac demonſtratione abſtrahendum eſt a reſiſtentia medii, quæ oritur vel ex ejusdem tenacitate, vel ex velocitate corporis deſcendentis, & corpora conſideramus tanquam libere cadentia ea vi, qua ipſorum gravitas ſuperat gravitatem fluidi. Si vas ſphæricum ex materia quavis gravi ut plumbo conflетur, cujus quantitas ſit ad capacitatem ut 1 ad 10, ſitque plumbi gravitas propria ad gravitatem aquæ ut 10 ad 1, & vas aqua repleatur & in aqua demergatur, computum ineundo invenietur, velocitatem, quacum deſcendit vas aqua plenum, eſſe tantum dimidiam illius, qua deſcenderet ſphæra ſolida ex plumbo ejusdem ponderis conflata. Hinc ſi daretur fluidum ſubtiliſſimum in corporibus perfectum planum efficiens, non eadem velocitate deſcenderent corpora. Sed uti dictum eſt, experientia comprobatur, omnia corpora eadem velocitate deſcendere, ac proinde nullum eſt iſtiusmodi fluidum ſubtiliſſimum, in quo deſcendunt corpora. Vacuum igitur neceſſario datur. Vides jam, Vir doctiſſime, demonſtrationem meam firmam & inconcuſſam manere, nec profecto ſcio (deletis his, quæ a te obiecta ſunt) quid amplius in contrarium afferri poſſit.

Num. XII. a.

C. W. Reſponſio ad epiſtolam Viri Clariſſimi *Johannis Keill*, A. M. ex Ædе Chriſti in Academia Oxonienſi & Reg. Societ. Socii, Actis Menſis Ianuarii pag. 11. inſertam.

Materia cohærens, ſeu maſſa interlabens in conflictu.
Illi gravitatem aſſignat quam Keilius v. ad interlabentem tranſferri dicitur.
Quæ tamen pondus non augeat.
Limitatio Theorematis ſecundi Keiliani.
Major ſubtilitas materiæ ſubtilioris aere.
Gravitas non eſt primitivum quid.
Sed a materia gravifica dependet.

In Elementis Aërometriæ, quæ in gratiam tyronum Matheſeos, ad Phyſicam experimentalem applicationem noſſe deſiderantium, fugiente calamo in chartam conjeci, tuam Vir Cl. de vacuo demonſtrationem obiter notavi, adeoque argumentum quoddam ad hominem protuliſſe tum mihi ſuffecit. Quoniam vero Tibi in actis hujus anni menſe Ianuario ad objectionem meam reſpondere tuamque demonſtrationem uberius confirmare libuit; ut meam quoque ea de re ſententiam plenius exponam, neceſſarium videtur. Tenendum itaque, me materiam diſtinguere in *cohærentem*, quæ ſingulis corporibus propria, & *interlabentem*, quæ poros eorum libere permeat. Illam nomine *maſſæ* in Elementis meis indigitavi, ut ex definitione nona intelligitur, quæ ita habet: Maſſa eſt quantitas materiæ cohærentis, hoc eſt, ejus quæ ad corpus quodlibet in eſſe ſuo conſtituendum concurrit. Materiam vero interlabentem a maſſa ſejungo, propterea quod in mutuo corporum inter ſe conflictu nulla ejus habenda eſt ratio: non tamen prorſus negligendam cenſeo, cum ex ejus cum materia corporum cohærente conflictu multorum phænomenorum reddenda ſit ratio. Gravitates corporum maſſis, hoc eſt, quantitati materiæ cohærentis, nequaquam vero aggregato ex cohærente & interlabente proportionales affirmo in ſchol. 2. ax. 3. p. 16. Nec profecto aliud evincunt experimenta Viri ſummi *Newtoni:* nec Tua etiam demonſtratio, qua gravitates quantitati materiæ corporum proportionales confirmas, aliud probat, quam illas materiæ cohærenti proportionales eſſe: uti mox oſtendam. Atque hinc etiam a me admitti & commendari potuit. Iam cum theorema, de materia cohærente tantummodo intelligendum, ad interlabentem quoque transferas, dum aſſerui, Te id facientem paralogiſmum committere, minime aberratum eſſe arbitror. Etenim committi paralogiſmum, dum, quod inferri non debebat, infertur, nemo dubitat. Ut vero tanto evidentius appareret, ad materiam interlabentem theorema illud applicari non poſſe, argumento ad hominem uſus poſui, ſed non conceſſi, materiam interlabentem eſſe gravem, atque inde per principia Archimedea deduxi, eandem pondus corporum ad bilancem examinandum augere non poſſe. Neque ullam adhuc video rationem, cur argumentum iſtud deſeram, etiamſi ad caſum æqualis corporum

porum deſcenſus, quem prolixe inculcas, reſpiciam. Theorema enim Tuum ſecundum non locum habet, niſi gravitas ſpecifica fluidi ponderi corporis per illud deſcendentis multum detrahat, ut in allato a Te exemplo gravitas aquæ ponderi plumbi. Quoniam vero materia interlabens tenuior eſſe debet aëre communi, cum hujus gravitas ſpecifica ne quidem tantum ponderi corporum detrahat, ut in experimentis pendulorum decrementum ſatis ſenſibile notari queat: multo minus illa, etiamſi gravis ponatur, decrementum ponderis in iſtis perceptibile cauſabitur. Sed hæc in præſenti non urgeo: quin potius ſecundum rei veritatem reſpondeo. Scilicet gravitatem eſſe vim primitivam, nemo affirmabit, niſi qui qualitates occultas in Phyſicam poſtliminio retroducere aut cum vulgo ad nutum Dei immediatum provocare ſuſtinuerit, ubi cauſæ phænomenorum a ſenſu remotæ. Etenim ex Metaphyſicis ſatis ſuperque notum eſt, nihil eſſe poſſibile, cujus non aliqua detur ratio, cur poſſibile ſit. Quare cum certa materiæ quantitas ad punctum aliquod continuo nitatur, & niſi impediatur, actu deſcendat; hujus conatus, h. e. gravitatis aliqua detur cauſa neceſſe eſt. Ex motibus igitur naſcitur gravitas, adeoque datur aliqua materia gravifica, quæ cum gravitatem efficiat, ipſa gravis eſſe nequit, & cum gravitas non corporum ſuperficiebus, ſed maſſis proportionalis deprehendatur, poros eorundem libere peruadere intelligitur. Et hæc ipſa materia, quia deſcenſum gravium efficit, quantitati materiæ motæ utpote movens annumerari nequit, nec deſcenſui eorum reſiſtere valet. Vides itaque, Vir doctiſſime, demonſtrationem tuam tantum valere, ſi theorema de maſſa corporum ſeu quantitate materiæ cohærentis accipiatur.

Quodſi ad interlabentem idem extendis, in ejus demonſtratione paralogiſmum committis, dum theorema de viribus maſſæ corporum æquali velocitate motorum proportionalibus ultra ſuos limites extendis. Me adeo ubi convincere volueris, materiæ vim primitivam eſſe gravitatem, demonſtres neceſſe eſt: alias enim tuæ demonſtrationes non impoſſibilitatem materiæ interlabentis perſuadebunt, ſed fortius confirmabunt, materiam interlabentem, cujus exiſtentiam (præter alia phænomena bene multa) gravitas requi-

rit, ſi ex motibus naſcatur, nec ponderare cum corpore, nec impetum cum eodem facere.

Commodam hanc occaſionem nactus ſubjungo

Num. XII. b.

Monitum circa experimentum de circulatione Aëris per poros ligni, ex Elementis Aerometriæ in Acta Lond. A. 1709. Menſ. Jan. p. 28. translatum.

Et per durius lignum aërem penetraſſe.

Dixi in coroll. prop. 79. Element. Aërometr. me ſæpius iterato experimento nullo modo efficere potuiſſe, ut campana lignea vel leviter cum catino ad antliam firmato cohæreret. Tenendum vero, me tunc temporis aërem evacuaſſe ope antliæ non admodum capacis atque embolum eduxiſſe epiſtomio reſpectu campanæ aperto. Sed cum poſtea antliam multo majorem mihi comparaſſem, idem experimentum ſæpius in præſentia multorum diverſis temporibus iteravi & epiſtomium non aperui, niſi embolo educto. Animadvertimus autem campanam ex abiete paratam, cujus diameter erat fere 4, altitudo circirer 5 digitorum Rhenanorum, craſſities $\frac{1}{4}$ unius digiti, epiſtomio aperto adhæſiſſe catino. Sed cum aurem eidem propius admoveremus, ſuſurrus quidam percipiebatur, qualis fere ab aqua ebulliente excitari ſolet.

Quam primum vero is rurſus ceſſabat, adhæſio ſublata erat. Ceterum cum ex incuria bibliopolæ, me abſente, partim typothetæ, partim correctoris vitio in libellum innumera fere ſphalmata (quod doleo) irrepſerint, ea & ſi qua forte alia fugienti calamo tribuenda occurrant, Lector pro dexteritate ſua corriget.

Num.

Num. XIII.

Communicatio literarum de mira Metamorphoſi ligni in mineram ferri per experimenta comprobata a *Ioh. Georgio Liebknecht*, Mathematum in Acad. Gieſſenſi Profeſſore, ad Chriſtianum Wolfium A. 1710. transmiſſarum, qui ibidem teſtatur, translatum eſſe hoc Schediasma in Diarium Londinenſe Memoirs of Literature dicto die 27. Novembris 1718. f. 152.

Argumentorum copia, quibus probatur, ſubſtantiam ligni in ferrum mutatam eſſe.

Quæ nuper de trunco quodam ligni in mineram ferri mutato ſcripſi, Te, Vir Clariſſime, ſuaſore examini ulteriori ſubmiſi. Nec piget laboris: probari enim poſſe didici, quæ ante nonniſi ſuſpicabar. Recte autem mones, duo expendenda eſſe, utrum ſcilicet ſubſtantia, de qua loquor, revera lignum extiterit nec ne, & num aliquas ferri particulas contineat. Quin primum ἀυτοψία Te doceat, nullus dubito: vides enim in portione gemina quam mitto, corticem EF, diſtincte ſecernis fibras DG. haud difficulter a ſe invicem ſeparandas, utut maſſa integra firmiſſima & duriſſima exiſtat, ita ut chalybi alliſa ignis ſcintillulas ipſa quidem illæſa emittat; medullam ab altera ſine labore multo ſeparabis atque in pulverem comminues. Quantum autem ex hisce partibus ligni eſſentialibus conjicio, truncus fagi fuit, qui admirandam hancce metamorphoſin paſſus. Neque vero ex vano aſſero, ipſum in mineram ferri abiiſſe, cum multis id argumentis comprobare valeam. Non ad colorem provoco, quo ferrum æmulatur; non ſplendorem urgeo, quem poliendo induxi; non ſtridorem & reſiſtentiam allego, quam in mortario contuſæ expertus, certe majorem ea, quæ in minera ferri ſatis divite deprehenditur; nec gra- Fig. 8. 9.

vitatem ſpecificam urgeo, qua mineram ferri ſuperavit: ea enim non niſi probabilitatem pariunt. Alia igitur majoris roboris profero. Æqualis maſſæ noſtræ, ac alterius cujusdam mineræ ferreæ in mortario probe contuſæ portiones aquæ immiſi, ut a particulis terreis utraque liberaretur: ubi non ſine jucunditate maſſæ noſtræ celerius, quam mineræ ferreæ particulas fundum petentes conſpexi, qui tamen deſcenſus, ablutione ſæpius repetita, æqualis fere deprehenſus. Negare tamen nequeo, particulas tandem mineræ ferreæ celerius maſſa noſtra deſcendiſſe, ubi ſatis expurgatæ fuerant, utut ablutione abſoluta hæc iſtis tantillo ſpecifice gravior adhuc deprehenderetur. Cum illam ulterius torrendo expurgaſſem, tuo conſilio aquam cum oleo vitrioli affudi, quod optimæ notæ mihi tradiderat Collega honoratiſſimus Dn. D. *Bartholdus*, Chymiæ apud nos Profeſſor, & mox ebullitionem cum calore notabili halitumque inde aſſurgentem notavi: id quod non ſimplici vice diverſo tempore in aliorum præſentia repetii. Notatu vero dignum iudico, quod minera ferri in locum noſtræ maſſæ ſubſtituta calorem multo minorem produxerit. Tanto magis igitur de ferrearum particularum præſentia ſecurus cum Phyſico urbis noſtræ Dn. D. *Antonio* partes regulinas quæſivi, & ſeparatis ſcoriis inveni, utut non ſatis perfectas, quoniam nimia curioſitas nos adigebat ut ignem juſto citius removeremus. Et hæ quidem partes, ut ipſe experiri potes, tuusque ex Anglia nunc redux *Hæniſchius* teſtis oculatus confirmabit, non modo cum oleo vitrioli vehementer efferveſcunt, verum etiam a magnete trahuntur. Ad eas autem obtinendas ſequentem adhibuimus methodum. Maſſam in pulverem groſſum redactam & poſtmodum torrefactam ſali tartari fixo commiſcuimus, ignique contumaci aperto & ventoſo mediante crucibulo impoſuimus, quo poſtmodum liquefacta cono fuſorio infuſa fuit. Inter transfundendum pyramidem calefactam ſevoque illitam malleo concuſſimus: quo facto regulus Martis in fundo inventus, mediante malleo a ſcoriis ſeparatus.

Num. XIV.
Phænomenon diabetis antea non obſervatum.

Examen ſpeciei Siphonis, & uſus ejusdem ad inveſtigandas gravitates fluidorum ſpecificas.

R. P. *de la Roche* e ſocietate Ieſu, diabetem ex vitro conſtruxit, & in eo phænomenon ſingulare notavit, antea non obſervatum, cujus deſcriptionem cum publico communicavit in diario Trevoltienſi A. 1709. Art. 86. pag. 1709. *ſeqq.* Vas ſcilicet AB cujus fundo ſimiliter infixus erat tubus utrinque apertus. CD aqua implevit, & tubo vitreo EF ſuperius in E clauſo alterum CD texit. Quo facto cum lumen inferius D tubi CD aquæ immergeret, atque tubum EF elevaret, aqua primum tam in tubo CD ex vaſe HI quam in altero EF ex vaſe AB utrobique ad æqualem altitudinem aſſurgebat, pondere nimirum aëris aquæ in vaſis AB & HIG incumbentis, adverſus elaterem in tubis CD & EF per hujus elevationem expenſi prævalente. Enimvero elevatione tubi EF continuata, donec ultra orificium C tubi CD aqua aſcenderat, non ipſa modo per tubum CD ex vaſe AB omnis effluebat, ſed aërem in ſuprema tubi EF parte reſiduum una ſecum ſucceſſive abripiebat. Fig. 10.

Equidem R.P. diabetem ſuum diverſum eſſe putat ab ordinario, ſed ſi experiri voluerit idem phænomenon in diabete quovis alio obſervabit, ut tubi CD orificium D in fundo vaſis AB exiſtat. Tum vero, quod facile intelligitur, orificium D digito obturandum, dum tubus EF elevatur. Succeſſit experimentum, etiamſi diameter tubi vaſis afferruminati eſſet fere ¾ unius digiti Rhenani, nec dubitamus, idem in quavis alia tubi amplitudine ſuccedere debere. Sed cum diameter orificii ſuperioris C. 6 linearum ſeu dimidii digiti, diameter vero inferioris D unius ſaltem lineæ eſſet; aër tubum per ſuperius ingreſſus per inferius egredi nequibat, & aquæ fluxum impediebat. Ut adeo iam pateat ratio, cur in iſtiusmodi diabetis aquæ fluxus interdum ſiſtatur, antequam omnis effluxerit, continuandus tamen aliquantiſper, ſi tubulus EF pauliſper elevetur; & ad perfectionem diabe- Fig. 11.

tis

tis pertinere intelligatur, ut tubus CD eandem amplitudinem in ſummo et imo habeat.

Ceterum nec in eo aliquid ſingulare notatur, quod orificio tubi C ultra vas AB prominente aqua ultra idem aſcendit: notum enim in ordinario diabete id 30 pedum intervallo a libello aquæ removeri poſſe. Sed hoc particulare eſt, quod diabetes R. P. gravitati ſpecificæ fluidorum inveſtigandæ inſervire queat. Etenim notum ex hydroſtaticis, ſi diverſa fluida in vaſis AB & HI contineantur, altitudines fluidorum in tubis EF & CD eſſe in ratione reciproca gravitatis ſpecificæ fluidorum. Nec negandum, conflictum aëris cum aqua, quam memorat prope orificium C multo jucundiorem conſpici, ſi tubus CD admodum gracilis longiorque fuerit, quamſi diabetes ordinarius adhibeatur.

Fig. 10.

Num. XV.

Chriſtiani Wolfii, in Academia Fridericiana Mathematum Profeſſoris Regii, Solutio dubiorum Aërometricorum in Diario Trevoltienſi A. 1710. Art. 48. p. 588. & ſeqq. propoſitorum.

Gravitatem aëris non eſſe hujus loci.
Aërem haud minus premere ſuperficiem ſuperiorem.
Cauſam depreſſionis eſſe aëris elaterem, non gravitatem aëris.

Vir doctus, qui in Diario Trevoltienſi Elementa mea Aërometriæ recenſuit, tria dubia movit, quorum diſcuſſionem tanto lubentius in me ſuſcipio, quanto certius confido fore, ut, quæ nunc prolaturus ſum, perpendens in ſententiam meam abeat. Primo reprehendit, quod in determinanda ratione aëris in evacuando vaſe poſt datas emboli in antlia agitationes reſidui ad primitivum, exemplo Geometrarum perſpicaciſſimorum *Iacobi Bernoulli* & celeberrimi *Varignonii*, ſolius elateris rationem habuerim, non vero una ad gravitatem aëris reſpexerim, aſſumens nimirum, embolo

bolo eductο aërem ita expandi, ut in vaſe & antlia ejusdem denſitatis exiſtat. Arbitratur enim, moleculas aëris aliunde minime ſuffultas proprio quoque pondere in antliam ruere. Sed qui antliam exercent, rationes perſpiciunt prægnantes, cur in hoc negotio gravitatem aëris inſuper habeant. Eas in præſenti non commemorabo: ut dubium prorſus tollatur, experimentum crucis adduxiſſe ſufficiet.

Fieri curavi tubum ex lamina metallica cochleæ afferruminatum, ut ad antliam firmari poſſet, atque fornicem vaſis evacuandi fere attingentem. Quantum per hunc tubum aëris facta qualibet emboli agitatione ex vaſe educeretur, maxima cum circumſpectione notavi: embolo enim intruſo, donec aër in antlia contentus eandem cum externo denſitatem haberet, numeravi dentes virgæ dentatæ extra antliam conſpiciendos. Mox tubo iſto remoto, evacuationem ejusdem vaſis denuo tentavi: quam eadem prorſus ratione ut antea contingere didici. Uſus autem ſum vaſis & majoribus & minoribus eodem ſemper ſucceſſu, eſtque diameter luminis in antlia 4 digitorum 6 linearum, longitudo cylindri duorum pedum Rhenanorum. Apparet adeo in æſtimanda quantitate aëris evacuati nonniſi elateris, nequaquam vero gravitatis rationem habendam eſſe.

Dum vero ſecundo Cl. Cenſor aſſerit, aërem corpus in ipſo pendulum magis premere in inferiore quam ſuperiore ſuperficie, atque hinc reprehendit, quod preſſionem utramque æqualem pronunciaverim; lubens fateor, me aſſerti ipſius rationem non capere. Non ad demonſtrationem provoco in Elementis meis allatam; ſed experientia clara Cl. Cenſorem veritatis indubiæ convincam. Tubi Fig. 12. AB cochlea utrinque in C & D inſtructi alterum extremum C ad antliam firmavi, alterum vero D matrici in fundo catilli EF efformatæ inſerui. Catillo corium bubulum madefactum cum orbe cupreo unam circiter lineam craſſo admovi. Embolo ex antlia eductο, firmiter adhæſit orbis. Eum igitur ſeparaturus circa trochleam G funem HI circumduxi, cuius alterum extremum H uncinulo orbi infixo, alterum vero F unco ſtateræ alligavi, & a quanto pondere ſeparatio orbis a catillo fiat, annotavi. Didici autem, eadem vi opus eſſe, ſi aër ſuperne orbi incumbit, quam ſi eum inferne impellit,

pellit. Videtur Cl. Cenſor confundere vim, qua corpora in fluidis ſuſpenſa ab iis premuntur, cum altera, qua ſpecifice leviora in iis evehuntur. Diverſitatem tamen utriusque cum ratio, tum experientia loquitur. Hæc enim conſtans eſt, æqualis nempe exceſſui ponderis fluidi ſupra pondus ſolidi ad quamcunque profunditatem demerſi, ut dudum Archimedes prop. 6. lib. 1. de inſidentibus humido demonſtravit: illa vero variabilis æqualis nimirum ponderi columnæ fluidi, cuius eadem cum corpore immerſo baſis, altitudo autem eadem cum profunditate eius ſub aqua.

Fig. 13. Experimentum in gratiam Cenſoris ſequens non ſine ſucceſſu commentus ſum. Fieri curavi captulam AB, cujus fundo infixus uncinulus, cavitatem vero operculum CD exacte complet, ne aquæ in eam aditus pateat. Alterum extremum fili EF uncinulo F, alterum autem alteri E alligatur. Ita autem gravitas capſulæ ad gravitatem aquæ attemperata eſt, ut tota capſula cum ſuo operculo a gravitate aquæ tantillo deficiat, & ſubmerſa axem ad ſuperficiem ejus perpendicularem retineat, operculum vero CD ſolum tantillo gravitatem aquæ ſuperet. Quodſi operculum CD intra capſulam reponatur & hæc ſub aquis demergatur, dimiſſa cum operculo deſcendit, donec huius gravitas vim aquæ prementis excedit: tum enim operculum CD deſcendit & capſula AB aſcenſum continuat.

Dubium tertium antecedentibus ſpecioſius videtur: ſed paralogiſmus Cl. Cenſoris haud difficulter detegetur. Experientia docuit, ſi in fiſtula Torricelliana nonnihil aëris ſupra Mercurio relinquatur, eum ad minorem altitudinem ſuſpendi, quam ſi vacua fuerit. In Elementis Aërometriæ prop. 49 demonſtravi, eſſe altitudinem Mercurii in tubo vacuo ad differentiam altitudinis in tubo non vacuo ab altitudine priore ita vt volumen aeris dilatati ad volumen primitivi. In ſcholio monui, regulam experimentis Mariotti prorſus conſonam eſſe: unde miror Cl. Cenſorem mihi exprobrare, quod regulæ veritatem experientia non confirmaverim.

Fig. 14. Sed audiamus difficultatem, quam contra eam faceſſit. Sint duo tubi AB & CD hermetice ſigillati in A & C, quorum longitudo 28″, qualis eſſe ſolet Mercurii. Suſpendatur Mercurius in tubo AB ad altitudinem EB, in altero CD ad altitudinem DF, ſitque EB =24″, DF=14″. Erit per regulam meam aër primitivus in tubo AB $1\frac{1}{4}$;

in

in altero DC 7. Quoniam in CF aër eſt quadruplus ejus qui in EA continetur, aër autem quadruplus nonniſi per duplum ſpatium Mercurium deprimit; id generali axiomati, quod effectus ſint cauſis proportionales, repugnare arbitratur Cl. Cenſor. Principium hoc admitto, utpote quod in ſchol. 1. ax. 3. Elementorum meorum p. 13. & 14. pluribus declaravi & corroboravi, & cum eo convenire debere regulam meam agnoſco. Ecquis vero dixerit, quod ei repugnet, ſi ad rem ſatis attentus fuerit? Dico enim in tubo EF cauſam duplam producere effectum duplum. Cauſa ſcilicet depreſſionis Mercurii non eſt maſſa, ſed elater aëris, ut in prop. 48 p. 149 demonſtravi. Elater vero aëris eſt in ratione compoſita ex directa maſſarum & reciproca voluminum, uti ex Mariotti atque Boylii experimentis facile deducitur. Iam ex hypotheſi aër in AE eſt 1, in CF eſt 4, volumen AE eſt 1, volumen CF 2. Quare elater in AE eſt ad elaterem in FC ut 1. 2. ad 4. 1, hoc eſt, ut 2. ad 4, ſeu ut 1 ad 2. Q. e. d. Evidens adeo, quod regula principio Methaphyſico contradicere viſa fuerit, quia Cl. Cenſor falſo aſſumſit, depreſſionem Mercurii a quantitate aëris pendere. Profecto ſi in CF nonniſi aër duplus eſſet; foret ejus elater æqualis elateri alterius in AE. Aëris enim dupli in ſpatio duplo elater idem eſt qui ſimpli in ſimplo.

Num. XVI.

Novum lampadis genus inventum a *Chriſtiano Wolfio*, in Acad. Friedericiana Mathematum Profeſſore Regio.

Conſtructio ejusdem & vſus.

Deſiderio amici nuperrime ſatisfacturus cum de commoda lampadis ſtructura cogitarem; iis virtutibus inſtructam inveni, quæ id genus decent. Eandem enim quantitatem olei ellychnio conſtanter affundit, nec unquam a largiori pabulo extinctio metuenda, multo minus verendum, ne receptaculum ellychnii

egrediatur, maximo licet calore urgente. Communis igitur utilitatis gratia deſcriptionem eius communicandam eſſe duxi.

Lampadis ſtructura Fig. 4. clare ac diſtincte repræſentatur. Fig. 15. Scilicet ADBC eſt vaſculum cylindricum, cui oleum infunditur; FED vero aliud minus, formam parallelepipedi habens & roſtro FH inſtructum, pro recipiendo ellychnio. Illud diaphragmate KL dividitur, fundo DB multo propiore, quam fornici AC. Tubulus PO in P & O utrinque apertus interiori vaſculi AB parieti adhæret. Ejus oſculum ſuperius P fornicem AC propemodum attingit; inferius vero O ſuperficiem olei ad libellam HI conſtituti lambit. Ad eandem porrigitur tubulus alius MN, utrinque ſimiliter apertus & diaphragmati KL afferruminatus. Oſcula igitur inferiora tubulorum PO & MN in eodem plano exiſtunt, quo ſcilicet libella pabuli ſufficientis definitur. Sed tubuli QR oſculum ſuperius Q ultra illud planum tantillo eminet. Firmiter autem infigitur tubulus QR matrici cochleæ T fundo DB afferruminatæ. In G eſt foramiculum perquam exiguum, quod aëri in cavitatem KDBL ingreſſum concedit & vaſculum ADBC prope fundum DB in cavitatem receptaculi FED hiat, ut oleum ad ellychnium defluere poſſit. Denique intra pedamentum VTX afferruminatur fundus YZ; fornici autem AC cochlea S, ut lampas (ſi quando opus fuerit) a ſordibus purgari queat.

Hæc de conſtructione tenenda: de uſu notanda ſunt ſequentia. Lampas a pedamento avulſa invertitur & digito ad foraminulum G applicato oleum per tubulum QR altero MN paulo ampliorem infunditur: inclinatur vero verſus BC, ut oleum cavitatem GB ingreſſum tanto promptius per tubulum NM in proprium receptaculum AL delabatur: quo repleto, ope cochleæ T pedamentum VT ad eam rurſum firmatur. Quamdiu oleum ad libellam HI conſiſtit, ne guttula quidem una per MN effluit. In ſenſibili autem eius quantitate abſumta, aër per tracheam OP ingreditur & aër per MN deſtillat: ut adeo pabulum eandem libellam HI pertinaciter tueatur. Quodſi contingat, calore aëris ambientis interiorem in cavitate AL rarefieri; oleum per MN expulſum ſtatim per tubulum QR in cavitatem YTZ delabitur, nec libellam pabuli ullatenus turbat. Si loco olei aquam affundas & ſiphonis crus minus receptaculo ellych-

nii FD immittas; eam quoque libellam HI tueri animadvertas, quamdiu AL non prorſus vacua fuerit. Nec libellam mutari addiſces, ſi eidem receptaculo FD, lento quidem, ſed tamen continuo fluxu, aquam affundas. Hoc experimento utetur, qui experiri voluerit, utrum lampas accurate fuerit conſtructa, nec ne.

Num. XVII.

Defenſio virium in corporibus exiſtentium (*a Sturmio & Leibnitio aſſertarum*) contra nuperas objectiones.

Dubia contra vim motricem creatam removentur; nimirum;
Quod Deus motum continuare teneatur;
Quod majori compendio movere poſſit;
Quod ex effectu aſſertum non probetur.
Nec idem aliunde colligi poſſit
Quod majori vi opus non ſit ad movendum, quam in quiete conſervandum.
De quiete producta &c.

Dn. *Muyſius* in ſuis Phyſicæ Elementis negans dari vim motricem creatam, contra ea, quæ in his Actis Septemb. 1698. & Majo 1699. dicta ſunt, ita argumentatur p. 924. ſeqq.

PRIMA ratio (diſſentiendi) hæc eſt: *Talis qualis ſupponitur creatæ vis motricis prima exiſtentia, ab autore univerſi producta eſt: Igitur & ejusdem exiſtentiæ continuatio ſeu hujusce vis conſervatio ab eodem unice pendet, produciturque. Ergo & omnis agendi efficacia in hac vi ab autore univerſi unice pendet, & nulla proin erit in hac vi agendi efficacia* (vis & agendi efficacia ſunt unum idemque) *niſi quam autor vniverſi in illa conſervat, hoc eſt* (iſtud hoc eſt non omnes admittunt, ſed hanc controverſiam hoc loco ingredi neceſſe non eſt) *continue producit.* Hactenus dicta admiſſurus videtur Vir Illuſtris, quem Dn. Autor refutat. Sed fortaſſe non æque admittet, quod ſequitur: *Et per conſequens omnis agendi efficacia ſeu omnis potentia hujus vis proprie loquendo nil eſt niſi ipſa potentia autoris univerſi, ac proin effectus hujus vis erunt effectus autoris univerſi.* (1) Iſtud & per conſequens nullam conſequentiæ ſpeciem habet. Quali enim argumento hoc inferetur? Deus vim creaturæ conſervat, imo (ſi lubet) etiamnum producit. Ergo hæc vis, po-

tentia, vel efficacia, eſt vis ipſius Dei. (2) Quin potius eo ipſo quia eam vim creat ſeu producit Deus, eſt vis creaturæ, non Dei; cum vis vel potentia Dei, produci nullo modo poſſit ſed ſit æterna. Ergo (3) Dn. objector probare potius debet, nullam vim creatam a Deo produci poſſe.

Pergit: *Autor univerſi, effectus, puta motus corporum, qui huic vi aſcribuntur, pari facilitate & majori compendio immediate producere poteſt, quam interuentu talis vis a virtute divina diſtinctæ, attamen per illam ſolam operantis.* Sed reſpondetur, (4) vim creatam non operari per vim divinam, quin potius vim divinam quodammodo operari mediate ſeu per vim creatam. Reſpondetur etiam, (5) non ſequitur, quia Deus majore compendio aliquid immediate producere poſſet, ipſum etiam id immediate producturum. Pari enim argumento ſequeretur, Deum omnia immediate agere, nec naturis creaturarum uti. (6) Deus non tantum compendioſe, ſed etiam magnifice operatur, nec vult omnia ſolus agere, ſed creaturis aliquid communicare de perfectionibus ſuis, quæ potiſſimum in vi agendi conſiſtunt.

Pergitur in objiciendo: *Ergo ex ſolis effectibus ſeu motibus corporum exiſtentia talis vis nullo modo colligi poteſt, cum hæc ad hos producendos haud neceſſaria, immo ſuperflua ſit.* Reſpondetur, (7) ſi liceret omnia rejicere, ſine quibus Deus immediate phænomena efficere poſſet, liceret innumera rejicere, quæ tamen merito admittuntur. Exempli gratia non opus eſſet vel vorticibus, vel gravitate, vel aliis cauſis phyſicis ad explicandos motus aſtrorum. Sufficeret, Deum eos velle, & immediate producere, imo totus mundus ſpectabilis eſſet inutilis: quidni enim Deus in mentibus ſpectatorum ea phænomena immediate efficere poſſet, quæ illi mundo reſpondent, etſi ipſe non extaret? Reſpondetur etiam, (8) ſi admittatur motus tanquam actio corporis paſſioque, neceſſario etiam admitti vim agendi & patiendi, neque enim concipi poſſe actionem niſi ut potentiæ exercitium. Itaque (9) qui neget vim agendi, negare debere actionem ipſam in corporibus, imo pari jure etiam in mentibus, & ſtatuere actionem ſolius Dei. (10) Sed verendum eſt, ne qui ſic docet incidat in doctrinam improbatam, quæ ſolum Deum habet pro ſubſtantia, creaturas autem pro modis ſeu affectionibus

bus Dei. Pergitur: *Aliunde autem quam ex motibus corporum exiſtentia talis vis pariter colligi non poteſt; atque adeo cum ex his colligi nequeat, ne entia ſine neceſſitate multiplicemus, exiſtentia talis vis ſupponenda non eſt.* Reſpondetur, (11) Entia omnia a Deo multiplicata ſunt ſine neceſſitate, neque enim neceſſarium erat, ut ullam creaturam produceret; ſed non ſunt multiplicata ſine ſumma ratione. (12) Ex motibus, ſi pro veris actionibus paſſionibusque habeantur, omnino colligitur vis, ut jam monitum eſt num. 8. Quin etiam (13) alia peculiaris ratio pro exiſtentia vis agendi allata eſt dicto loco Actorum Septemb. 1698, de qua mox n. 17. Proceditur deinde ad SECUNDAM diſſentiendi Rationem, quæ talis affertur: *Haud majore vi aut actione voluntatis divinæ opus eſt ad corporis exiſtentiam ſucceſſive in diverſis continue locis, quam in eodem ſucceſſive loco producendam, hoc eſt, ad corpus movendum, quam ad illud in quiete conſervandum, ut ex jam oſtenſis liquet.* Hæc aſſertio non admittitur, (14) plus enim cognitionis, voluntatis & actionis requiritur ad A & B ſimul quam ad A tantum, id eſt, ubi plus eſt varietatis. Major autem eſt varietas in mutatione quam in conſervatione loci. Pergitur: *nulla ergo videtur ratio, cur Deus motum non vero quietem interuentu vis alicujus creatæ produceret.* Reſpondetur: (15) Deus revera etiam quietem in his quæ moventur, non minus quam motum in his quæ quieſcunt, ope vis creatæ producit. Et (16) quod attinet perſeverationem corporis in ſtatu, dicendum eſt corpus per *inertiam naturalem* etiam ad quietem conſervandam tendere, nec ubi ſemel quieſcit, ad motum & quietem plane indifferens eſſe: quin potius tanto magis repugnare motui novo quanto is eſt major.

Supereſt ut videamus, quomodo Cl. Autor Elementorum phyſicorum reſpondeat argumento, cujus hic meminimus num. 13. Huic ergo ſatisfacere conatur hoc modo pag. 938. ſeqq. *Notandum* (inquit) *hic eſſe cenſui argumentum, quod illuſtris Leibnitius in Actis Erud. Lipſiæ anno 1698. Menſe Septembri urget, niſi in corporibus motis vis motrix adſit, nullam inter corpora in inſtanti diſtinctionem & per conſequens nullos veros terminos, nullam veram figuram adeſſe poſſe, nobis nullatenus obſtare.* (17) Niſi, inquit Vir Celeberrimus, corpus quod præſente ſui motus momento ineſt in loco ſibi commenſu-

menſurato præterea conatum habeat, ſeu niſum mutandi locum; ita ut ſtatus ſequens ex præſenti per ſe naturæ vi conſequatur: neceſſario corpus A, quod movetur, a corpore B (ſimili & æquali) quieſcente præſente momento nihil differet. Et conſequens erit, nullum plane diſcrimen in corporibus fore, quando quidem in pleno uniformis per ſe maſſæ diſcrimen, niſi ab eo quod motum reſpicit, ſumi non poteſt &c. Et porro latius oſtendit ſucceſſivam tantum rei motæ in diverſis locis exiſtentiam *nullam corporis moti ab aliis diſtinctionem in inſtanti, niſi vis motrix adſit, producere poſſe.* (18) Extrinſeca enim, ait, tantum foret denominatio, qua diſtingueretur una pars materiæ ab alia, nempe a futura, quod ſcilicet in poſterum ſit futura alio vel alio loco; inpræſentiarum vero diſcrimen eſſet nullum. Imo ne a futuro quidem cum fundamento ſumeretur, quia nunquam etiam inpoſterum, ad verum aliquod præſens diſcrimen deveniretur; cum nec locus a loco, nec materia ab alia materia (ex hypotheſi perfectæ illius uniformitatis in materia) diſtingui ulla nota queat. (19) Fruſtra etiam, *pergit*, ad figuram præter motum recurreretur. Nam in maſſa perfecte ſimilari, & indiſcriminata & plena, nulla oritur figura ſeu terminatio partium diverſarum, niſi ab ipſo motu. Quodſi ergo motus nullam diſtinguendi notam continet, nullam etiam figuræ largietur. *Etenim ingenioſiſſimo Leibnitio lubenter aſſentior* (quod etiam in propoſitione præcedente oſtendi) *corpora in inſtanti haud aliunde quam a vi motrice ita differre poſſe, ut inde veri termini, vera figura &c. illorum ſingulis aſſignari queant. Verum id ſolum animadverti cupio, ſive hæc vis motrix ſit efficacia Entis creati ab ipſa materia ſive extenſione diſtincti, ut Vir Clariſſimus ſtatuit, ſive Entis a ſe exiſtentis & ab ipſa extenſione diſtincti, quæ extenſioni quolibet motus ſui inſtanti præſens eſt, & ſucceſſive in illa motum operatur; in uno caſu haud majorem fore diſtinctionem extenſionis ſeu materiæ in inſtanti ab alia per hancce vim motricem, quam in altero. Unde etiam perſpicuum eſt, vis motricis creatæ exiſtentiam ex hocce argumento ſtabiliri non poſſe.*

Hactenus verba Elementorum, quorum laudandus eſt Autor doctiſſimus, dum agnoſcit aliquid ad diſtinctionem ſtatus momentanei præſentis & ſequentis, tollendamque perpetuam uniformitatem locorum & temporum eſſe neceſſarium præter materiam, neque discri-

discrimen inter materiæ partes aut corporum difformitatem in dato momento admittendam, alibi rectius quæri quam in vi motrice extensioni seu localitati super addita, quod plerique recentiorum hactenus non agnovere. Sed (20) mirum est, quod illas vires, in quibus partium materiæ discrimen consistit, non in corpore tanquam in subjecto, sed extra illud in Deo quærit. Cum tamen (21) formale discrimen rerum non in extrinseco sed in ipsis consistere debeat, itaque (22) hæc vis per loca dispersa non est in ipso Deo tanquam in subjecto, nisi quis Deum vertat in naturam naturatam & particulas ejus per materiam dissleminatas fingat, quod Clarissimo Autori tribuere iniquum fuerit. Et revera (23) qui hoc doceret, in nostram quidem doctrinam quod vires in corporibus existentes recideret, sed in eo peccaret, quod iis contentus non assurgeret ad Deum autorem & rebus superiorem, seu naturam naturantem, sed pro ea fictitium Deum corporibus immersum introduceret, qui nihil aliud foret quam virium particularium aggregatum. (24) Aliud etiam argumentum pro virium in corporibus existentia in supra citatis locis Actorum productum est, dum scilicet ostensum est omnia accidentalia seu transitoria esse modificationes substantialium seu persistentium atque ita ut figuræ sunt modificationes extensionis, ita impetus esse modificationes vis cujusdam primitivæ corpori inexistentis.

Num. XVIII.

C. W. Objectiones contra novam definitionem Motus in Diario Eruditorum Parisino exhibitam.

Examen hujus definitionis.

Vir quidam doctus Massiliæ degens in Diario Gallico mense Majo anni præsentis, novam proposuit definitionem motus, cum ab aliis hactenus datæ ipsi non sufficiant, atque Philosophos ad ejus examen invitavit, responsiones ad objectiones spondens. Quare Viro Cl. non displiciturum confido, si quas contra

eam difficultates propoſuero. Definitio hæc eſt: *Motus eſt actio corporis aut impreſſio in corpore recepta, qua vel alteri corpori reali aut ſuppoſito propinquare, vel ab eodem elongari poteſt.* Per genus motum a quiete diſtingui arbitratur: differentiam ſpecificam talem dare intendit, ut definitio habeat locum, etiamſi unicum corpus in ſpatio prorſus vacuo exiſtere demus. Generis loco ponit *actionem corporis aut impreſſionem in corpore receptam.* Sed 1) nulla concipitur actio corporis ſine motu aut ſine eo, quod eſt reale in motu, conatu nempe ſeu niſu quo materia inſtruitur. Det enim Vir Cl. actionis cujuscunque corporeæ definitionem, facile animadvertet, notas ad actionem unam ab altera ejusdem præſertim corporis diſtinguendam non aliunde quam a motu & ejus requiſitis deſumi poſſe. 2) Multo magis notio impreſſionis motum involuit. Neque enim fieri concipitur niſi per impactum corporis A in corpus B. Aſt A in B impingere non concipitur, niſi quatenus movetur. 3) Nulla impreſſio concipi poteſt ſine aliquo, quod imprimitur. Quid igitur A, dum impinget in B, ipſi imprimere dicetur? Nonne motum? Patet ergo denuo, genus definitionis definitum involvere. Neque 4) tam impreſſio, quam id, quod imprimitur, recipitur, & 5) motus non niſi improprie imprimi dicitur, notioni confuſæ ab imaginatione ſuppeditatæ convenienter. Unde nolim, definitionem motus philoſophicam ingredi voces improprias. Accidit 6) quod receptio impreſſionis, quam Vir doctus generis loco ponit, controverſiam de communicatione motus implicet, quam ex definitione motus excludendam eſſe non diffitebitur. Fallitur 7) Vir Cl. dum ſibi perſuadet, genus in definitione poſitum motum a quiete diſtinguere. Non jam urgeo, id quod reale eſt in motu, niſum nempe corporis, non minus in quieſcente quam in moto deprehendi; ſed definitionem ad corpus aliquod quieſcens applico. Ponamus e. g. globum plumbeum ex filo ſuſpenſum, quo retinetur, ne deſcendat. Cum ita quieſcit, continuo verſus centrum terræ nititur adeoque agit, cumque niſus ille ab impulſu ætheris globum perlabentis pendeat, hujus continuo impreſſiones (ut cum Viro docto loquar) recipit. Et hac actione, vel recepta ætheris impreſſione centro telluris propinquare & a manu tenentis recedere poteſt: acceſſus enim ad centrum terræ & receſſus a manu tenentis

tis est effectus illa actione producendus. Unde si filum, quod renititur, dissecatur; globus actu descendit. Filo autem dissecto, nil globo accedit, quod non ante inerat; sed impedimentum saltem removetur, quod obstat, quo minus potentia ad actum traducatur. Denique 8) cum definitio motus desideretur non tam ad corpora mota a quiescentibus in vita communi distinguenda, quam ut inter principia Philosophiæ naturalis referatur, ex quibus alia deducantur; id maxime desidero, quod naturam motus non satis explicet, nec id, quod est reale in motu, a phænomeno distinguat: quod discrimen jam exponere animus non est.

Num. XIX.

Experimentum coagulationis extraordinariæ ex diarii Trevoltiensis Anni 1711. Art. 174. p. 2120. excerptum a B. Autore communicatum.

Materia per vices congulata fluiditati restituta.

Cl. Matte, demonstrator Chymiæ Regius monte pessulano singularem observavit coagulationem, quam breviter hic describi consultum duximus. In pulverem scil. redegit materiam quæ, post destillationem subitam volatilis salis cum calce factam in cornu restat, & in aqua limpida ad ignem ebullire curavit duarum circiter horarum spatio. Hanc aquam postea filtravit & aliquam ejus quantitatem evaporari passus est, donec superior superficies pelliculam contraheret. Tum ejus drachmas duas miscuit totidem drachmis olei tartari per deliquium vitro infusis, & exiguo temporis intervallo ad eam consistentiam redacta est mixtura, ut globulos inde conficere liceret, sine damno in tabula huc illucque devolvendos. Affuso spiritu nitri, liquor salis ammoniaci pristinam recuperavit fluiditatem, affuso oleo tartari per deliquium denuo sublatam.

Num. XX.

Reſponſio ad imputationes *Johannis Freindii* in Transactionibus Anglicanis Num. 331. p. 330. & ſeqq.

Vis attractrix qua principium phyſicum rejecta fuit.
Methodo Euclidis ipſe Freindius non utitur, quam tamen urget.
Nec 2) quouſque attractionem admittat, ſatis explicat.
Ad voluntatem Dei confugere ideam nullam præbet.
Quando tamen id liceat &c.
Vis attractrix jam ab aliis impugnata.
Examen probationis ejus exiſtentiæ.
Diſtantia globi parietem percutientis.
Dubium 3) ceſſare.
Quartum de magnete &c.
Leibnitii motus corporum.

Cum ſcientiarum incrementa nobis curæ cordique ſint, non inconſultum duximus, data ab Autoribus, quorum ſcripta recenſemus, occaſione, monita ad illarum profectum proficua ſubinde inſpergere: nec diſplicuit intelligentibus hoc inſtitutum. Itaque Cl. *Freindii* Prælectiones Chymicas, in quibus veſtigia quorundam conterraneorum ſuorum legens *vim attractricem* materiæ in numerum *principiorum Phyſicorum* retulerat, A. 1710. Menſe Sept. in ſcenam producentes monuimus, vim hanc attractricem tanquam qualitatem occultam non eſſe poſtliminio ad naturæ phænomena explicanda in phyſicam revocandam, ne alii eadem licentia uſi alias qualitates occultas in philoſophiam reducant. Probe autem notandum eſt, nos impugnaſſe vim attractricem, quatenus pro vi *primitiva* habetur, non quatenus ut phænomenon admittitur, uti diſerte legitur in Actis A. 1711. p. 221. Cl. igitur *Freindius*, ad objectiones noſtras paucis reſpondere poterat, ſe vim attractricem admittere ut phænomenon, adeoque ſibi non adverſari objectiones noſtras. Hac reſponſione contenti fuiſſemus, niſi quod ipſum aliosque rogaſſemus, ne per eam phænomena explicent, antequam ſatis conſtiterit, dari eo in caſu aliquam attractionem. Enimvero prolixas in Transactionibus Anglicanis, quæ Menſe Septembri A. 1711. prodiere, nunc vero demum ad nos deferuntur, inſeruit Prælectionum ſuarum Chymicarum Vindicias, in quibus nobis

nobis imputat a mente noſtra maxime aliena. Contra quæ enim diſputat, ea ipſimet improbamus, immo, ſi ita velit, deteſtamur.

Nam 1) nobis imputat, quod eam philoſophandi Methodum rejiciamus, qua olim Archimedes in Mechanicis & Hydroſtaticis, recentius Gallilæus in Staticis, Mathematici in univerſum omnes in ſcientiis opticis, Newtonus in Philoſophiæ naturalis principiis mathematicis & Wolfius in Aerometria uſi fuerint, ut ſcilicet primum multiplici experimento corporum vires perquirantur & inde, poſthabita cauſarum indagatione, phænomena enucleentur. Enimvero nos apprime probamus methodum philoſophandi, quæ Matheſin ad experimenta applicat & theoremata generalia demonſtrat, unde phænomena prædicere licet; & ultro concedimus, quæ ex Wolfii præfatione ad Aerometriam in Actis (Erud.) A. 1710. p. 25. de eadem retulimus. Miramur vero, qui fieri potuerit, ut contrariam ſententiam nobis imputaret *Freindius*. Ipſe nimirum ſtatim ab initio Vindiciarum ſuarum fatetur, *nos modum, quo experimenta chymica ad naturæ leges perpendere aggreſſus ſit, ne attingere quidem; principia ipſa convellere conari.* Qui vero principium aliquod, quo quis ad explicanda phænomena chymica utitur, convellere conatur, is ſane methodum ipſam philoſophandi non improbat.

Præterea Cl. *Freindius* ea methodo, qua Archimedes & alii ejus veſtigiis inſiſtentes philoſophati ſunt, minime utitur; ſed more vulgari quorundam chymiæ phænomenorum rationes reddere conatur. Neque enim ut Archimedes ad experientias indubias Geometriæ applicata theoremata demonſtravit, ex quibus phænomena prædici poſſunt. Ideo de opuſculo ejus differentes loc. cit. p. 416. epilogi loco addidimus: *tum demum dicendum, Chymicos in theoria valde profeciſſe, cum effecerint, ut experimenta nondum capta ex conſtitutis principiis prædici poſſint,* hoc eſt, quando methodo *Archimedea* philoſophati fuerint. Apparet itaque, nos eo in loco commendaſſe Atchimedeam methodum, ubi eam impugnari aſſerit *Freindius*. Quantum enim diſcriminis inter eam & Freindianam intercedat, primo intuitu comparebit, Prælectiones chymicas Freindii cum libris Archimedis de inſidentibus humido collaturo. *Archimedes* ſane eo, quo *Freindius*, modo philoſophatus fuiſſet, ſi diverſum corporum gravium in diverſis fluidis pondus obſervans *vim*

aliquam abſorbentem in fluidis finxiſſet, eamque abſolute inexplicabilem, & rationes phænomenorum circa gravitationem in fluidis phyſicas redditurus dixiſſet, vim illam abſorbere tanto majorem gravitatis partem, quo fluidum denſius ſeu pluribus particulis conſtat, per quas vis illa abſorbens æqualiter diſſeminata. Quodſi ita viſum fuerit Cl. *Freindio*, nos eadem concinnitate omnia gravitationis corporum in fluidis phænomena per hanc vim abſorbentem (quam dubio procul nobiſcum pro figmento habet) explicabimus, qua ipſe phænomena chymica per vim attractricem enuncleat. Immo dabimus theoremata de vi abſorbente geometrice demonſtrata: Geometria enim æque in figmento, ac in vera hypotheſi munere ſuo fungitur. Sed agedum! potius ipſe periclitetur ingenii ſui vires in aliquot theorematis chymicis eruendis, qualia in hydroſtaticis dedit Archimedes, certo perſuaſus, nos eodem ipſum elogio, quod Archimedi tribuit, mactaturos.

2. Fallitur totus Cl. *Freindius*, dum a nobis ideo potiſſimum vim attractricem rejici affirmat, quod per rationes mechanicas minime explicari poſſit, adeoque velle, ut nihil in phyſica admittatur, niſi cujus cauſa ſit perſpecta. Qui enim verba noſtra in Actis A. 1710. p. 412. cum attentione legit, ſtatim animadvertit, nos vim attractricem impugnare, quatenus pro primitiva habetur, ac inde probare, quod Antagoniſta eam pro primitiva habeat, quia per rationes mechanicas explicari poſſe negat. Licet autem in ſuis Vindiciis videri velit, quaſi eam ſaltem ut phænomenon admittat, quomodo gravitatem, elaterem & electricitatem admittimus; ſibi tamen minime conſtat. Neque enim contradicit, *ſi quis eam neque materiæ neceſſario ingenitam, neque rationibus mechanicis explicandam cenſens in voluntatem Dei reſoluit.* Enimvero qui vim attractricem admittit ut cauſam phænomenorum ſua natura inexplicabilem, cujus non alia aſſignari poſſit ratio præter voluntatem divinam; is utique vim attractricem non admittit ut phænomenon, ſed ut qualitatem occultam, adeoque ad ſcholæ battologias redit: id quod ipſo gravitatis exemplo facile illuſtrari poteſt. Si quis enim quæſitus, cur corpora ſublunaria nitantur verſus centrum terræ, cauſam in gravitatem conjicit, eamque pro vi primitiva in ſe explicabili & ex mero Dei arbitrio corporibus impreſſa venditat, gravitatem pro qualitate occulta habet. Phænomenon enim eſt, gravia niti verſus

ſus centrum terræ, ſed rationem redditurus per gravitatem utique aut ταυτολογίζει aut monſtrum in natura minime exiſtens fingit. Similiter phænomenon eſt, planetas lineas curvas deſcribere, & hinc ratione colligitur, eas duplici vi urgeri debere, altera qua progrederentur per tangentem in linea recta, altera qua continuo directionem mutare cogantur. Poteſt aliquis motus rationem per Geometriam demonſtrare, inſuper habitis cauſis duplicis iſtius impulſus. Sed ſi quis rationem phyſicam redditurus ad vires a Deo impreſſas confugiat; is omnino qualitates occultas introducit: neque enim aliam virium notionem habet, quam quæ phænomeno reſpondet. Vnde aut dat ſine mente ſonos, aut in imaginatione idolum fingit, cujus exiſtentiam probare nequit. Deſinat igitur Cl. *Freindius* ægre ferre, quod iſtiusmodi entia figmenta dixerimus. Talia enim entia, quorum nulla datur ratio, niſi voluntas Numinis, in rerum natura exiſtere non poſſunt, cum eſſentia rerum ab indifferenti Dei arbitrio minime pendeant, ſed in intellectu divino repreſentatæ fuerint ante omne decretum.

Fruſtra vero veretur Antagoniſta, *ne hac ratione notio Dei cuncta providentis atque moderantis ex animis hominum evellatur.* Qui enim res methaphyſicas altius ſcrutati ſunt, in eſſentiis rerum, non modo principia geometrica, ſed & metaphyſica agnoſcunt, quorum illa ſunt fundamentum ejus, quod in rebus abſolute neceſſarium, hæc gradus perfectionis determinant, ut adeo ex multis poſſibilibus in intellectu divino repræſentatis unum cum ratione eligi potuerit. Atque adeo in philoſophicis nunquam recurrendum ad voluntatem Dei, niſi cum quæſtio fuerit, cur ex numero multorum ſua natura æque poſſibilium hoc potius exiſtat, quam aliud. Neque hic ad nutum Numinis ſine ratione provocandum: quin ſemper demonſtrandum, Deum hoc voluiſſe cum ſumma ratione, hoc eſt, rem in ſuo genere eſſe perfectiſſimam.

Quamvis autem Cl. *Freindius* admodum confidenter vim attractricem *inter principia jam diu pro certiſſimis habita* reponat; quo jure tamen id fiat, utique nos ignorare lubentes fatemur. Antequam enim Latina opticæ *Newtonianæ* editio prodiret (prodiit autem A. 1706.) nihil, ſaltem apud nos, de vi iſta inauditum, nec ullum hactenus videre contigit, qui ad eam adſtruendam argumenta

ta quædam proferret. Omnes, quos vidimus, unice ad Latinam *Opticæ Newtonianæ* editionem provocant & in ea vis hujus exiſtentiam demonſtratam eſſe affirmant, autoritate profecto magis, quam rationibus adducti. Etenim in Actis A. 1711. p. 221. jam monuimus, illuſtrem *Newtonum* pro ea, quæ ipſi eſt, ingenii perſpicacia per ſua experimenta nondum plene convictum eſſe, quod vis iſta tanquam phænomenon ſit admittenda; ſed intra coniecturarum limites ſubſiſtere. Neque inter Anglos ipſos eandem omnes admittunt. Certe Cl. Liſterus jam A. 1709. illam in numerum *principiorum precariorum* retulit & phænomenorum rationes inde reddentes *ignotum per ignotius exponere* judicavit. Inter exteros nemo adhuc repertus eſt, qui novum attractionis ſyſtema phyſice probaret. Sunt vero plures qui idem impugnarunt. Si gravitatis exiſtentia adeo adhuc in obſcuro lateret, ut plures eandem improbarent, quam defenderent, & nonniſi unus ex quibusdam phænomenis, quæ tamen ipſemet inſufficientia agnoſceret ad aliquid certo ſtatuendum, eam ſuſpicaretur; nemo profecto gravitate tanquam principio conceſſo uti poſſet, niſi in leges philoſophandi fundamentales peccare vellet. Agnoſcat igitur Cl. *Freindius* nos multo æquius cum ipſo egiſſe, quam par erat. Poteramus enim attractionem rejicere ut phænomenon, quam diu exiſtentia ſufficienter probata non eſt: ſed nos tantum eam impugnavimus, quatenus habetur pro principio primitivo ſeu abſolute inexplicabili, in dubio relinquentes, utrum aliquando experimenta ſufficientia quiſpiam allaturus ſit, nec ne, ad eam ut phænomenon perſuadendam.

Cum igitur *Freindius* glorietur, plura ſibi præſto eſſe experimenta vis attractricis exiſtentiam probantia, quam unquam alii ad demonſtrandam aëris gravitatem ſint allaturi; rogamus ipſum, ut ea in publicum proferat, & ſi per ea eadem evidentia conſtabit, materiæ maſſulas ſe mutuo attrahere, qua gravia deorſum niti experimur, attractionem in poſterum ut phænomenon admittentes, patiemur, ut in corporibus, quibus ea attractio ineſſe clariſſime obſervatur, tanquam cauſa aliorum phænomenorum allegetur, quæ per eam ſufficienter explicari poſſunt, licet conſtanter inter qualitatum occultarum defenſores relaturi ſimus, quotquot ex hoc phænomeno principium quoddam primitivum, hoc eſt, abſolute inexplicabile effingent.

Ni

Ni fallimur, *Freindius* demonſtrare ſatagit vis controverſæ *exiſtentiam*, dum ait: *Experientia comprobatum eſt, radios lucis, quæ a Sole, ſtellis inerrantibus, vel etiam ab eo, quo utimur igne, dimanant, verſus oras ſolidorum corporum æqualiter allici; ea autem immotabilis naturæ lex eſt, ut, ubicunque ſit actio, ibi una non poſſit non eſſe reactio. Itaque vere & jure concluſuri videmur, principium hoc, quod attractionis nomine vocamus, tum revera exiſtere, tum per univerſam omnino materiam diffundi. Quod licet in omni materia inhæreſcat, id tamen in minutiſſimis Corpuſculis vim ſuam ad ſenſum magis patefacere demonſtravit Vir in Phyſiologia acutiſſimus* Dn. Keilius. Enimvero quis non videt, aſſumi, minime autem probari, radios lucis a corporibus allici ſeu attrahi, quaſi vis quædam in corpore illuminando reſidens in diſtans operetur & radios alioquin prætervecturos ad objectum adducat. Quis enim obſecro unquam dixerit, cauſam, cur globus propulſus in parietem impingat, eſſe vim quandam attractricem, quæ in pariete reſidet modoque ignoto in diſtans operatur? Profecto qui ita ratiocinantur, eos qualitates occultas in philoſophiam revocare, imo nugari nobiſcum fatebuntur omnes.

3. Cum adeo pro certo habeamus, vim attractricem ut principium primitivum eſſe phyſice loquendo abſolute impoſſibile, nec ſufficienter hactenus probatum exiſtimemus, quod tanquam phænomenon in omni materia ſit admittendum: ſine ulla veritatis ſpecie aſſerit antagoniſta, omnem noſtram argumentationem huc tandem redire: *Si unum aliquod principium, quod in rerum natura exiſtere obſervatione certa compertum eſt, concedimus, ideo oportet etiam alia quæ nunquam extiterunt, approbare, uti verbi gratia, ſi gravitatem agnoſcimus, quam corporibus quibuscunque ineſſe certo animadvertimus, quanquam illius cauſam prorſus neſcimus, idcirco fabulas Philoſophorum omnes & commenta amplecti neceſſe eſt, quæ nec experientia ulla confirmari, nec ratione explicari queunt.* Huc enim noſtra redit argumentatio: ſi vni concedendum, ut ſine ratione aſſumat principium aliquod, quod in rerum natura exiſtere fingit, quia veras phænomenorum cauſas ignorat &, ut probandi onus declinet, pro abſolute inexplicabili venditet, pari certe jure & alteri concedendum erit, ut ſine ratione aſſumat principia alia, quæ NB. ipſe

agnoſcit inexplicabilia. In hac vero argumentatione nihil unquam abſurditatis monſtrabit Antagoniſta.

4. Denique cum aſſeruimus, ſi quo in caſu maſſulæ corporum ſe attrahi videantur, id non inepte a Viris doctis jam explicatum eſſe, ſtatuendo plurimas materiæ particulas ſphæra quadam magnetica fluidi ſubtilioris eſſe circumdatas, cujus motu (ut in magnetibus noſtris videmus) attrahant ſe invicem aut repellant: quivis, cui eſt animus ab effectibus ac præjudiciis liber, facile intelligit, nos contendere, attractionem maſſularum eodem modo fieri debere, quo magnes trahit ferrum, conſequenter a pulſu fluidi cujusdam ambientis rationem petendam eſſe. Nequaquam igitur fingimus ſphæram magneticam ut ens ſua natura inexplicabile, etſi fieri poſſit, ut nondum adæquate eam explicare valeamus: neque ipſimet, quia voce attractionis utimur de phænomeno ex hypotheſi loquentes, vim attractricem in ſubſidium vocamus: Quis enim unquam affirmare auſus eſt, Copernicanos ipſos motum Solis ad explicandum ejus ortum in ſubſidium vocare, quando ajunt, Solem intervallo 24 horarum ſemet appellere ad horizontem ortivum, quia tellus intra hoc ſpatium motum vertiginis intra axem abſoluit. Sed piget iis ulterius immorari, quæ ſponte ſua corruunt: id unice adhuc addidiſſe contenti, illuſtris *Leibnitii dynamica* Cl. *Freindio* minime eſſe perſpecta, ſiquidem vim, quam is materiæ eſſentialem ſtatuit, eandem cum vi ſua attractrice judicat. Tanto enim intervallo diſſident, quanto cœlum diſtat ab aſtris. Fallitur quoque idem Freindius, dum audacter pronunciat, quæ Leibnitius in his Actis de communi errore momenta corporum ex ratione compoſita maſſæ ac celeritatis æſtimantium annotavit, *una fere Mathematicorum voce atque ſententia improbari.* Geometræ enim perſpicaciſſimi dudum agnovere hanc veritatem, & rigoroſis demonſtrationibus corroborarunt. Certe acutiſſimus *Bernoullius*, cui ſummorum Geometrarum paralogiſmos perſpicere datum eſt, demonſtrationem geometricam theorematis Leibnitiani invenit, quam dudum cum *Voldero* & *Wolfio* aliisque communicavit, & qua priorem pertinaciter receptæ opinioni adhærentem tandem eo adduxit, ut manus victas daret. Similiter aliam invenit celeberrimus *Hermannus*, qua celebris nominis Mathematicos ejusdem veritatis convicit.

Immo

Immo ipſe inventor *Leibnitius* elegantem theorematis ſui ex principiis mere metaphyſicis contexuit demonſtrationem, ſed eam rigoroſam maxime atque profundam, quam ante annos complures cum *Bernoullio* atque *Wolfio*, forſan & aliis communicavit. Hæc quidem hac vice ad Cl. *Freindii* vindicias reſpondere viſum eſt: ſed ne præter intentionem noſtram Acta Eruditorum in theatrum controverſiarum abeant, in poſterum noſtra ſpernentes ſuo abundare genio patiemur. Inprimis eos reſponſione indignos judicabimus, qui convitiis extorquere voluerint, ut doceantur. Quamobrem *Mayerum* quendam non eo, quo par erat, animo agnoſcentem, quæ commodo ipſius in Actis A. 1712. p. 348. monueramus, ſuo in fingendo ſenſu abundare & vano affectuum impetui pœnas dare facile patimur: lites enim ut eruditos dedecent, ita nec in Actis Eruditorum locum merentur.

Num. XXI.

Relatio de novo barometrorum & thermometrorum concordantium genere (Fahrenheiti) 1714.

Utraque hactenus inter ſe non conſpiraſſe. Fahrenheitiana deſcribuntur, & probantur.

Caloris inæqualitas in partibus ejusdem corporis.

Si barometra & thermometra haberemus, quæ in eodem loco repoſita, easdem prorſus mutationes paterentur, fluido nempe in ſingulis ad eundem gradum una aſcendente ac deſcendente; facile apparet, obſervationes barometricas & thermometricas diverſis in locis diverſoque tempore diverſis inſtrumentis eodem in loco inſtitutis inter ſe comparari poſſe; ita ut e. g indicari poſſit vi noſtrarum obſervationum dies, quo calor aeris ejusque gravitas eadem prorſus fuit, quæ alio tempore dato Pariſiis vel alio in loco. Enimvero obſervatum eſt in Academia Regia Scientiarum Pariſina, (quemadmodum annotavimus in Actis A. 1707. p. 301, *) barometra ſimilia

*) *Potius p. 304. ſeqq. ex Hiſt. Acad. Pariſina de 1705.*

milia eodem Mercurio repleta & in eodem loco posita nunquam exacte conspirare, & in vulgus notum est, multo minorem esse thermometrorum concordiam. Quæ adeo hactenus desiderata fuerunt, barometra & thermometra concordantia exquisita industria construit *Daniel Gabriel Fahrenheit*, Dantiscanus, qui ab aliquo tempore apud nos commoratur & in conficiendis thermometris atque barometris tam simplicibus quam compositis excellit. Artificium, quo horum instrumentorum concordiam constanter ex voto obtinet, ob rationes domesticas adhuc reticet: effectum tamen observarunt multi, qui ejus thermometra & barometra sibi compararunt. Obtulit haud ita pridem duo thermometra Cl. *Wolfio*, Mathem. Professori Halensi, ut ea sub examen revocaret. In iis globulorum loco conspiciuntur cylindri, spiritu vini calore cœruleo tincto repleti. Altitudinem unius deprehendit digiti unius cum $\frac{3}{8}$ pedis regii Parisini (supponitur autem pes in 12 digitos divisus), alterius vero digiti unius cum $\frac{9}{16}$: diametrum illius reperit $\frac{13}{64}$, alterius vero $\frac{3}{16}$. Non tamen eadem est diameter per totum cylindrum & uterque cylindrus circa finem in sphæroides quoddam protuberat. Longitudo tubi prioris est 6 digitorum cum $\frac{11}{16}$, posterioris vero 6 $\frac{15}{16}$. Scala utrique eadem applicata, longitudinis 6 digitorum cum $\frac{7}{16}$: tota dividitur in 26 partes æquales, quarum unaquælibet in quatuor subdividitur. Parti secundæ a cylindro numeratæ adscribitur frigus vehementissimum, & ab eo usque ad extremitatem scalæ ascendendo numerat gradus 24, quorum quartus frigus ingens, octavus aerem frigidum, duodecimus temperatum, decimus sextus calidum, vigesimus calorem ingentem, 24 denique æstum intolerabilem indicat. Contendit autem *Fahrenheitus*, sibi constare methodum, qua quivis alius ubivis terrarum thermometra construere possit, suis etsi non visis similia, ita ut cum iisdem in eodem loco reposita ad eosdem scalarum similium gradus liquorem evectum, vel depressum exhibeant. *Wolfius* non solum per plurimos dies observavit in utroque thermometro liquorem constanter ad eundem gradum vel gradus ejusdem scapulum idem: verum etiam in locis calidioribus mox liquorem in utroque æqualiter prorsus ascendentem notavit. Cum utrumque eidem aquæ frigidæ una immergeret, æqualiter prorsus liquorem utrobique descendere animadvertit. Cum aliquando pollicem

licem manus unius cylindro unius, pollicem manus alterius cylindro alterius applicaret; inæqualitatem quandam, quamvis fere contemnendam, notavit: ſed permutatis cylindris, aſcenſus tardior factus eſt celerior & celerior contra tardior, didicitque adeo, calorem non prorſus eundem utrique pollici ineſſe. Aliam quoque differentiolam quandam ſibi obſervare viſus eſt, ſed adeo exiguam, ut in præſenti negotio jure pro nulla haberi poſſit: æſtimat enim eam $\frac{1}{16}$ unius gradus ſeu $\frac{1}{416}$ totius ſcalæ, hoc eſt, fere $\frac{1}{66}$ digiti unius pedis regii Pariſini.

Num. XXII.

Examen corollarii tertii ad propoſitionem ſeptimam Tractatus de Quadratura Circuli & Hyperbolæ per infinitas Parabolas & Hyperbolas geometrice exhibita a *R. P. D. Guidone Grando*, Magni Hetrariæ Ducis Theologo & Mathematico ac Philoſophiæ Profeſſore, in Academia Piſana, in quo Corollario quantitatem ex infinitis nullitatibus componi, ſtatuitur.

Proponitur Calculus Grandi, cujus Conſequentia negatur.

Poſteaquam inſignis Geometra P. Grandus in Prop. VII. elegantiſſimi Tractatus de Quadratura Circuli & Hyperbolæ aggregatum ex infinitis terminis geometrice proportionalibus ſinui verſo alicujus arcus æquari, accurate demonſtravit, ex hac ſua propoſitione ſequentem elicuit conſequentiam: ſeriem ſcilicet infinitarum linearum ſignis + & — alternatim affectarum dimidiæ lineæ æqualem eſſe, vel, ut Autor ipſe mentem ſuam explicat: *Eandem lineam infinities poſitam & infinities ſubtractam relinquere ſui medietatem.* In noviſſima laudati tractatus editione in 4, poſt hoc Corollarium hanc inſtantiam aſteriſco ſignatam, appoſuit. „Ag-

„gregatum ex infinitis differentiis infinitarum linearum *b*V ſive con-
„tinue ſive alterne ſumptarum eſt demum ſumma ex infinitis nulli-
„tatibus ſeu *o*, quomodo ergo quantitatem notabilem aggreget?
„At repono, ſubdit, eam infiniti vim agnoſcendam, ut etiam, quod
„per ſe nullum eſt multiplicando in aliquid commutet, ſicuti fini-
„tam magnitudinem dividendo in nullam degenerare cogit, unde per
„infinitam Dei creatoris potentiam omnia ex nihilo facta, omnia-
„que in nihilum redigi poſſe: neque adeo abſurdum eſſe, quanti-
„tatem aliquam, ut ita dicam, creari per infinitam multiplicatio-
„nem vel additionem ipſius nihili, aut quodvis quantum infinita di-
„viſione, aut ſubductione in nihilum redigi„. In ſequenti poſtea Scholio hanc reſponſionem ac Corollarium ipſum ſimilitudine quadam illuſtrare atque adverſus cujusdam Cenſoris ſtricturas defendere conatur doctiſſimus Autor.

Etſi vero tum ex hoc libro de Quadratura Circuli, tum ex aliis præclaris ſpeciminibus Autoris doctiſſimi ingenium plurimum ſuſpicio, impetrare tamen a me non potui, ut prædicto Corollario aſſenſum præberem, quanquam neceſſariam id propoſitionis veræ ſequelam eſſe videatur, quia ſemper neſcio quis ſcrupulus animum pungebat, quo minus pro evidenti veritate id admitterem. Inito vero examine connexionis Corollarii controverſi cum ſua propoſitione, ex qua deductum eſt, humani quid Autori alioqui perſpicaciſſimo accidiſſe mihi vidiſſe viſus ſum. Et cum Cl. Grandum veritatis amantem ſciam, non ægre ipſum laturum confido, ſi erroris fontem tum ipſi tum aliis breviter hoc loco atque modeſte aperuero, ad id vero propoſitionem ipſam cum ſubjuncto Corollario, tertio de quo ſolo agitur, duobus præcedentibus tanquam veris nunc ſilentio prætermiſſis.

Fig. 21. Super latus KI quadrati KB deſcripto ſemicirculo KHI, ducatur ex puncto I quælibet recta IHG ſemirculum in H, rectam vero VK in G ſecans, demiſſaque HL normali ad KI, ſi in recta GN diametro ſemicirculi KI æquidiſtante ac per punctum G ducta ſumatur ubique GD æqualis ſinui verſo IL arcus IH, punctum D erit in quadam curva IDS, cujus ordinata GD etiam æquabitur omnibus differentiis alternis, Y 1. 2. 3. 4. 5, &c. infinitorum terminorum geometricæ progreſſionis YG, 1G, 2G, 3G, 4G, 5G,

5G, &c. existentibus curvis K1b, K2b, K3b, K4b, K5b, &c. Parabolis primi, secundi, tertii, quarti, quinti &c. gradus & sic in infinitum per omnes reliquos, quadrato Vi priori KB æquali inscriptis. Hæc est propositio septima Cl. *Grandi* in libro supra laudato de Quadratura Circuli & Hyberbolæ. Ejus ingeniosa demonstratio breviter huc redit: Quod, quia ipsæ YG, 1G, 2G, &c. sunt in progressione geometrica, earum differentiæ etiam ut Y1, 12. 23. 34. 45. &c. futuræ sunt continue proportinales, tum etiam earum termini alterne sumti Y1, 23, 45, &c. Hinc vi ejus secundæ propositionis est series infinita Y1 + 1, 2 + 2, 3 + 3, 4 + &c. ad seriem Y1 + 2, 3 + 4, 5 + &c. Sicut Y1 — 2, 3 ad Y1 — 1, 2 quam posteriorem rationem ostendit æquari rationi IG^2 ad IK^2 seu IG ad IH aut KI ad LI, atque adeo, quia prior series Y1 + 12 + 23 + 34 + &c. = YG (nam hæc linea æquatur omnibus partibus simul sumtis quæ partes sunt omnes seriei hujus infinitæ termini) ideo etiam series Y1 + 23 + 45 + &c. = IL = GD. Quod erat demonstrandum.

Cùm ergo nulla habita ratione positionis puncti G in radio KV generaliter probatum sit, quod IL = GD = Y1 + 23 + 45 + &c. vel quod idem est, = YG — 1G + 2G — 3G + 46 — 56 + &c. si punctum G ponatur, in V adeo ut linea YG cadat super rectam *b*V, erit etiam VG hoc casu = *b*V — *b*V + *b*V — *b*V + *b*V — *b*V + &c. singulis YG, 1G, 2G, 3G, 4G, 5G, abeuntibus in *b*V. Sequi ergo videtur ex Propositione Autoris, *quod linea b V infinities posita & infinities subtracta sui medietatem relinquat*, ut habet toties jam nominatum Grandi Corollarium. Fateor quidem libenter consequentiam istam obiter inspectam ex propositione legitime deductam videri, adeo quidem, ut, superaccedente plausu Mathematicorum illorum non vulgarium de quibus Cl. Grandus p. 30. refert, ipsos Corollarii hujus novitate perculsos, atque in summam inauditæ inexspectatæque veritatis admirationem adductos fuisse, cum nihil huic stupendo paradoxo simile in tota Geometria se uspiam legisse testarentur, difficile fuerit Cl. Autori consequentiæ nævum animadvertere, qui tamen ultro in oculos ejus incurrisset, si indifferenti animo rem totam expendere voluisset, sed ostendendum est id, atque ob oculos ponendum, quod ejus perspicaciam fugisse videtur.

Galilæus

Galilæus olim per jocum, ut puto, probare conabatur ex eo quod ſuperficies in Cylindro Sphæræ circumſcripto ubique æqualis oſtenditur ſuperficiei portionis ſphæræ æque altæ, *Circumferentiam Circuli puncto æquari.* Iam ſi ex Cl. *Grando* quærerem, in quonam Galilæi ratiocinium deficere arbitretur? nullus dubito quin hanc reſponſionem reportaturus ſim: *Lynceum Philoſophum in hoc erraſſe, quod ab uno genere magnitudinis tranſitum fecerit in concluſione ad aliud diverſumque genus.* Quod ab æqualitate duarum ſuperficierum rerumque adeo homogenearum argumentatus ſit ad æqualitatem rerum heterogenearum lineæ cum puncto. Nam etſi ſuperficies illæ cylindrica & portionis hemiſphærii ſemper æquales ſint, quæcunque æqualis utriusque altitudo fuerit, non tamen ſequitur hanc æqualitatem adhuc ſubſiſtere poſſe aut debere cum communis utriusque altitudo eſt nulla ſeu 0, adeo ut cylindrus in circulum, hemiſphærii vero portio in punctum abeant; quia cylindrus nullius altitudinis non eſt cylindrus & portio hæmiſpærii altitudine deſtituta non eſt ſolidum, atque principium æqualitatis ſuperficierum duntaxat valet de Cylindrica & portionis æquialtæ ſphæræ. Non eſt quod dubitem Cl. Grandum ad hunc ferme ſenſum Galileani ratiocinii defectum detecturum. Huic jam ſimillimam reſponſionem ſuo corollario potuiſſet applicare. Nam ad probandam æqualitatem ſeriei infinitæ Y 1, + 23 + 45 &c. Cum ordinata GD vel ſinu verſo IL, uſus eſt principio æqualitatis ſeriei Y 1 + 12 + 23 + 34 + 45 + &c. cum recta YG. Sed omnes termini hujus ſeriei infinitæ nequeunt exhaurire rectam YG niſi termini YG, 1G, 2G, 3G, 4G &c. ſint in progreſſione Geometrica deſcendente ita ut infiniteſimus terminus primo YG ſit inaſſignabilis; hoc enim ſolo caſu prædicta ſeries æquabit lineam YG. Pone jam YG ex hoc ſitu transferri ſupra *b* V, & quid hac transpoſitione fiet? Scilicet progreſſio geometrica deſcendens YG, 1G, 2G, 3G &c. migrabit in progreſſionem terminorum æqualium *b*V, *b*V, *b*V, &c illiusque differentiæ Y 1, 12, 23, 34 &c. abibunt in differentias hujus, quæ omnes in punctum *b* contrahuntur, ac proinde juxta Cl. Grandium ſequeretur punctum *b*, (quod translata YG in *b*V continet omnes differentias Y 1, 12, 23, 34, 45 &c.) æquari rectæ YG. Ergo ex eo quod Cl. Grandus a progreſſione infinita & deſcendente ſaltum fecit a progreſſione infinita

finita & descendente saltum fecit ad progressionem infinitam terminorum æqualium, scilicet ab una re ad aliam diversæ naturæ, ideo perinde ac Galilæus fecit, concludere debuisset punctum *b* toti lineæ *b* V æquale esse, ita ut, si hanc consequentiam neget, ei etiam necessario negandum sit seriem infinitam terminorum Y 1 + 23 + 45 + &c. puncto *b* applicatam, scilicet *b* V — *b* V + *b* V — *b* V + *b* V — *b* V + &c. æquari ordinatæ VG quæ est semissis ipsius VB. Cum igitur nullum superſit dubium, quin Cl. Autor noster tanquam falsum atque illegitimum principium rejecturus sit æqualitatem puncti seu termini *b* lineæ *b* V cum hac linea; sic etiam Corollarium suum, *quod linea infinities posita & infinities ablata* sui semissem relinquat, falsum esse agnoscet atque ex vera Propositione male deductum; quod amore veritatis unice demonstrare nunc placuit.

Num. XXIII.

Nova literaria Mathematica de perpetuo mobili, Longitudine Maris & Quadratura Circuli.

1. *Machina Orffyrei prætensa, (cujus occultationis fraudes adhuc ignoti erant).*
2. *Tentamina globi tormentarii sursum explodendi.*
3. *Quadraturæ demonstrationem falli.*

Licet irrito per tot secula conatu Mathematicorum ingenia defatigaverint perpetuum mobile, longitudo maris & circuli quadratura, non tamen defuere anno proxime præterito, qui problematum hactenus desperatorum solutionem giganteo ausu denuo aggressi sunt. Perpetuum mobile construxit *Orffyreus*, Misnicus, vir in arte Medica quam profitetur, & in Chymia atque Mechanica versatissimus; Longitudinem Maris inveniendi methodum excogitarunt *Dittonus* atque *Whistonus* Angli, eruditionis fama præstantes; Circuli Quadraturam publicavit *Daniel Wæyvvel* Batavus, Orbi erudito hactenus ignotus. Præstanda præstitit Germanus; ingenio suo non prorsus indigna dedere Angli; infelix in demonstrando fuit Batavus.

Perpetuum mobile, quod Orffreus noſter conſtruxit, viderunt hominum myriades & rerum Mathematicarum atque Mechanicarum peritiſſimi admirati ſunt. Structura, quam inventor inventi præmium exſpectans ſtudioſe celat, ſimpliciſſima eſſe colligitur, quia nonniſi unica rota cum axe ſuo circumeunte conſtat. Diameter ejus quinque ulnas Lipſienſes non excedit, craſſities 6 digitos non ſuperat. Intervallo unius minuti horarii quinquaginta revolutiones abſolvuntur & rota libere pendula nec ulla motore externo ſenſibili impulſa obſtaculo remoto motum inchoat, eumque perenniter & æquabiliter admodum continuans pondus 60 imo 70 & amplius librarum ad aliquot orgyarum altitudinem attollere valet. Tam nobile inventum hactenus ſpectandum exhibuit inventor in pago quodam *Dreſchwitz*, non procul ab oppido Ciza ſito; ſed nunc locum mutare cogitur.

Sua de longitudine maris cogitata anno ſuperiori in peculiari ſcripto Londini ſermone patrio publicarunt *Whiſtonus* atque *Dittonus* ſub titulo: *A nevv Method for diſcovering the Longitude both at Sea and Land*, in 8v. Nimirum notum eſt, longitudinem maris ſeu meridianum, ad quem navis in mari pervenit, haberi, quamprimum hujus meridiani diſtantia a meridiano quodam alio notæ longitudinis innoteſcit. Quare cum experientia ipſos edocuerit, granatam maiorem (quam bombam vulgo vocant) e mortario perpendiculariter eiaculatam ad 6440. pedum altitudinem *) aſcendere & hinc in maxima elevatione ad 28. vel 30. milliaria Anglica **) videri; ad longitudinem maris inveniendam perquam commodum cenſent, ſi paſſim per mare naves in ſitu ſuo anchorarum ope firmentur & ipſo mediæ noctis momento ex mortario in ipſis collocato quotidie bomba perpendiculariter eiaculetur.

Quodſi ergo loca illa unde bombæ aſcendunt, in mappis hydrographicis notentur, ut a nautis ope pyxidis magneticæ explorata plaga reperiri poſſint, longitudo loci, ad quem navis pervenit, latere amplius nequit, quoniam ex hora, quæ eſt in navi per mare lata, differentia meridianorum horaria nota eſt. Sed non hoc unico modo,

*) *Longe ultra quartam partem milliaris communis* 20 *mille pedum.*

**) *Quarum* $66\frac{4}{25}$ *ex relatione Haſii Gradum conſtituunt.*

modo, verum adhuc aliis eidem fundamento ſuperſtructis problema ſolvi poſſe docent. Ceterum quia *Dittonus* hanc methodum invenit primus, *Whiſtonus* poſtea cum ipſo inventum ulterius perfecit; ille ſub ſuo ſolo nomine alium adhuc de eodem tractatum prelo ſubjecit, qui propediem in publicum proditurus.

Denique Daniel *Waeyvvel* aliquot plagulas idiomate Batavo de quadratura circuli Amſtelodami ſub titulo: *Demonſtratie vvegens de quadratura circuli in 4t. edidit.* Rationum diametri ad peripheriam ut 1683. ad 5288 eſſe contendit. Singulari methodo ſe in his numeris inveſtigandis uſum profitetur, quam myſterii inſtar celat, cum ipſi ſufficiat oſtendiſſe, non aliam diametri ad peripheriam rationem eſſe poſſe quam 1683 ad 5288. Videamus, quomodo propoſitum ſuum exequatur. Circulo ADBE circumſcribit quadratum HXZI alterumque ADBE inſcribit. Aſſumit CK tantæ magnitudinis, ut peripheria CTKO ſit diametro DE æqualis. Denique circa diametros PK & ED ellipſin DPEK & circa PK circulum PLKG deſcribit. Ponit iam diametrum $AB = 2r$, peripheriam $DAEB = c$, diametrum $CK = f$, circumferentiam $GPLK = d$. Quare cum ſit $CK : DE = PK : PGKL$; reperietur $d = 4r$, & hinc porro area circuli PGKL ſeu $\frac{1}{2}fd = 2r\,s = QPKV$. Similiter quia $CK : DE = AB : ADBE$; reperietur $c = 4rr : f$, & hinc ulterius area circuli $ADBE = 2r^3 : f$. Quoniam itaque ellipſis $PDKEP = Z^2$ media proportionalis inter circulos circumſcriptum ADBE & inſcriptum PGKL; erit $Z^4 = \frac{1}{4}crdf = 4r^4$, adeoque $Z^2 = V\frac{1}{4}crdf = 2r^2 = \square ADBE$. Manifeſtum quoque lunulas ellipticas PGKDP, & PLKEB eſſe rectangulis APQH & KBIV æquales, imo $Ae\,DA \simeq ACFA \simeq \Delta eDg\,PH$ & $DCPD \simeq \Delta\, ADCA$ & circulum $COKT \simeq \Delta\, CDK$. His conditionibus non alios numeros, quam ſuos ſatisfacere, ſic oſtendere conatur. Iubet CK aſſumi $S \pm a$ & inde eodem, quo ante, modo elicit $Z^2 \simeq \frac{1}{2}\sqrt{(crds \pm crad)} \simeq 2r^2$. Cum vero in calculo præcedente fuerit $Z^2 \simeq \frac{1}{2}\sqrt{crds}$; contradictionem involuere ipſi videtur, quod nunc ſit $Z^2 \simeq \frac{1}{2}\sqrt{crds} \pm \frac{1}{2}\sqrt{crad}$ (perperam enim $\frac{1}{2}\sqrt{(crds \pm crad)}$ & $\frac{1}{2}\sqrt{crds} \mp \frac{1}{2}\sqrt{crd}$ pro una eademque quantitate habet). Enimvero quomodo hinc concludi poſſit, CK eſſe debere s, non vero $s \pm a$ nulla ratione apparet, quoniam valores indeterminati ad arbitrium aſſumi poſſent. Subjicit demon-

Fig. 16

ſtrationem, quam vocat, in numeris, ponens $2r = 50$: unde ob rationem diametri ad peripheriam 1683: 5288 $CK = ſ = \frac{4207\,5}{2644}$, $ADBE = \frac{1}{2}\,cr = \frac{3305000}{1683}$, $PGKL = \frac{1}{2}ſd = \frac{2103750}{2644}$, tandemque $Z^2 = V\frac{1}{4}\,crds = 1250 = 2r\,r = 50.\,25$. Quodſi hæc demonſtratio valet, eodem prorſus modo oſtenditur, rationem diametri ad peripheriam eſſe ut numerum quemvis ad quemcunque alium. Ponamus enim eſſe $= 1 : 3$ & ut ante $AB = 50$, erit $ADBE = 1875$, $PGKL = \frac{2500}{3}$, tandemqne prorſus ut ante $Z^2 = 1250$. Ponamus eandem rationem eſſe $= 1 : 100$, $AB = 50$, erit $ADBE = 62500$, $PGKL = \frac{100}{4}$, tandemque denuo ut ante $Z^2 = 1250$, & ſic in infinitum.

Num. XXIV.

C. Wolfii Meditatio de SIMILITUDINE FIGURARUM præſertim curvilinearum & conſtructione Lunularum Cyclico-parabolicarum ſimilium datamque inter ſe rationem habentium.

Principia ſimilitudinis hactenus nondum ſunt evoluta
Similium definitio Leibnitii, critèria.
Applicatio ſimilitudinis ad curvas figuras.
Lineæ homologæ quid?
Elementa linearum & comparationes exinde.
Exemplum fig. 18. 19.
Lunularum quarumcunque conſtructio.
Alii tranſitus a rectis ad curvas.

Deſiderata hactenus in Geometria fuerunt principia ſimilitudinis: unde factum eſt, ut non modo ex principio alieno ac ſæpe per ambages ſimilium ſymptomata demonſtrata fuerint, verum etiam talia ſine probatione aſſumta, quæ utique probatione aliqua indigere videbantur. Ita *Euclides* aſſumit, figuras rectilineas ſimiles habere angulos ſingulos ſingulis æquales atque etiam latera circum

circum æquales angulos proportionalia; ſimiles conos & cylindros habere axes baſium diametris proportionales, ubi *Clavius* recte addit, ſi Scaleni fuerint, axes ſub eodem angulo ad diametros baſium inclinari: Illuſtris Marchio *Hoſpitalius* ſupponit, figuris curuilineis ſimilibus inſcribi poſſe figuras rectilineas ſimiles.

Enimvero non ſine ratione quæritur, cur illa criteria figurarum tam rectilinearum, quam curvilinearum, atque conorum & cylindrorum ſimilium conſtituantur? Ad hanc autem quæſtionem reſponderi nequit niſi ex generalibus de ſimilitudine principiis.

Cum ante quadriennium fere Illuſtris Leibnitius ſuam ſimilium definitionem mecum communicaret, *quod* nempe *ſimilia ſint, quæ diſcerni nequeunt niſi per compræſentiam*, ſubito mihi exoptata affulſit lux in hoc argumento Geometrico. Hinc enim ſtatim inferebam, *ſimilitudinem eſſe identitatem* eorum, per quæ res a ſe invicem diſcerni debent. Ut igitur conſtet, quænam ſint ſimilia, ad duo reſpiciendum eſſe intelligebam: nimirum 1) conſiderandum eſſe, quænam ſint ea, unde res a ſe invicem diſcerni queant; 2) inquirendum eſſe, quid ad hoc requiritur, ut eadem dici poſſint. Ne autem in recenſione proprietatum characteriſticarum ſimilium quicquam omittatur, ad ea potiſſimum reſpiciendum eſſe obſervavi, quibus datis reliqua determinantur. Quodſi enim data fuerint ſimilia & ex iis eodem modo duo vel plura determinentur; nullum eſt dubium, quin ea tota ſimilia ſint, adeoque etiam cetera, quæ ex datis determinantur eadem eſſe debeant. Hæc principia explicavi iisdemque uſus ſum in Elementis meis Matheſeos univerſæ, & inde non modo definitiones Euclideas planorum ac ſolidorum ſimilium demonſtravi, verum etiam novas easque faciliores exhibui demonſtrationes eorum, quæ de iis oſtendi ſolent in Geometria elementari.

Quoniam vero intelligo deſiderari a nonnullis applicationem eorundem principiorum ad figuras curvilineas; pauca de eadem in præſenti proponere viſum eſt, unde cetera haud difficulter intelliguntur. Notum eſt, datis quotcunque ſemiordinatis & abſciſſis, dari quotcunque puncta in linea curua, conſequenter omnia una determinari, quæ ullo modo inde pendent. Si igitur figuræ ſimiles hoc modo determinari debent, neceſſe eſt ut data, ex quibus determinantur, per ſe diſtingui nequeant, hoc eſt, ut in præſenti (vi

eorum, quæ in Elementis meis Matheſeos oſtendi) abſciſſæ eodem modo determinatæ ad ſuas ſemiordinatas eandem rationem habeant. Enimvero ut intelligatur, quomodo abſciſſæ eodem modo determinentur, exemplo aliquo res declaranda. Proponantur e. gr. duæ parabolæ AMN & *amn*. Aſſumatur abſciſſa AP utcunque: quodſi fiat, ut parameter Parabolæ MAN ad parametrum alterius *man* ita AP ad *ap*, abſciſſæ AP & *ap* eodem modo determinatæ ſunt dicunturque ſimiles, quia in parabola non alia datur linea conſtans præter parametrum, cumque abſciſſa diſtincte non cognoſcatur niſi per rationem ad parametrum, abſciſſæ AP & *ap* ob eandem ad parametros ſuas rationem diſcerni nequeunt. Iam cum tota ſimilia ſint, quæ ex ſimilibus datis eodem modo determinantur, neque arcus AM & *am* per ſe diſcernibiles ſunt adeoque in figuris ſimilibus eandem ad abſciſſas AP & *ap*, ad ſemiordinatas PM & *pm*, ad conſtantes unde abſciſſæ AP & *ap* determinatæ ſunt, & ita porro, rationem habere debent. Quodſi cui hæc non ſatis evidenter inferri videantur, quia vim principiorum noſtrorum animo nondum comprehendit; ex ſuppoſita analogia AP : PM = *ap* : *pm* idem facile evincemus. Quoniam enim AP : PM = *ap* : *pm*; erit etiam alternando AP : *ap* = PM : *pm*. Sit jam AP = *x*, PM = *y*, ratio conſtans AP : *ap* = *a* : *b*, reperietur *ap* = *bx* : *a* & *pm* = *by* : *a*. Quare cum elementum arcus AM ſit $\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$ erit elementum arcus $am = \sqrt{([b^2 dx^2 + b^2 dy^2] : a^2)}$, conſequenter AM : $am = \int\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : \int\sqrt{([b^2 dx^2 + b^2 dy^2] : a^2)} = \int\sqrt{(dx^2 + dy^2)} : \frac{b}{a}\int\sqrt{(dx^2 + dy^2)}$

$= 1 : \frac{b}{a} = a : b =$ AP : *ap* = PM : *pm*. q. e. d. Imo eadem ratione oſtenditur, quod Euclides de figuris rectilineis ſimilibus demonſtravit, quod nempe ſint in ratione duplicata homologorum laterum, idem univerſaliter de omnibus figuris ſimilibus enunciari debere. Sint enim omnia ut ante: quoniam elementum areæ AMP = *ydx*; erit elementum areæ $amp = b^2 ydx : a^2$, conſequenter AMP : $amp = \int ydx : \frac{b}{a}\,2\int ydx = a^2 = b^2 =$ AP^2 : *ap*^{2} = PM^2 : *pm*^{2} = AM^2 : *am*^{2}. Et generalius multo affirmare licet, omnes figuras ſimiles ac

Fig. 17. 18.

earum

earum partes quascunque ſimiles eſſe in ratione duplicata homologarum linearum. Patet autem ex antecedentibus, lineas homologas eſſe, quæ ſuppoſitis figuris ſimilibus eodem modo determinantur, veluti ſi AP & *ap* biſecentur, ex punctis C & *c* perpendiculares CD & *cd* ipſis AC & *ac* ſubduplæ erigantur, tandemque puncta D & N itemque *d* & *n* rectis DN & *dn* connectantur. Erunt nimirum lineæ DN & *dn* reliquis AP & *ap*, PM & *pm* &c. homologæ.

Optime etiam figuræ ſimiles diſcernuntur a reliquis per elementa, quibus ad geneſin earum opus eſt. In ſimilibus enim figuris elementa ſimilia eſſe debent. Unde cum circulus & parabola unica recta data deſcribi poſſint, omnis vero recta ſit alteri rectæ ſimilis adeoque per ſe ſine alia tertia aſſumta, ad quam utriusque ratio exigitur, una ab altera non diſcernibilis, vi ſuperiorum omnes circuli omnesque parabolæ ſimiles ſunt. Itaque non mirum, quod etiam circuli eorumque ſegmenta ſimilia, itemque parabolarum ſegmenta ſimilia, hoc eſt, quorum abſciſſæ ſunt parametris aut ſemiordinatis proportionales, habeant rationem duplicatam, illi quidem diametrorum atque chordarum arcuum ſimilium, hæc vero parametrorum, abſciſſarumque & ſemiordinatarum ſimilium. Nimirum omnes figuræ ejusdem ſpeciei inter ſe ſimiles ſunt, quando elementa, ex quibus generantur, diſſimilia eſſe nequeunt. Hinc intelligitur, e. gr. omnes cycloides eſſe inter ſe ſimiles, quia circuli genitores & rectæ, ſuper quibus incedunt, diſſimiles eſſe nequeunt, rectæ autem, utpote peripheriis circulorum genitorum æquales, ad diametros eorundem eandem rationem habent. Contra cum ellipſes & hyperbolæ datis duobus axibus vel diametris conjugatis deſcribi poſſint, uti ex Conicis notiſſimum eſt, binæ vero rectæ a binis aliis per rationem diſcerni poſſint; ellipſes & hyperbolæ ſimiles tum demum gignuntur, quando axes conjugati vel diametri conjugatæ utrobique in eadem ſunt ratione. Ex noſtris adeo principiis veluti ſponte ſua magno numero fluunt, quæ alias operoſe oſtendi debent. Plurimum autem refert, ut conſtet, quænam figuræ ſint ſimiles, quænam diſſimiles, quia in ſimilibus omnes lineæ ſive rectæ, ſive curuæ, modo eodem modo determinentur, inter ſe homologæ ſunt: quod utique non minus uſui eſſe poteſt, quam

triangu-

triangulorum ſimilitudo. Exemplum in præſenti ſufficiat ſequens.

Fig. 19. 20. Sit Lunula quæcunque DAEFD arcu parabolico DAE & circulari DFE, cujus centrum P, in axe parabolæ AX terminata: oportet conſtruere lunulam aliam cyclico-parabolicam *daefd*, quæ ſit priori ſimilis & ad eam datam habeat rationem $= a : b$. Ex antecedentibus conſtat, lunulas eſſe in ratione duplicata parametrorum. Cum enim tam DAECD & *daecd* quam DFECD & *dfecd* in ratione duplicata parametrorum exiſtant, erit DAECD: DFECD $=$ *daecd* : *dfecd*, adeoque dividendo & alternando DAEFD : *daefd* $=$ DAECD : *daecd*, conſequenter lunulæ DAECD & *daecd* in ratione duplicata parametrorum exiſtunt. Habent ergo parametri rationem ſubduplicatam lunularum, nempe ut a ad $\sqrt{ab}$. Quodſi ergo ad a, mediam proportionalem inter a & b atque parametrum parabolæ DAE, quarta proportionalis quæratur, habebitur parameter parabolæ *dae*, qua data conſtrui poteſt. Iam ut quoque arcus circuli *dfe* eodem modo determinetur, quo arcus DFE determinatus fuit; non ſufficit centrum *p* in axe *ax* aſſumi, quemadmodum centrum P in axe AX exiſtit, ſed radius quoque *fp* ipſi FP & *af* ipſi AF ſimilis eſſe debet: id quod per antecedentia obtinetur, ſi *fp* & *af* ad parametrum ſuam eam habuerit rationem, quam habent FP & AF ad parametrum ſibi reſpondentem, hoc eſt, *fp* ſit quartus proportionalis ad parametros parabolarum & radium FP, & *af* quarta proportionalis ad easdem parametros atque AF. Eodem modo conſtrui poſſunt lunulæ quotcunque aliæ ſimiles. Circumſpectione tamen opus eſt, ut ſingula eodem modo determinentur. E. gr. Omnes parabolæ ſunt inter ſe ſimiles & abſciſſæ AF atque *af* itidem ſimiles ſunt, ſi parametris proportionales. Ellipſes ſimiles ſunt, quorum axes conjugati ſunt proportionales. Quodſi tamen circa axes FX & *fx* ellipſes ſimiles deſcribas, lunulæ DAEFD & *daefd* non erunt ſimiles, niſi parabolarum parametri axium ellipticarum habuerint rationem: alias enim per rationem parametrorum ad axes lunulæ etiam non compræſentes diſtinguentur.

His principiis in Geometriam admiſſis, magna ex parte tandem ſatisfiet illis, qui conqueruntur, in Geometria tantum demonſtrari, quod

quod res ita ſint, non vero rationes reddi, cur ita ſint. Præterea longe plurima admodum univerſaliter demonſtrari poterunt. E. gr. in Elementis meis Sphæricorum jamdum oſtendi, multa quæ de angulis & figuris rectilineis demonſtrantur ab Euclide, ad angulos & figuras curvilineas applicari poſſe, ſi latera fuerint ſimilia, quoniam lineæ rectæ non conſiderantur ut rectæ, ſed ut ſimiles. Talia ſunt theoremata de angulis contiguis, & verticalibus, de parallelisino linearum, de ſimilitudine & congruentia triangulorum & ita porro.

Num. XXV.

Regula nova inveniendi logarithmum Summæ vel differentiæ duorum numerorum ſive rationalium ſive irrationalium, tam integrorum, quam fractorum, itemque potentiarum eorundem ſive ſimilium ſive diſſimilium, reperta a Chriſtiano Wolfio. 1715.

Meditationes Muſchelii Kepleri.

Meliores Hermanni. Exemplum, uſus.

Sæpius in praxi utiliſſimum exiſtit, ut inveniatur logarithmus ſummæ vel differentiæ duorum numerorum, quorum logarithmi dantur, ſive numeri ipſi fuerint noti, ſive minus. Enimvero hactenus deſideratur regula, qua id commode præſtari poſſit. Equidem non ignoro, Ioſephum Muſchelium de Moſchau in Ephemeridibus Academiæ Leopoldinæ Dec. III. A. IV. p. 102. & ſeqq. aliquam dediſſe; ſed cum fundamentum ejus non ſatis obvium ſit, difficulter memoria retinetur, nec commoda videtur, quæ in uſum communem recipiatur. Aſt regula a me inventa, cum ſimpliciſſimis & maxime communibus Trigonometriæ principiis nitatur, in poſterum elementis Trigonometriæ planæ adſcribi poterit. E re igitur eſſe duxi, ut eandem publici juris facerem. Ceterum non inconſultum puto hic monuiſſe, me primum ex ipſa numerorum in-

dole regulam aliquam hunc in finem inveſtigaſſe. Scilicet cum viderem in regula *Kepleriana*, qua in calculo eclipſium utuntur Aſtronomi, logarithmum differentiæ duorum quadratorum $[a^2 - b^2)$ inveniri conſiderando radicem ejus tanquam mediam proportionalem inter $a+b$ & $a-b$; Summæ duorum numerorum $a+b$ itemque differentiæ $a-b$ radicem conſiderabam inſtar mediæ proportionalis inter a & numerum quendam incognitum quem vocabam x. Erat igitur $a : \sqrt{(a+b)} = \sqrt{(a+b)} : x$, conſequenter $ax = a+b$ adeoque $x = 1+b : a$. Unde intelligebam, ſi logarithmus numeri a logarithmo ipſius b ſubtrahatur, reſiduum fore logarithmum ipſius $b : a$. Huic ſi reſpondens numerus in Canone evolvatur & unitati vel addatur, vel ab ea ſubtrahatur, proditurum numerum $1+b : a$. Quodſi tandem logarithmo hujus numeri $1+b : a$ e Canone excerpto addatur logarithmus ipſius a; nos habituros logarithmum ſummæ vel differentiæ numerorum a & b. Hanc regulam cum ad praxin transferrem, deprehendi nonniſi rariſſime (nempe ſi a metiatur b) logarithmum quotientis a per b diviſi in Canone exacte reperiri, etiamſi is non excedat numeros, quorum logarithmi in eodem exhibentur, adeoque utendum eſſe parte proportionali: quod adeo tædioſum fore ſuſpicabar, ut in praxi parum utilem crederem, quamdiu numerorum prægrandium logarithmi in Canone non extant. Ea itaque rejecta, de altera cogitare cœpi, quam nunc proponere viſum eſt, ubi monuero, me ex litteris celeberrimi *Hermanni* didiciſſe, quod in priorem regulam, quæ mihi inutilis viſa fuerat, jam multo ante inciderit, eademque privatos in uſus hactenus aſſervata in ipſis ſinuum quadratis & cubis non ſine ſucceſſu uſus fuerit.

Fig. 22. Sint duo numeri quicunque a & b; quæratur primo logarithmus ſummæ eorundem $a+b$. Concipiamus in triangulo rectangulo ABC eſſe AB $= \sqrt{a}$ & BC $= \sqrt{b}$, erit per notiſſimum Pythagoræ theorema AC $= \sqrt{(a+b)}$. Iam cum logarithmus ipſius AB ſeu $\sqrt{a}$ ſit dimidius logarithmus numeri a & logarithmus ipſius BC ſeu $\sqrt{b}$ dimidius logarithmus numeri b; ſit vero ut AB ad BC ita ſinus totus ad tangentem anguli A: datis logarithmis numerorum a & b, invenitur logarithmus tangentis anguli A, quo in Canone triangulorum artificiali evoluto habetur logarithmus

rithmus ſinus anguli A. Unde porro inferatur: ut logarithmus ſinus anguli A ad latus BC ſeu dimidium logarithmum numeri b, ita logarithmus ſinus totius ad logarithmum lateris AC ſeu $\surd (a+b)$. Ejus adeo duplus eſt logarithmus ſummæ numerorum $a+b$ quæſitus. Quodſi Canon Vlacci ad dena ſcrupula ſecunda conſtructus fuerit ad manus, raro utendem eſt parte proportionali, ſi logarithmo tangentis anguli A invento quæritur reſpondens ſinus, aut ubi eadem utendum fuerit, ut anguli A quantitas in ſcrupulis ſecundis exacte innoteſcat, tum quia logarithmorum, inter quos cadit inventus, differentia in ipſo Canone exhibetur, tum quia eadem in paucis notis conſiſtit, tum denique quod nonniſi per 10. multiplicanda, vel dividenda. Si logarithmus quæratur ſummæ dignitatum quarumcunque numerorum a^m+b^n; pono latus $AB = \surd a^m$ & $BC = \surd b^n$, hoc eſt, facto logarithmo lateris $AB = \frac{m\ la}{2}$. & logarithmo lateris $BC = \frac{m\ lb}{2}$ (nempe logarithmus numeri multiplicatur per exponentem dignitatis & factum dividitur bifariam) reliqua fiunt ut ante. Si a & b fuerint numeri fracti, evidens eſt pro logarithmis laterum AB & BC aſſumi debere dimidias differentias logarithmorum Denominatorum a logarithmis Numeratorum.

Sit jam porro quærendus logarithmus differentiæ duorum numerorum $a-b$. Concipiamus in triangulo rectangulo ABC eſſe hypothenuſam $AC = \surd a$ & crus unum $AB = \surd b$; erit per Pythagoræ theorema $BC = (\surd a - b)$. Inferatur vi trigonometriæ: ut AC ad ſinum totum ita BA ad ſinum anguli C. Quodſi logarithmus ſinus C in Canone evolvatur; habebitur quoque ejus coſinus, nempe ſinus anguli A. Fiat itaque porro: ut ſinus totus ad AC ita ſinus anguli A ad latus BC: erit duplus logarithmus ipſius BC logarithmus differentiæ numerorum $a-b$. Si logarithmus differentiæ dignitatum aut numerorum fractorum quæratur, eadem notanda ſunt, quæ paulo ante monuimus.

E. gr. quæratur logarithmus ſummæ ex cubis numerorum 3 & 7, hoc eſt, ſit $a = 3$ & $b = 7$, quaratur $l\ (a^3+b^3.)$ Quoniam

$la = 0.4771212547$ $lb = 0.8450980400$

erit $la^3 = 1.4313637641$ $lb^3 = 2.5352941200$

$l\sqrt{a^3} = 0.7156818821 = l$ BA $l\sqrt{a^3}$ 1.2676470600 $= l$BC.

Inferatur:

Log. AB	0. 7156818821	Log. Sin. A.	9983546376 9
CB	1. 2676470600	CB.	12676470600
Sin. tot.	10. 0000000000	Sin. tot.	10000000000 0
Log. Tang. A	10.5519651779.	Log. BC.	1.2841006831.
		Log. $a^3 + b^3$	2.5682013662

Quodſi tres ultimas notas rejicias &, quia dimidium ſuperant, ultimæ earum quæ retinentur, unitatem adjicias; prodibit logarithmus ſummæ ex cubis numerorum 3 & 7 ſeu numeri 370, 2.5682014, qui a logarithmo ejusdem numeri in Canone vulgari 2. 5682017 non niſi in nota ultima diſſidet, quamvis pars proportionalis in ſinus A logarithmo fuerit neglecta & angulorum A atque B differentia haud quaquam exigua exiſtat.

Hac ratione inveniri poteſt ſumma vel differentia duorum numerorum irrationalium in numeris rationalibus prope veris: quodſi enim logarithmus ſummæ vel differentiæ fuerit repertus, ipſa ſumma vel differentia ope Canonis eruetur prope vera.

Per noſtram regulam quoque ope logarithmorum reſolui poſſunt æquationes quadraticæ affectæ. Fiat nempe trianguli rectanguli ABC crus AB æquale dimidiæ quantitati cognitæ ſecundi termini & alterum BC æquale radici termini tertii, & hypothenuſæ AC inventæ addatur dimidia quantitas ſecundi termini ſi fuerit $x^2 - px - q = 0$, vel dematur, ſi fuerit $x^2 + px - q = 0$. Quodſi vero fuerit $x^2 - px + q = 0$, fiat AC dimidiæ quantitati cognitæ ſecundi termini æqualis & crus unum AB radici termini tertii, atque cruri BC invento addatur quantitas dimidia cognita ſecundi termini, vel illud ab hoc auferatur.

Num.

Num. XXVI.

Eclipsis Solis Anno MDCCXV. Die 3. Maji ante meridiem observata Vratislaviæ in Academia Leopoldina Soc. Jesu, quantum nubes subinde intervenientes patiebantur, a summe Reverendo *P. Christophoro Heinrich*, Soc. Jesu & Theolog. & Mathem. Professore, excerpta ex litteris ad Cl. *Wolfium* datis.

Phænomeni singularia.

Obscurationis digiti	horæ	minuta	secunda.
3	9	50	29.
5	-	59	50.
6	10	5	19.
10		33	46.
9		55	31.
$6\frac{1}{2}$	11	11	40.
6		15	44.
$5\frac{1}{2}$		19	16.
5		22	9.
4		28	46.
3		34	31.
$2\frac{1}{2}$		38	11.

Tempus annotatum est juxta horologium cum Sole concordatum, instructum pendulo, singulis vibrationibus unum secundum designante. Quantitas obscurationis innotuit ex disco Solis per tubum 4 pedum, vitro objectivo & lente oculari instructum, in planum candidum atque ad axem radii perpendiculare projecto, in digitos ac semidigitos & sexaginta cujuslibet digiti minuta diviso. Nec initium, nec finis videri potuit. Maximæ obscurationis quantitas, quousque durante nubium interval-

lo innoteſcere potuit, fuit 10 digitorum, 18 minutorum. Diameter lunaris umbræ (quemadmodum ex ampliatis variorum circulorum ſegmentis colligi potuit) ſuperavit Solis diametrum hujus minutis 34 minimum: nam adhuc majorem oſtenderunt duæ annotationes accurate conſentientes factæ per tria puncta in extremitatibus umbræ deſignata. Poſt immerſionem ſex circiter digitorum, lunaris umbra accepit limbum tenuem crocei coloris eundemque retinuit usque ad ſimilem emerſionis quantitatem, cum de reliquo ſine ullo colore adſcititio terminaretur. Medium eclipſeos, ſi differentia temporis, ſex digitorum incrementi & decrementi dimidietur, accidiſſe colligitur circa hor. 10. min. 40.

Ex litteris *Cl. Wolfii* habemus, quod toto eclipſeos tempore Halæ poſt nubes Sol delituerit, ita ut eclipſis obſervari non potuerit. Per intervalla quidem Sol inſtar Lunæ deficientis per nubes transparuit, ita ut nudo oculo pars eclipſata a lucida diſtingui potuerit; nihil tamen circa quantitatem accurate definire licuit. Quod ſi judicio oculorum in iſtiusmodi circumſtantiis facile fallaci fidere liceat; vix digitus unus in maxima obſcuratione lucidus ſuperfuit, etſi calculus *unum cum dimidio* ſuperfuturum prædiceret. Decrementum luminis in magna cœli nubili obſcuritate vix ac ne vix quidem perceptibile fuit: in thermometro vero ſenſibili ſatis intervallo liquor depreſſus.

Num. XXVII.

Regula nova eaque univerſalis inveniendi differentiam Potentiarum duarum quarumcunque, ſed ejusdem gradus, quarum radices ſive unitate, ſive quocunque numero alio differunt, reperta a *Chriſtiano Wolfio.*

Evolutio. Uſus in numeris quadratis & cubicis.

Caſu,

Caſu, ut arbitror, a veteribus primum animadverſum eſt, cum ſcilicet per ſummationem terminorum in progreſſionibus Arithmeticis numeros figuratos venarentur, numerorum quadratorum, quorum radices unitate differunt, differentias eſſe numeros impares ſummæ radicum æquales. Sed nemo hactenus docuit, quomodo generaliter inveniri poſſit differentia duarum potentiarum quarumcunque eiusdem gradus. Quare cum in theorema iſtiusmodi univerſale inciderim, e re eſſe duxi, ut ſupplementum Arithmeticæ hactenus deſideratum publici iuris facerem. Dico itaque ſi n fuerit numerus, $n+d$ alius quicunque, m exponens dignitatis, ad quam uterque numerus evehendus, & A, B, C, D, E ſignificent terminos ſeriei reſpective antecedentes differentiam dignitatum numerorum iſtorum fore $(n+d)^{m-1}\,d+\frac{m-1}{n}n^m$

$d+\frac{m-2}{2n}\mathrm{A}d+\frac{m-3}{3n}\mathrm{B}d+\frac{m-4}{4n}\mathrm{C}d+\frac{m-5}{5n}\mathrm{D}d+\frac{m-6}{6n}\mathrm{E}d$, &

ſic porro in infinitum. Quodſi radices unitate differant, hoc eſt, ſi fuerit $d=1$, erit differentia $(n+1)^{m-1}+\frac{m-1}{n}n^m+\frac{m-2}{2n}$

$\mathrm{A}+\frac{m-3}{3n}\mathrm{B}+\frac{m-4}{4n}\mathrm{C}+\frac{m-5}{5n}\mathrm{D}+\frac{m-6}{6n}\mathrm{E}$, & ſic porro in infinitum. Me non momente apparet, ſeriem in caſibus ſpecialibus abrumpi, quamprimum numerus ex m ſubducendus ipſi m fit æqualis, ita ut pro quadratorum differentia ſufficiant termini duo $(n+1)^{m-1}+\frac{m-1}{n}n^m$; pro differentia cuborum tres $(n+1)^{m-1}$

$+\frac{m-1}{n}n^m+\frac{m-2}{2n}\mathrm{A}$, & ita porro.

Demonſtratio. Potentiæ ſuperiores procreantur, ducta qualibet proxime inferiore in radicem. Quare ſi radix fuerit $n+d$, potentia ſuperior componitur ex proxime inferiore in differentiam radicum d ducta & ex eadem per numerum minorem n multiplicata. Unde ſi dignitas maxima ipſius n ſeu numeri minoris ſubducitur, differentia

præter

præter potentiam proxime inferiorem ipsius $n+d$ per d multiplicatam, hoc est, præter $(n+d)^{m-1}d$, constat ex natura potentiarum ex serie

$$\frac{m-1}{1}n^{m-1}d+\frac{m-1\ m-2}{1\ 2}n^{m-2}d^2+\frac{m-1\ m-2\ m-3}{1.\ 2\ 3}n^{m-3}d^3$$

$$+\frac{m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4}{1.\ 2.\ 3.\ 4.}n^{m-4}d^4+\frac{m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4.\ m-5}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.}n^{m-5}d^5$$

$$+\frac{m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4.\ m-5.\ m-6}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6.}n^{m-6}d^6$$ &c. in infinitum. Aequipollet vero hæc series alteri

$$\frac{m-1.}{n}n^md+\frac{m-1\ m-2}{1.\ 2.\ n^2}n^md^2+\frac{m-1.\ m-2.\ m-3.}{1.\ 2.\ 3.\ n^2}n^md^3+\frac{m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ n}n^md^4$$

$$+\frac{m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4.\ m-5.}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5\ n}n^md^5+\frac{m-1.}{1.}\cdot\frac{m-2.\ m-3.\ m-4.\ m.-5.\ m-6.}{2.\ 3.\ 4.\ 5.\ 6\ n}n^md^6$$ &c. in infinitum. Quare si seriei hujus terminus primus dicatur A, secundus B, tertius C, quartus D, &c. erit differentia potentiarum $(n+d)^{m-1}d$

$$+\frac{m-1}{n}m^m\,d+\frac{m-2}{2n}Ad+\frac{m-3}{3n}Bd+\frac{m-4}{4n}Cd+\frac{m-5}{5n}Dd$$

$$+\frac{m-6}{6n}Ed$$ &c. in infinitum. Q. e. d. Regula hæc, usum habebet insignem, si cui Canones numerorum quadratorum & cubicorum ulterius extendere consultum videretur. Nec minorem habet utilitatem in Canonibus jam conditis examinandis: immo utilis quoque est, si quis ope Canonis numerorum quadratorum & cubicorum potentias radicum ulteriores investigare voluerit.

Num.

Num. XXVIII.

Epiſtola pro eminente Mathematico Dn. *Ioanne Bernoullio* contra quendam ex Anglia Antagoniſtam ſcripta.

Bernoulli calculum integralem promovit, inverſum invenit.
Commercium Leibnitii cum Hoſpitalio.
Leibnitius ao. 1684. calc. int. primo propoſuit.
Minime vero Neutonus.
Inde calculus exponentialis Bernoulli.
Controverſiæ Anglorum pro Neutono,
Et ad excuſandum lapſum Newtoni; de cujus examine.
Tandem prætenſo errore typographico, id quod refellitur.
Newtono haud innotuiſſe methodum differentiandi differentialia.
Newtonum errorem ſuum correxiſſe, nulla tamen mentione facta Monitoris, pro more plurium Anglorum.
Imputata Bernullio de ſeriebus convergentibus, a Bernullio inventis.
Newtoni error de reſiſtentiæ proportione quam ipſe correxit, canonemque Bernoulli pro meliore agnovit.
Newtoni error de reſiſtentia aquæ, quam Bernoulli expoſuit.
Hujus ſententia de viribus centralibus Newtono perperam tributa, cum aliis.

Qui Tibi aſſeveravit, Vir celeberrime, quod inventio calculi integralis proprio Marte obtenta ſit a Dn. *Ioanne Bernoullio*, nihil a veritate alienum dicit; ſi præſertim hunc calculum a calculo differentiali, quem utique totum illuſtri *Leibnitio* deberi & iam apud ipſum *Bernoullium* extra controverſiam eſt, diſtinguere velimus. Quod ſi Tu contendas, calculum integralem eſſe tantum partem calculi differentialis, hoc quidem libenter largiar, ne in logomachiam abeamus: nihil interim impedit, quo minus hujus partis (quam etiam *Bernoullius* primus nomine integralis baptizavit) inventionem eidem tribuere liceat: quod Te non invito dixerim, modo attendere digneris ad geſtorum ſeriem. Reperies enim, Ampliſſimum *Leibnitium*, cui ſimilem calculum, quem *Summatorium* vocat, innotuiſſe nec ego nego, nec (quod novi) celeberrimus *Bernoullius* negat, nihil omnino ante ipſum Fratremque ejus in lucem edidiſſe, unde colligi potuiſſet, quomodo regulæ eſſent condendæ pro integrandis quantitatibus differentialibus; adeo ut ſuo Marte eruendæ *Bernoullio* fuerint, ex quibus algorithmum concinnavit. Eas autem regulas a ſe excogitatas primo Fratri aperuit,

qui, quod eorum ſoliditatem non ſtatim perciperet, initio ægre eas admittebat, veritus ne illarum uſus in paralogiſmos deduceret; mox vero demonſtrationum vim ſentiens adoptavit hunc calculum integralem & excoluit ipſe, retentoque ipſo nomine *integralis*, quod ei indiderat *Iohannes*, aliud commodius tunc neſciens, publice uſus eſt, & quidem prima vice (nihil enim antea hujus nominis uſurpatum in ullo libro invenies) in Actis Eruditorum A. 1690 p. 218, ubi oſtendit integrale quantitatis compoſitæ irrationalis $dy\sqrt{(bby - a^3)}$, qualis per calculum hunc nunquam antea fuit integrata. Illuſtris *Leibnitius* hujusmodi integrationem nunquam dederat publice. Dedit equidem in Actis An 1696. p. 297. exemplum integrationis, nempe ipſius xdx, ſed quod, ut ipſe notat, immediate adeo ex directo calculo differentiali fluit, ut nulla arte, nedum analyſi ad id opus fuerit: dicitque porro, quod $\int dx : \sqrt{(2x - x^2)}$, ſeu ut *Bernoullius* vocat, integrale ipſius dx exhibeat arcum circuli, quod quidem ex

$$\frac{}{\sqrt{2x - x^2}}$$

nuda arcus differentiatione patet: Sed hoc pariter pro methodo integrandi nihil confert. Interim *Iacobus Bernoullius* agnovit, demonſtratione curvæ *Leibnitianæ* his Actis inſertæ, in qua grave deſcendens æqualiter horizonti accedit, ſibi primum oculos apertos, ut uſum calculi differentialis ad problemata ſolvenda perſpiceret. Conſtat igitur ex hactenus dictis, calculum integralem & rem, & nomen a *Ioanne Bernoullio* habuiſſe, ſiquidem in juſtas regulas eum redactum & ad algorithmum quendam revocatum primus tractare docuit in forma analyſeos. Specimen inſigne ejus rei dedit per ſolutionem problematis catenarii, quod primo Fratri ſuo privatim propoſuerat, hic vero illud cum ſolvere non poſſet publice propoſuit, ut liquet ex Actis A. 1691, ubi plura alia exempla per calculum integralem a *Bernoulliis* ſoluta conſpiciuntur.

Fatendum tamen eſt, nec ſagaciſſimum mortalium *Leibnitium* in arte integrandi vel, ut ipſe vocat, ſummandi jam tum hoſpitem fuiſſe, qua ipſe problema catenariæ a *Jacobo Bernoullio* propoſitum a ſe ſolutum fuiſſe primus ſignificavit, quæ ſolutio poſtea cum altera *Ioannis Bernoullii* edita eſt in Actis Erud. Quousque *Ioanni Bernoullio* debeatur calculus integralis inventus & nunc paſſim uſitatus, nec

nec non & ipsius calculi differentialis promotio, & propagatio, loquuntur porro ea, quæ durante peregrinatione sua cum eruditis in scripto communicavit, præsertim in Gallia, ubi præ ceteris *Hospitalio* liberalissime omnia sua mysteria præsens ore & calamo, postea vero absens per litteras aperuit & explicavit.

Hospitalius deinde ex lectionibus a *Iohanne Bernoullio*, cum Parisiis commoraretur, in usum ipsius conscriptis ipsique traditis librum suum contexuit Gallicum de Analysi infinite parvorum, complectentem quidem tantum primam partem seu calculum differentialem: alteram vero seu calculum integralem postea traditurus erat, nisi morte occupatus fuisset; habebat enim ex MSC. *Bernoullianis* materiam ejus paratissimam. Id non ignorant plures Mathematici, qui eorundem MSC. apographa sibi compararunt, inter quos & ipse noster *Hermannus*, sicut & quidam alii Germani, nonnullique Itali & Angli, qui sub *Bernoullii* manuductione studia mathematica prosequentes facultatem ab ipso impetrarunt describendi primum illud apographum, quod ipsemet prudenti consilio descripserat ab originali, antequam nempe *Hospitalio* exhiberet, ne se proprio fœtu privaret. Quin & illustris *Leibnitius*, qui, quæ narravi, non ignorat, dictorum veritati testimonium perhibere posset, & partim jam perhibuit, quippe qui non tantum in litteris suis privatis tam ad ipsum *Bernoullium*, quam ad alios scriptis, sed & in Actis A. 1697. p. 202. publice profitetur; *calculum hunc jam Bernoulliis non minus quam sibi deberi.* Certe ut ab ipso originem habet, ita *Ioannis Bernoullii* potissimum opera invaluisse & promotum fuisse agnoscit ipse. Hæc vero, quæso Vir celeberrime, ne eo animo dicta putes, quasi de meritissimis laudibus *Leibnitii* quicquam detractum velim, aut Viro summo palmam dubiam reddere contendam: novi enim ipsum *Bernoullium* pro eo, qui excelsa ingenia comitatur, candore ausum hunc improbaturum. Non ægre adducor (id quod supra jam monui) ut credam, Virum hunc habuisse calculum suum summatorium in eadem perfectione, eodem tempore & forte citius, quam *Bernoullio* inventus esset calculus integralis; quid enim hujus Viri sagacitas penetrare non posset? Nihil itaque aliud evincere volui, quam quod *Bernoullius* ex propria sua industria calculum integralem seu differentialem inversum excogitaverit, ansam quidem præbente calculo

directo, & quod ante ipsum Fratremque ejus *Jacobum* nemo quicquam in lucem ediderit pro integrandis quantitatibus compositis & irrationalibus, quando interim *Bernoullii* varia ejus specimina primi exhibuerunt: ut ita non videam, cur inter inventores non æque poni mereatur *Johannes Bernoullius*, quam qui diu ante ipsum quoque eum possedisset, nihil tamen evulgasset.

Quod interim ad calculum differentialem proprie sic dictum attinet, ejus quidem inventionem, non invito *Bernoullio*, in solidum semper attribui *Leibnitio* &, quicquid dixerint Angli aliqui, etiamnum attribuo. Neque ignoro, *Bernoullium*, qui modestiæ limites nunquam transgreditur, nihil hactenus gloriæ popposcisse, nullamque inde lauream sibi arrogare: tametsi non tam paucis istis pagellis, in quibus calculum differentialem tanquam per ænigmatis nebulam conspiciendum proposuit *Leibnitius* in Actis A. 1684, calculus iste celebritatem acquisiverit, immo non tam ab eruditis intelligi cœperit ex illo Schediasmate, nedum inclarescere, quam frequentibus ænigmatis illius explicationibus & commentationibus, atque ex variis in eam rem & copiosis exhibitis speciminibus *Bernoullianis*, itemque ex *Johannis* apud exteros Geometras in itinere habitis conversationibus, sine quibus omnibus nescio annon calculus iste in pagellis illis sepultus etiamnum deliteſceret inglorius: cum enim per quatuor fere annos inibi latuisset a nemine perceptus, antequam *Bernoullii* eum in lucem protraherent, potuisset haud dubie diutius conquiescere sine strepitu, & forsitan tunc nunquam Anglorum æmulatio procitata fuisset.

Ex quibus ergo porro liquet, quid tenendum sit de lite illa inter Anglos aliquos & Germanos exorta, utrum scilicet *Newtonus*, an *Leibnitius* pro primo inventore hujus calculi sit habendus. Quæstio haud absimilis videtur ei, qua quæreretur, utrum hic vel ille primum lapidem jecerit præclari alicujus ædificii, quinam vero fuerint illi, qui ædificium ipsum ad fastigium suum vel saltem aliquousque evexerint, nemo esset qui quæreret: quasi nempe illi, qui rem quandam ab incunabulis inceptam longe promovent, nihil laudis, illi alii autem, qui prima ejus stamina posuere, soli omnem honoris mercedem meruissent: quod nec *Leibnitius* pro candore suo probat, qui se *Johannem Bernoullium* potissimum in extollendo ædificio

dificio adjutorem habuiſſe, & non exigua ab ipſo accepiſſe fatetur. Non jam urgeo, quod inique faciant, qui nihil penſi habent, cui attribuenda ſint tot alia inventa, quæ ſane nuda methodo ſive differentialium, ſive fluxionum nullo modo nituntur.

Ex innumeris, quæ ſilentio prætereo, ſit calculus exponentialis, per quem quantitates ad dimenſiones indeterminatas differentiare, curvasque ejusdem nominis tractare primus publice docuit *Bernoullius*, quod Tu ipſemet, Vir clariſſime, in litteris Tuis pro ea, qua es, æquitate agnoſcis. Abſit tamen ut negem, eundem primo jam innotuiſſe *Leibnitio*, qui & hoc nomen impoſuit, et de eo per litteras cum *Hugenio* diſceptavit, ſed non diffitetur quod eum *Bernoullius* primus publice adhibuerit, cum ipſi cognitum fuiſſe ignoraret. Poteram producere atque monſtrare Tibi, Vir clariſſime, excerpta quarundam epiſtolarum jam olim inter *Bernoullium* et Geometras quosdam commutatarum, quæ dictis his fidem conciliaſſent: Sed ne in molem nimiam excreſcant hæ litteræ, confiſusque cauſæ bonæ apud Te judicem æquiſſimum fidem habituræ, reliquum, quod ſupereſt, temporis ſpatium amoliendis a *Bernoullio* frivolis accuſationibus et impactionibus impendam, quibus eum oneravit Anglus quidam, qui, ut noſti, ſe pro *Newtono* crucifigi pateretur, et cui indifferens eſt omnia, quæ ab idolo ſuo proveniunt, tam mala, quam bona acerrime propugnare.

Iſte igitur in reſponſione ſua (quam potius invectivam dixeris) inſerta Diario Gallico litterario Hagienſi Menſ. Jul. & Aug. p. 320, arrepta occaſione præter omnem neceſſitatem *Bernoullium* perſtringit, variaque ipſi imputat, ad quæ me reponere oportet ſequentia. In ſcripto illo volante, quod ſub forma epiſtolæ d. 29 July 1713. in lucem prodiit, aſſeritur p. 3. *Newtonum* rationem veram capiendi fluxiones fluxionum, vel rectam methodum differentiandi differentialia nondum cognitam habuiſſe, cum ſcriberet ſua Principia Philoſophiæ naturalis mathematica, additurque per parentheſin, *hoc ab eminente quodam Mathematico dudum notatum eſſe.* Iam vero Anglus iſte conjectat, quod per hunc Mathematicum celeberrimus noſter *Bernoullius* ſit intelligendus, idque ex eo, quod in Actis A. 1712. p. 93, 94. *Newtono* imputaverit dediſſe modum differentiandi differentialia vitioſum per ſeriem quandam, cujus termini tertius,

tertius, quartus, quintus &c. ab ipso sumti sint perperam pro differentiali secundo, tertio, quarto &c. Hinc ergo Antagonista audax ansam capit suum in *Bernoullium* stringendi calamum, quo vero jure, quo successu, nunc patebit.

Observavit olim *Bernoullius* errorem, quem *Newtonus* commisit in Princip. Phil. mathem. edit. prim. p. 265, et quibusdam aliis in locis, ubi nempe aggressus est determinare rationem gravitatis ad resistentiam in corporibus datam lineam describentibus, quam proportionem a Newtono traditam cum deprehendisset erroneam & a sua diversam, ejus mentionem fecit in suo Schediasmate, quod de hac materia aliisque huc spectantibus publicavit in Actis A. 1713. mens. Febr. et Mart. nec aliter poterat, quam monere lectorem suum lapsus *Newtoniani*, ne si ipse animadversurus fuisset discrepantiam inter *Newtonianam* regulam & *Bernoullianam*, ille Viri summi autoritate motus vitium in regula sua latere præcipitanter judicaret: interim monuit de errore omni qua potuit civilitate & veluti in transitu, adeo ut mirer, Antagonistam dicere ausum, *quod hoc Schediasma in Actis pnblicaverit eum tantum in finem, ut hunc errorem Newtoni propalaret et toti mundo patefaceret.* Vid. Diarium Hagiense l. c. p. 345. Quasi nempe nihil aliud in eo egisset, quam quod errores alterius notasset: quod quam falsum sit judicent illi, qui virum ad abstrusa et abdita detegenda natum ab hoc more criticum agendi alienissimum norunt, et qui in illo specimine multa nova eademque præclara invenerunt & laudarunt. Sufficiebat equidem errorem *Newtoni* animadvertisse ex eo solo, quod ipsius regula abluderet a vera, quam demonstraverat *Bernoullius*, ipseque *Newtonus* postea monitus agnovit: poterat itaque nuda erroris detectione acquiescere *Bernoullius*, eumque in Actis simpliciter commemorare. Enimvero agnatus ipsius *Nicolaus*, cui lapsum *Newtoni* indicaverat, curiosus ex quo fonte originem traxisset, examinavit totam solutionem prop. 10, quæ in prima editione p. 260. Princip. Phil. extat, retulitque paulo post, sibi videri fontem erroris consistere in non recto usu seriei, quam *Newtonus* ibidem p. 263. adhibet, pro sumendis differentiis ulteriorum graduum, cujus nempe seriei, quæ per evolutionem vel extractionem radicis applicatæ curvæ exprimentis emergit, terminus tertius ex mente Newtoni exhibeat differentiam applicatæ secundam, terminus quartus

tus differentiam ejusdem tertiam et ita deinceps. Deceptus namque videbatur *Newtonus* successu duorum primorum terminorum, dum forte putavit, quemadmodum primus seriei terminus exponit applicatam ipsam, seu ejus differentiam nullanam, & secundus seriei terminus dat applicatæ differentiam primam, ita tertium seriei terminum dare differentiam secundam, quartum terminum differentiam tertiam & ita porro. Hæc cum vidisset *J. Bernoullius* probabilitate minime carere, nullam habebat rationem dubitandi, quin in hoc ipso cespitaverit *Newtonus:* in qua opinione eo magis confirmabatur, videns postea, *Newtonum* alio in loco aperte eandem hanc sententiam falsam fovisse de sumendis terminis seriei pro differentiis differentiarum. Inspice modo, si lubet, ejus Tractatum de quadratura curvarum, invenies ab initio Scholii, quod in fine subnectitur, hæc verba: „Quantitatum fluentium fluxiones esse primas, secundas, tertias, „quartas aliasque, diximus supra. Hæ fluxiones sunt ut termini „serierum infinitarum convergentium. Ut si z^n sit quantitas fluens, & fluendo evadat $(z+o)^n$ deinde resolvatur in seriem convergentem $z^n + n\,o\,z^{n-1} + \frac{nn-n}{2}\,o^2 z^{n-2} + \frac{n^3-3n^2}{6} + 2n\,o^3 z^{n-3}$ &c.

„terminus primus hujus seriei z^n, erit quantitas illa fluens; secun„dus $n\,o\,z^{n-1}$ erit ejus *incrementum primum* seu differentia pri„ma cui nascenti proportionalis est ejus fluxio prima, tertius „$\frac{nn-n}{2}\,o^2\,z^{n-2}$ erit ejus *incrementum secundum* seu differentia

„secunda, cui nascenti proportionalis est ejus fluxio secunda; quar„tus $\frac{n^3-3n^2+2n}{6}\,o^3\,z^{n-3}$ erit ejus incrementum *tertium* seu dif-

„ferentia tertia, cui nascenti fluxio tertia proportionalis, et sic de„inceps in infinitum.

Ergo disertis verbis *Newtonus* affirmat, terminum tertium esse incrementum secundum seu differentiam secundam et terminum quartum esse incrementum tertium seu differentiam tertiam; interim vera differentiandi methodus, quam *nunc* Newtoniani admittunt, docet, quod illius seriei terminus tertius sit tantum subduplum incrementi secundi seu differentiæ secundæ, et quartus terminus tantum

tum ſubſextuplum incrementi tertii ſeu differentiæ tertiæ. Sciendum autem, tres quatuorve jam diverſas editiones huius Tractatus de quadraturis in lucem prodiiſſe, in quibus omnibus hic locus citatus iisdem verbis et ſine ulla mutatione expreſſus conſpicitur, adeo ut nec *Newtonus* ipſe, ſub cujus auſpiciis et reviſione iteratæ hæ impreſſiones prodierunt, nec ullus alius ex ejus promachis tam perſpicax fuerit, qui ibi latentem inveniſſet errorem typographicum.

Sed audi, Vir nobiliſſime, quid poſtea factum. Scilicet Agnatus *Bernoullii* ante aliquot annos, ut noſti, apud Anglos agens monſtravit *Newtono* hunc locum pro argumento valiturum, quod error ipſius circa rationem reſiſtentiæ ad gravitatem commiſſus ex eo ortus fuerit, quod terminos ſuæ ſeriei convergentis p. 263. pro differentiis ulterioribus et ſpeciatim terminum tertium pro differentia ſecunda applicatæ perperam ſumſiſſet. Hujus argumenti vis cum facile eludi non poſſet, ſurgit nunc Antagoniſta, qui lynceus ſatis eſt, ut in verbis Newtonianis ex tractatu de quadraturis citatis primus perſpiciat, vel ſomniet potius, a typotheta fuiſſe erratum. Itaque in omnes ſe vertit partes torquetque ſe ceu mus in pice, ut lectori probet, lapſum hunc facillime committi potuiſſe a typotheta, etſi qui factum ſit, quod error toties recuſus non fuerit animadverſus, excuſare non curet. Interim videamus paulo propius, qua arte Antagoniſta incruſtare conetur commentum ſuum de vitio typographico et qua correctione eidem mederi ſe ſperet. P. 347. & 348. Diar. Litter. ita magiſtraliter intonat Antagoniſta: *Dans la lettre*, inquit - - - *la quelle eſt imprimée dans le Commercium, je fis voir, que les termes de la Suite convergente ont toujours une certaine proportion aux differences correſpondantes, & par conſequent, que ces termes avec le coëfficient o ſousentendu, pour les rendre infiniment petits, peuvent deſigner tres juſtement les differences des quantités, quand il ne s' agit que de conſiderer des proportions: Mr. Newton a auſſi fait voir la meme choſe a la fin de ſon traité des quadratures, mais il s' y eſt gliſſé une erreur dans l' imprimé, le mot* ut *ayant eté mis d'abord & enſuite oublié.* Ergo ſi antagoniſtæ credimus, culpa eſt typographi, qui particulam *ut* omiſit. Id vero credat Judæus Apella, non ego: fictio enim eſt tam craſſa tamque palpabilis, ut etiam imperitioribus vix illudere poſſit. Ne-

ſcio

ſcio ſane, annon longe melius honori ſummi *Newtoni* conſuluiſſet, ſi hic ſcapham ſcapham vocaſſet, confitendo rotunde, *Newtonum* ipſum aliquid humani paſſum & per inadvertentiam lapſum eſſe, quam quod ridicula adeo & ab omni veriſimilitudine aliena excuſatione culpam in typographum rejicere voluerit. Quod enim hæc excuſatio ne umbram quidem veriſimilitudinis habeat, vel hinc colligere eſt, quia particula illa *ut* non ſemel tantum omiſſa eſſe debuiſſet, tum (quod maxime arguit effictam excuſationem) quia in iteratis editionibus omiſſio illa iterata ſubterfugere debuiſſet correctoris forteque ipſius Newtoni revidentis curam. Hoc num probabile ſit, judicent alii. Sed & ridicula eſt excuſatio talisque videbitur, quicunque eam attente conferet cum verbis ipſis *Newtonianis*. Nam ſi ea ad mentem excuſatoris corrigere velimus, ſenſum fundent prorſus puerilem & tanto Viro indignum, adeo ut inſertio particulæ *ut* magis deformet quam emendet, potiusque infarciat inutile quam ut ſuppleat defectum. Immo forte a falſo in falſius dejicere poteſt lectorem talis infarctio. Quid enim ſi legendum eſſet, tertius terminus $\frac{nn-no^2}{2} z^{n-2}$ erit UT ejus incrementum ſecundum & quartus terminus $\frac{n^3-3n^2+2no^3}{6} z^{n-3}$ erit UT incrementum tertium; quid, inquam, annon Lector putaret, per particulam *ut* eandem utrobique proportionem indigitari? Hoc quippe ſenſus naturalis requirit, quaſi nempe *Newtonus* innuere voluiſſet, tertium terminum eſſe ad incrementum ſecundum ſicut eſt quartus terminus ad incrementum tertium: id quod falſiſſimum. Minime itaque probabile eſt, *Newtonum*, qui alioquin accuratus adeo eſt in expreſſionibus ſuis, voluiſſe lectorem ſuum in ambiguitate relinquere, & quidem tunc cum clariſſime & maxime determinate loqui potuiſſet & dicendo tantum, *tertius terminus erit ſubduplum incrementi ſecundi & quartus terminus erit ſubſextuplum incrementi tertii*: id quod poſtea antagoniſta ipſe (perſpiciens interim veram *Leibnitii* differentiandi differentialia rationem) probe obſervavit, dum in Commercio epiſtolico p. 115. ab initio agens de eadem materia non contentus dicere, terminos illos tertium & quar-

tum esse ut incrementa secundum & tertium; sed meliora edoctus diserte monet, priorem ex illis terminis esse dimidium incrementi secundi & alterum esse sextantem incrementi tertii. Sed piget plura dicere de conficta ista antagonistæ excusatione, cum, quam detorta, quam coacta sit, nemo non videat. Hoc unum adhuc addere liceat, antagonistam nimirum nimis quantum suffenum esse, ut credat, se solum sapere seque rem habere cum talpis, quibus cum cœcutiant quidlibet pro quolibet obtrudi potest. Ut enim commentum suum de omissione particulæ *ut* plausibilius reddat, pilulam istam inaurat his verbis: *le mot* Ut *ayant eté mis d^r abord & ensuite oublié*, quasi dicere vellet, *particula ista, de qua hic agitur, cum initio apposita sit, nemo non videt illam postea omissam esse per incuriam typothetæ.* Sed parum emunctæ naris oportet esse, cui dolus iste non suboleat, ubi enim illud *ut Newtonus* expressit, nempe in his verbis: *hæ fluxiones sunt ut termini serierum infinitarum convergentium*, alio omnino respexit, nullamque per consequens affinitatem habet illud ut hoc loco expressum cum altero, quod antagonista intrudere cupit in sequentibus lineis. Legenti namque facile patet, *Newtonum* hic per fluxiones intelligere non ipsas differentias nascentes, sed tantum velocitates, quibus nascuntur, quod utique sequitur ex verbis hisce: *differentia prima, cui nascenti proportionalis est fluxio prima;* adeo ut mirum non sit *Newtonum* hic dixisse, *Fluxiones sunt ut termini &c.:* quia dicere non poterat, *velocitates sunt lineæ, sed velocitates sunt ut lineæ.* Tantum igitur abest, ex eo, quod illud ut initio positum sit, concludi posse, *Newtonum* idem illud in sequentibus quoque in MSC. suo aut saltem in mente habuisse, ut potius contrarium sequatur. Nam ex ipso, quod putavit differentias exprimi per terminos seriei convergentis, differentiis vero ipsis cum sint proportionales fluxiones, naturali deductione, licet ex falso principio, collegit *fluxiones esse ut terminos serierum.* Faceſſat ergo tandem antagonista cum misero suo incrustamento.

Pergo nunc ad alterum argumentum speciosius revera, sed nihil magis solidum, quo antagonista probare nititur, *Newtono* tunc, cum Principia Philos. math. scriberet, jam innotuisse veram methodum differentiandi differentialia. Dixerat *Bernoullius* cum A-

gnato

gnato ſuo, errorem *Newtoni* circa determinationem reſiſtentiæ ad gravitatem ex eo veniſſe, quod *Newtonus* in Princip. p. 263. in ſerie quæ exprimit DG, terminum quemlibet ſumat pro aliqua ejus differentiali tanti gradus, quantæ dimenſionis exiſtit littera o in ipſo termino: quod aſſertum ſuum confirmari oſtenderunt per id, quod ſupra ex Tractatu de quadraturis excerpſimus; unde factum ut, quemadmodum ibi $\frac{ao}{e}$ ſumitur pro differentia prima ipſius DG & recte quidem, ita quoque ſecundum terminum $\frac{n^2 o^2}{2 e^3}$ pro ſecunda differentia & tertium $\frac{an^2 o^3}{2 e^5}$ pro tertia differentia ſumi debere falſo putaret. Nunc vero antagoniſta in Diario litterario p. 344. probaturus, *Newtonum* ſumſiſſe differentiam ſecundam æqualem ipſi $\frac{n^2 o^2}{e}$, non vero æqualem ipſi $\frac{n^2 o^2}{2 e^3}$, demonſtrationem aliquam adornat, qua evincitur, differentiam ſecundam eſſe $= FG + kl$, citatque Princ. p. 264, ubi *Newtonus* recte ponit $FG + kl$ æqualem duplo termini tertii, hoc eſt, ipſi $\frac{n^2 o^2}{e^3}$. Sed nihil hoc juvat antagoniſtam, niſi ſimul probet, *Newtonum* jam tum temporis, cum Principia ſua ſcriberet, ſciviſſe vel animadvertiſſe, quod $FG + kl$ ſit ſecunda differentia ipſius DG, ſiquidem ex hactenus dictis ſatis ſuperque conſtet, illum ſumſiſſe $FG + kl$ pro duplo differentiæ ſecundæ. Quare quilibet videt, hoc alterum argumentum antagoniſtæ eſſe puram putam petionem principii. Hæc, ni fallor, jam ſufficere poſſunt ad probandum, *Bernollium* cum Agnato ſuo ſonticam graviſſimamque habuiſſe cauſam referendi originem erroris *Newtoniani* ad perverſum, quem fecit, uſum ſerierum convergentium. Ceterum vero ſi perrexerit antagoniſta aliter interpretari mentem *Newtoni*, quam ipſius verba diſerta volunt, per me licebit; ſed quia *Bernoullius* non tenebatur divinare mentem male expreſſam, ſive *Newtoni* ipſius, ſive typographi culpa, non video quo

jure antagoniſta audeat p. 345. Diar. litt. *Bernoullium* poſtulare erroris ex culpa alterius enati, eumque vocare errorem enormem & *generis omnino extraordinarii*. Verum ſi dicendum, quod res eſt, ex eo *Bernoullio* crimen facit antagoniſta, quod viderit detexeritque errorem *Newtoni* de male determinata reſiſtentia. Deprehendit aliquid ſiniſtri in viro, quem tanquam idolum adorat, quemque infallibilem putat. Debebat venerabundus diſſimulare & ſilentio premere. Hoc autem non fecit: hinc illæ lachrymæ! *cur aliquid vidit? Cur lumina conſcia fecit?* Quis ergo miretur, ſi tanti ſceleris reus condemnetur ibidem ab antagoniſta ad deprecationem publicam delicti & ad confeſſionem erroris, quem alius commiſit.

Nec interim auſit quiſpium ſciſcitari, cur *Bernullio* non tribuat juſtitiam *Newtonus*, qui ab Agnato ipſius in Anglia degente erroris commonitus in nova operis ſui editione eum poſtea correxit, nulla interim facta mentione nec Detectoris, nec Monitoris. Sed hoc nihil novi eſt in quibusdam Anglis, qui ſibi ſolis licere putant aliorum inventa tanquam ſua impune uſurpare, quando ipſi Hominesque Deosque invocant, ubi vident, vel ſaltem videre arbitrantur, extraneos in ſuorum inventa manus inferre. Exempla ſunt quorundam ut *Cheynaei*, *Des Hayes*, *Taylori* aliorumque, qui paſſim inventis *Bernoullii* ſunt uſi alienisque, vel nulla prorſus facta mentione Autoris, vel eum in præfatione tantum ambigue nominantes, ita ut, quid proprie ad ipſum pertineat, ex ipſo contextu non appareat. Id quod inprimis obſervare eſt in *Des Hayes*, qui certe maximam libri ſui partem ex *Bernoullianis* compilavit, quæ fere de verbo ad verbum in vernaculam ſuam linguam tranſtulit, unde vero ea deſcripſerit, altum ſervat ſilentium, niſi quando *Newtoniana* refert, tunc enim inventoris nomen frequentiſſime occurrit.

Propero ad alia. Audet antagoniſta in Diar. Litt. p. 346. inſinuare, *Bernoullium* de ſeriebus convergentibus dixiſſe, quod ſint erroneæ. Ego vero hoc nego & pernego: ſcit enim *Bernoullius* has ſeries eſſe veras & exhibere id, quod exhibere debent, nempe valorem quantitatis irrationalis in ſeriem expanſæ: ſed id dixit, quod etiam ego dico, incautum ſcilicet abuſu earum ſerierum facile in errorem abduci poſſe, ut certe ipſi *Newtono* contigiſſe ante oſtendimus. De cetero non apparet, quid iſtis ſeriebus opus nunc

ſit

ſit, poſtquam calculus integralis una cum differentiali invaluit, per quem brevius, commodius & jucundius conſequimur, quicquid per ſeries illas obtinetur, & multo plura. Deinde non capio, quid moverit antagoniſtam ad ſibi perſuadendum, *Bernoullium* non bene intellexiſſe, ut ibidem ait, doctrinam ſerierum convergentium, cum tamen in hac materia ſerierum cujuscunque generis, ſi quisquam alius, magnam olim temporis ſui partem triuerit, ut colligere eſt ex illis, quæ paſſim hac de re publicavit. Imo & ipſiſſimam ſeriem per extractionem radicis continuatam more *Newtoni* inventam, ipſe proprio Marte, antequam id a *Newtono* præſtitum ſciret, per methodum aliam & a *Newtoniana* diverſiſſimam eruit, & jam tum communicavit cum Illuſtri *Hoſpitalio*, cum vix Geometriam ſublimiorem delibare per unum alterumve annum incepiſſet.

Sed revertar venia Tua, Vir celeb. ad conſiderationem reſiſtentiæ determinandæ corporum curuas datas deſcribentium, ubi vidimus hallucinatum eſſe *Newtonum*, qui ergo monitus, ut in altera editione Princ. Phil. ſuum errorem corrigeret, ſubſtituit chartis diſſectis (locum enim illum, ubi error extabat, typi jam ſuperaverant, cum ſe erraſſe reſciſceret) aliquot folia, in quæ conjecerat novum canonem pro invenienda ratione reſiſtentiæ ad gravitatem. Ut igitur videat antagoniſta, me veritatem venerari, quomodo & quandocunque ſe mihi offert, meque paratum eſſe unicuique ſuum tribuere, candide & ingenue confiteor, quod novus iſte canon *Newtoni* ſit verus, bonus & elegans; an autem tantæ ſit præciſionis & tam extraordinariæ elegantiæ, ceu antagoniſta pro more ſuo exaggerat, ut ideo alter ille, quem *Bernoullius* in Actis A. 1713. p. 121. dederat, ei præferri non mereatur, judicet peritus lector, qui legerit utrumque, ac tum obſervaverit, quod is, quem *Newtonus* dedit, porrigatur duntaxat ad caſus particulares, ubi nimirum gravitas ſupponitur uniformis & nonniſi ſecundum directiones ad horizontem perpendiculares; quod autem canon, quem *Bernoullius* exhibuit loco citato, ſit multo & clarior, & univerſalior, utpote ſeſe extendens ad gravitatem non ſolum uniformem, ſed quacunque lege variabilem, & non tantum ad horizontem perpendiculariter, ſed ad quodcunque datum punctum tendentem. Teſtem produco celeberrimum *Hermannum*, qui in ſuis

ad *Bernoullium* litteris d. 14. Iun. 1715. hæc habet: *Ceterum, inquit; ſubſtituta (a Newtono) erronea methodus inveniendi denſitatem medii, ut mobile datam curvam in hoc medio reſiſtente deſcribere poſſit, etſi bona videtur, nulla tamen ratione cum tua idem multoque plura præſtante compărari meretur, quod quidem Newtonus ipſe fateri quodammodo videtur, quod colligo ex illis, quæ Cl. Varignonius in poſtremis ſuis mihi ſcribit* Mr. Moivre *me mande auſſi, que Mr. Newton eſt charmé de la ſolution, que* Mr. *Bernoulli l'oncle a donnée de ſon probleme.* Quod *Hermannus* a *Varignonio* ſibi ſcriptum refert, hic idem quoque *Bernoullio* ſcripſit. Imo & Cl. *Moivreus*, egregius ſane Geometra apud Anglos, judicium *Newtoni* de ſolutione *Bernoullii* cum ipſo communicans his utitur verbis in litteris ſuis ad eum exaratis d. 28. Iun. 1714 *j'ai vû, inquit Mr. Newton, qui m'a dit, qu'il avoit lu avec beaucoup de plaiſir vôtre methode de reſoudre le probleme de la reſiſtance, il vous rend juſtice en Homme, qui n'eſt nullement offenſé, il dit qu'elle eſt admirablement belle, & meme qu'elle eſt commode pour des expreſſions finies.* Ex quibus fere colligere licet, antagoniſtam partes *Newtoni* tueri ultra quam *Newtono* gratum eſt, & non ex veritatis amore, ſed *ex præpoſtero in gentem ſuam ſtudio.*

An autem deceat virum cordatum omnia, ſive bona, ſive mala, mordicus defendere, ideo tantum, quia ad populares ſuos ſpectant; de eo judicent ſaniores. Antagoniſta, qui minaciter adeo inſultat Viris de re mathematica longe meritiſſimis, deberet ipſe prius *ſua oſtendere inventa*, quibus divinam hanc ſcientiam locupletaverit, quam ſe de aliorum inventis in iudicem erigere ſuſtineat. Sed nihil hactenus ab eo videre mihi contigit, quam quod ex aliis & quidem ex ipſo *Newtono* exſcripſit, & ſæpe quidem ſupreſſis Autorum nominibus compilavit. Scilicet ipſi licent, quæ in aliis tam indignabundus carpere conatur! Ceterum neſcio an a ſuis laudem, quam forte expectabit, ſit reportaturus eo quod *Newtonum*, Virum ſane magnum ſed hominem tamen, ſupra humanam ſortem evehere conetur, quaſi errare, quod humanum eſt ab eo alienum eſſet, aut ſicubi erraverit, id ab alio notari nefas eſſet atque profanum? quo in modico placendi ſtudio vereor ne ſe ſuſpectæ fidei reddat antagoniſta apud modeſtiores Anglos tunc quoque, cum in *Newtonum* juſtiſſima

juſtiſſima & meritiſſima congerit encomia, quando ſcilicet vident, illum ad omnia defendenda æque paratum & promptum exiſtere tanquam ex tripode dicta. Sciat enim velim, præter illum iam notatum errorem de proportione reſiſtentiæ ad gravitatem male determinata, forte & alios monſtrari poſſe in Princip. Math. qui emendari merentur, quosque, ſi *Bernoullius* tanto, ut putat antagoniſta, carpendi pruritu laboraret, quin propalaſſet nihil impediviſſet.

Liceat hic exempli loco commemorare eum, cuius iam meminit Cl. *Hermannus* in Phoronomia ſua nuper edita p. 394. ubi optime notat *Newtonum* paralogizantem in Princip. Math. p. 330. primæ edit. quando demonſtrare conatur, *aquam ea cum velocitate erumpere ex vaſis, qua motu ſuo in altum converſo ad dimidiam altitudinem aquæ ſupra foramen evehi poſſit*, quam autem propoſitionem (cujus falſitatem ipſa quoque experientia refellit) in altera editione omiſit, ſed nullam aliam ſubſtituit pro vera velocitate aquæ erumpentis demonſtranda, quæ tanta eſt præciſe, quantam acquireret corpus grave caſu accelerato ex altitudine aquæ ſupra foramen: cujus rei veritatem ab aliis ſine demonſtratione aſſumtam *Bernoullius* primus apodictice demonſtravit; ſuamque demonſtrationem ante quatuor circiter annos Cl. *Hermanno* ex Italia reduci & Baſilea transeunti Francofurtum expoſuit, cuius vero poſtea oblitus exiſtimavit, ſe primum eſſe demonſtratorem principii illius hydraulici. Vid. Phoron. p. 393. Sed cum nuper per litteras ei refricuiſſet memoriam, ſuamque demonſtrationem de novo expoſuiſſet, recordatus eſt, verum eſſe quod dixi, promiſitque pro candore ſuo hoc publice agnoſcere & ſimul demonſtrationem illam *Bernoullianam* in lucem edere. Interim non eſt cur credat antagoniſta, alterum hunc errorem *Newtoni* eo nunc fine adduci, ut eius exiſtimationem elevare velim, ſed quemadmodum eum cum aliis quibusdam a ſe obſervatis diu diſſimulavit *Bernoullius*, nec a me in apricum foret prolatus niſi hoc ante me feciſſet Cl. *Hermannus*.

Patere, Vir Nobiliſſime, ut paucis adhuc repriman inſultus antagoniſtæ, quibus aggreſſus eſt ſolutionem *Bernoullianam* problematis inverſi virium centralium publicatam in Comment. Acad. Reg. Scient. Paris. A. 1710. p. 521. edit. Paris. usque adeo enim *Bernoullium* perſequitur, ut nusquam & ne poſt altare quidem tutus ſit,

tanta

tanta ſcilicet eſt profanatio tamque inexpiabile crimen aliquid contra *Newtonum* tanquam ſacratiſſimum caput muſſitaſſe. Nova illa aggreſſio antagoniſtæ extat in Transact. Londin. Menſ. Sept. 1714. n. 340, ſed demum publicata anno ſuperiori 1715. Scriptum ipſum, quod ad me non pervenit, non vidi; ſed quantum video ex eo, quod inde excerptum, mihique transmiſſum eſt, nullius quidem erroris *Bernoullium* arguit antagoniſta; ſed tota ejus accuſatio ad hæc tria redit capita, 1) quod lemma more ipſius demonſtratum p. 524. in Comment. Acad. Scient. nihil aliud ſit quam ipſa *Newtoni* Propoſ. 40. Princip. math. p. 125. edit. primæ, & demonſtrationem ejus ab ipſo traditam eſſe ſimpliciorem *Bernoulliana;* 2) quod male egerit *Bernoullius*, quando *Newtono* imputavit, eum ſupponere ſine demonſtratione curvas *a tali vi* deſcriptas eſſe ſectiones conicas, nempe vi centripeta exiſtente reciproce proportionali quadrato diſtantiæ: item quod in *Bernoullium* retorqueri poſſit, ipſum etiam non poſſediſſe demonſtrationes plurium propoſitionum, quas indemonſtratas paſſim publicaverit; 3) quod *Bernoulliana* demonſtratio hujus propoſitionis inverſæ ſit admodum intricata; quod vero in nova Principiorum editione facilior multo & magis clara licet tribus verbis extet. Ad quæ repono: 1) Lemma illud idem eſſe cum prop. 40. *Newtoni* non diſſimulavit *Bernoullius*, ſed contra aperte dixit p. 524. Comment. Pariſ. ejus demonſtrationem reperiri in *Newtoni* Princip. Math. p. 125. adeo ut huic Viro ſuum tribuerit. Quid ergo hac in parte deprehendat antagoniſta & quo iure, non capio. Sed decretorie pronunciare, ut antagoniſta facit, *Newtonianam* demonſtrationem eſſe *Bernoulliana* ſimpliciorem, non eſt de officio antagoniſtæ partium ſtudio nimis addicti: atque nemo ſanus eum pro judice idoneo agnoſcet. Sit iudicium penes alios, qui nondum juraruntin vexillum *Newtoni*. 2) Inepte ageret, qui vellet cauſari, *Bernoullium* demonſtrationes non poſſediſſe plurium propoſitionum ab ipſo ſine demonſtrationibus publicatarum. Quis enim inveniet & publicabit aliquam veritatem, cujus demonſtrationem non habeat? niſi id fiat forte per inſpirationem vel revelationem ſupernaturalem. Tale quid autem in rebus mathematicis de *Bernoullio* vel de aliis cogitare aut ſuſpicari ridiculum eſſet, ſed multo magis ridiculum eſt, quod antagoniſta tam diſparem retorſionem faciat, quæ ne γε῀ quidem ſimilitudi-

militudinis habeat cum eo, quod in *Newtono* modeſte reprehendit *Bernoullius*. Nam, quod probe notandum, nec poſtea ſecus interpretandum, minime reprehendit, quod ſtatuerit *Newtonus* propoſitionem inverſam virium centralium, quæ quadratis diſtantiarum a centro reciproce proportionantur, neque quod nullam hujus propoſitionis inverſæ demonſtrationem dederit. Poterat quippe ſimpliciter hoc affirmare & aſſerere, ſe habere demonſtrationem propoſitionis hujus inverſæ, qua nempe ſolas ſectiones conicas ſatisfacere probatur: tantum certe tribuiſſet candori *Newtoni* æquus meritorum Viri ſummi judex *Bernoullius*, ut ipſius verbis ſine ullo ſcrupulo fidem habiturus fuiſſet. Attendat igitur antagoniſta, quid ſit illud, quod fuerit improbatum, certe non ipſa aſſertio, ſed forma aſſertionis, dum ex demonſtratione propoſitionis directæ colligendam eſſe contendit eadem opera propoſitionem inverſam, *Ex tribus*, inquit p. 55. Princ. edit. prim. *noviſſimis propoſitionibus conſequens eſt* &c. Quid quæſo ſibi vult *τὸ conſequens eſt?* Annon idem eſt ac ſi dixiſſet, ex propoſitionibus iſtis *directis ultro fluunt inverſæ?* Porro p. 49. contra regulam bonæ converſionis colligit & concludit ſine demonſtratione his verbis, *Unde vicisſim, ſi vis ſit ut diſtantia* &c. Quod ſi hoc non in forma concluſionis protuliſſet, ſed ſimpliciter aſſeveraſſet, ſibi aliunde conſtare de veritate illius converſæ, hoc ſane, ut jam dixi, nemo improbaſſet. At vero hoc improbandum eſt, quod velit poſterioris veritatem ex prioris demonſtratione ſponte fluere, pateſcere, ſequi & colligi poſſe, utpote quod non majori jure ex eo concluditur, quam ſi quis vellet ex affectione, qua gaudet Spiralis logarithmica, qua nempe fit ut ad illam deſcribendam requiratur vis centripeta cubis diſtantiarum reciproce proportionalis, protinus concludere dicendo, *unde vicisſim ſi vis ſit reciproce ut cubus diſtantiæ, movebitur corpus in Spirali logarithmica*: nam nulla foret neceſſitas ſequelæ, quia eadem lege virium exiſtente moveri poſſet in ſpirali hyperbolica aliorumve generum curvis, ceu jam notum eſt. 3) Quod antagoniſta analyſin *Bernoullii*, ex qua patet veritas inverſi, nempe ſolas ſectiones conicas deſcribi poſſe per vim centripetam quadratis diſtantiarum reciproce proportionalem, intricatam & perplexam cauſetur, nihil, puto, *Bernoullium* movere debet. Quis enim neſcit, homini præjudiciis occupa-

to & in fidem alterius mancipato, nec ſui juris amplius exiſtenti, omnia diſplicere, ſive pulchra ſint, ſive non, modo ſciat non provenire ab eo, cui ſe addixit. Audiamus potius judicium aliorum, qui harum rerum ſunt intelligentiſſimi & a partium ſtudio longe remoti. Inter eos nequaquam poſtremus eſt Celeb. *Varignonius*, Vir profundæ eruditionis & in Geometricis acutiſſimi ingenii. Ille in Comment. Pariſ. A. 1710. p. 533. analyſin iſtam verbis admodum honorificis extollit. Neque minus luculentum eſt teſtimonium, quod eidem tribuit in fine ſui ſcripti p. 543, ubi inter alia dicit: *la conſtruction, qu'il vient de donner de la courbe requiſe en ce cas & la maniere, dont il fait voir, que cette courbe doit toujours etre une ſection conique, ſont d'une ſagacité & d'une adreſſe, qui repondent a ce, qu'il en paroit dans tout ce, qu'il a donné jusqu'ici au public.* Sic igitur *Varignonius* longe melius vim percepit demonſtrationis *Bernoullianæ* quam antagoniſta percipere voluit, nimirum percepit quod aliquid altius quam nuda demonſtratio nominari mereatur, & quod ſit potius via analytica, qua *a priori* penetrari poteſt ad cognitionem omnium curvarum ſatisfacientium hypotheſi virium reciproce proportionalium quadratis diſtantiarum. An vero cum tali methodo in comparationem venire poſſit demonſtratio illa *Newtoniana* tribus, ut inquit antagoniſta, verbis extans in nova Princ. edit. aut an inde concludi poſſit, *Newtonum* reapſe habuiſſe methodum analyticam inveniendi omnes poſſibiles curvas, quæ datæ virium hypotheſi conveniant, antagoniſtæ non eſt judicare: ſed iudicent alii, quorum non intereſt huic illive favere & qui nil niſi veritatem ſectantur. Iudicent quoque de inſipida illius exagitatione, qua proſequitur formulam *Bernoullianam* $dz = aacdx : \sqrt{(abx^4 - x^4)} \int (\varphi dx - aaccxx)$ ideo tantum quia identitatem quandam deprehendit cum expreſſione *Newtoniana* prop. 41, quando inficete jocatur, *Bernoullianam* non magis a *Newtoniana* diſcrepare, quam verba latinis litteris expreſſa differunt ab iisdem verbis ſcriptis in Græcis characteribus. Iudicent, inquam, annon vel ſola diverſitas, quæ maxima eſt inter utriusque notandi rationem, ſatis ſuperque indicet, *Bernoullium* ne cogitaſſe quidem de inſtituenda comparatione inter utramque formulam. Examinent etiam conſiderentque, quam brevi via quamque diverſa a *Newtoniana* inceſſerit *Bernoullius*, dicantque

cantque poſtea, an alius quiſpiam præter antagoniſtam ſibi perſuadere poſſit meam formulam ex *Newtoniana* eſſe deſumtam. Hoc interim non temere dico, quod ſi antagoniſta non firmiora habet argumenta, quibus probet alium aliquem calculum ſuum mutuatum eſſe a *Newtono*, nobis fas erit credere, chimæram eſſe, quicquid argumentorum loco nobis obtrudere voluit. Vt enim hoc unum addam, etſi vel maxime formula *Bernoulliana* idem exprimat, quod *Newtoniana* (& qui poſſent in diverſum abire, niſi alterutra falſa eſſet)? nullam video conſequentiam, *Bernoullianam* ab illa eſſe mutuatam; quid enim impediat, quominus una eademque veritas per vias toto cœlo diverſas obtineatur, Antagoniſta nullam rationem allegabit.

Num. XXIX.

Chriſtian Wolffens Gedancken &c.

hoc eſt,

Chriſtiani Wolfii P. Reg. Bor. Conſ. aulici, Mathem. & Phyſ. P. P. O. Societ. Reg. Britannicæ atque Boruſſicæ Sodalis, Explicatio phænomeni inſoliti quod d. 17. Mart. poſt ſeptimam veſpertinam Halæ Saxonum & alibi obſervatum.

Halæ 1716. 4t. Conſtat plag. 5. Tab. æn. 1. conf. Acta Erud. 1716. p. 357. ubi phænomeni delineatio & facti recenſio.

Prælectio publica Hallenſis.
Quale phænomenon apparuerit.
An hoc portentum.
An meteorum.
Cauſæ ejusdem.
An alicujus effectus quales ex hiſtoricis proferuntur.
Quousque phænomenon ſit ſignum futuri.
De Iride
Negatur phænomenon aliquid ſingulare portendere

Cum phænomenon, de quo modo diximus, etiam Halæ Saxonum ſtuporem incolarum & ſtudioſorum excitaſſet; plurimi ex Cl. Wolfio quæſivere, quidnam de illius natura & ſignificatione ſentiret. Ut igitur omnibus una eademque opera ſatisfaceret; d. 24. Martii in Lectione publica ſuam ea de re ſententiam expoſuit idiomate vernaculo; non modo ſtudioſis, ſed aliis diverſorum ordinum hominibus maximo numero confluentibus. Quoniam nonnulli diſcurſum Autoris calamo exceperant & vel ipſo invito typis deſcribendum tradere decreverant; ideo ipſemet tandem ſe eo adduci paſſus eſt, ut eundem revideret & in publicum emitteret. Quatuor autem propoſuit quæſtiones & ad eas reſpondit.

Scilicet I. quærit: *utrum phænomenon diei 17. Martii ſit portentum aliquod ſingulare, an alibi jamdum alio tempore ab aliis fuerit obſervatum?* Reſpondet: idem jam alibi alio tempore ab aliis viſum eſſe. Sumit ergo, quod viderant ſuis oculis Auditores: nempe 1) lumen apparuiſſe in parte cœli boreali, cujus claritas claritatem luminis Lunaris vicit: 2) figuram ejus fuiſſe arcum inter plagas intermedias, quas noſtri *Nord-Oſt* & *Nord-Weſt* vocant, interceptum & chorda horizonti parallela terminatum: 3) ex arcu lento motu, qualis pyrobolorum eſſe ſolet, aſcendiſſe radios ad chordam arcus ſeu horizontem perpendiculares. Apparet adeo, eadem Halæ annotata eſſe, quæ paulo ante Islebiæ obſervata commemoravimus: quod ſane non mirum, cum enim diſtantia urbium ſit exigua, quin idem numero utrobique viſum fuerit phænomenon, dubitandum non eſt. Ex his indiciis probat, phænomenon idem ſpecie eſſe cum aliis, quæ ſub nomine luminis borealis deſcribuntur in Miſcellaneis Berolinenſibus p. 131. & ſeqq. & in Actis Erud. Lipſ. A. 1709. p. 162. A. 1711. p. 4. & 325. commemorantur, eoque fini breviter recenſet phænomeni circumſtantias, quas *Gaſſendus*, *Rœmerus*, *Seidelius*, *Kirchius* & *Liebknechtius* annotarunt. Subnectit ex *Cromero* alias obſervationes circumſtantiis fabuloſis commaculatas easque veritati reſtituit: ubi in genere monet, de phænomeno noſtro accipienda eſſe, quæ Hiſtorici de militibus armatis, acinacibus & virgis igneis, aliisque ſimilibus cæli portentis narrant. Sane tum *Gaſſendi* tempore, tum nuper gemina in cælo viſa narravit vulgus.

Quæſtio

Quæstio secunda hæc est: *Num hoc phænomenon inter meteora referri debeat & ad quod genus eorum pertineat?* Respondet Noster: phænomenon utique esse meteorum idque ignitum. Primum probat, quia locus ejus est in atmosphæra nostra; id quod evincit 1) quia vi observationis *Roemeri* in distantia duorum milliarium fuit vertici magis vicinum: 2) quia ingentem cœli tractum occupavit, quo inprimis spectat observatio Gedanensis ante relata, etsi Nostro, cum sua profiteretur, nondum visa: 3) quia exiguo temporis articulo ingens cœli spatium conficere visi sunt radii, vi observationum præcedentium: quo nos inprimis referimus Gedanensem *Kirchii*. Quodsi objicias, si phænomenon nostrum adeo humile fuerit: fieri non potuisse, ut uno eodemque tempore visum fuerit in locis tam dissitis, qualia sunt Londinum in Anglia & Regiomontum in Borussia: noster negat, ex sola circumstantia temporis concludi posse, phænomenon ubique visum esse numero idem, præsertim cum observationes *Seidelii* atque *Kirchii* diversitatem phænomeni eodem tempore in locis non adeo dissitis observati manifeste loquantur, nec (quod tum Noster conjectando assecutus) observationes paulo ante exhibitæ in nostro casu in accidentalibus conveniant. Urget præterea, quod loca, quorum ingens est distantia, longitudine quidem multum, at parum latitudine differant, ita ut diversæ phænomeni partes & Regiomonti, & Londini videri potuissent, etsi altitudo non major fuisset quam dimidii milliaris Germanici, qualis maxima nubium a *Ricciolo* atque *Keplero* assignatur. Nihil tamen certi de distantia ejus a terra definire audet ob defectum observationum ad calculum rite instituendum necessariarum. Quod autem præsens phænomenon in numerum ignitorum referri debeat, probat, quia lumine proprio resplenduit, non alieno, quippe Sole, atque Luna sub horizonte adeo depressis, ut eorum radii atmosphæram ferire non potuerint, in qua tamen locus fuit phænomeni per ea, quæ modo diximus.

Quæstio tertia *causas phænomeni* concernit: ubi Noster affirmat, ipsum ut reliqua meteora ignita ex exhalationibus sulphureis seu inflammabilibus productum esse. Materiam fuisse exhalationes tenues probat, quod 1) vi observationum *Roemeri, Kirchii, Liebknechtii* & quarundam ante a nobis exhibitarum stellæ per eam trans-

paruerint; 2) vi obſervationum *Rœmeri* & *Kirchiorum* arcus ſuperior ſæpius fuerit disruptus & mox iterum redintegratus; 3) vi obſervationis *Seidelii* pars arcus in nubeculam collecta prope Zenith Lunam occaſui vicinam exiguo temporis articulo fuerit aſſecuta & deinde per multum temporis ſpatium quieta ibidem perſtiterit, Luna jam ſub horizonte deliteſcente; 4 teſtibus iis, qui ortum phænomeni præſentis ſervarunt, nubecula nigra ſeu valde obſcura & margine rubente cincta expanſione ſui phænomeno materiam dederit. Quod autem nulla præſenti phænomeno jungatur nubes, ex obſervatione *Kirchii* patere ait, qui per tubum ſtellas in parte cœli obſcura inter arcum & horizontem deprehenſa obſervavit, quales etiam *Kirchium* juniorem nuper nudo oculo vidiſſe ante retulimus. Materiam in arcum expanſam non fuiſſe accenſam, ſed motu tantum inteſtino lentiori agitatam, qui lumini producendo ſufficiat, inde concludit, quod phænomenon diu duraverit & experimenta teſtentur, lumen iſtiusmodi motu produci poſſe. Radios tamen accenſæ materiæ deberi, ex motu eorum celeri, expanſione inſigni & duratione brevi evincit: cauſam vero accenſionis in exhalationum concentrationem conjicit, quemadmodum videmus eandem eſſe accenſionis cauſam, ſi fœnum adhuc madidum in loco clauſo congeſtum flamma tandem corripitur. Motum inteſtinum materiæ luminoſæ autopſia *Seidelii* confirmat, & per materiæ diviſibilitatem explicat, quomodo exigua portio ingens admodum ſpatium replere poſſit. Demonſtrat etiam, quod radii longe majus ſpatium occupare viſi ſint, quam revera tenuerint, & cur ad horizontem perpendiculares apparere debuerint. Figuram arcus partim rationibus phyſicis, partim opticis adſcribit: arbitratur enim faſciam non nimis latam in atmoſphæra in longum extenſam inſtar arcus apparere debere. Denique cur vulgus fingat viſos eſſe exercitus, enſes ac virgas igneas, rationem hanc reddit, quod vulgus figuras nunquam conſideret in abſtracto, ſed tantum in concreto: unde de figura phænomeni judicaturo in mentem veniunt corpora ſimilem propemodum figuram habentia, & alias ſæpe viſa. Quodſi phænomenon terrorem injiciat meticuloſis; ipſi talia in mentem veniunt, quæ in puniendis maleficis uſum habere ſolent. Hinc in caſu noſtro ex radiis finxerunt enſes & virgas.

Ad

Ad quartam denique quæſtionem: *num phænomeni noſtri aliquis ſit effectus in hæc ſublunaria & an aliquid portendat?* reſpondet Autor, & effectum eſſe nullum, & ſignificationem nullam. Quod enim prius attinet, cum ex antecedentibus manifeſtum eſſe arbitretur, meteorum noſtrum eſſe fulgur imperfectum, quod ad maturitatem pervenire non potuit, vel quia exhalationes ob æſtum deficientem non ſufficienter diviſæ atque expanſæ, vel quia earum non ſufficiens adfuit copia, vel propter rationem utramque: non alius eſſe poterit effectus meteori in ſublunaria, ubi exhalationes denuo in tellurem præcipitantur, quam qui eſſe poteſt, ubi poſt fulgurationes recidunt, id eſt, ad ſenſum nullus. Quod ſignificationem concernit, non diffitetur Noſter, paſſim ab Hiſtoricis annotari caſus tragicos meteora iſtiusmodi inſecutos. E. gr. A. 1118. in Polonia ſecuti ſunt imbres, qui omnem agri culturam anno iſto prohibuere A. 1402. fulgurantibus haſtis in cœlo ſpectatis, Duce Alarico Gothi diripuerunt Romam: A. 1529. meteorum noſtro ſimile (ſi ſepares, quæ vi antecedentium imaginatio addidit) cum ſpectaretur in cœlo, *Solimannus* Turcarum Imperator exercitu 300000 militum Viennam obſedit: A. 1547. *Johannes Fridericus* Elector Saxoniæ a *Carolo V.* Imperatore victus & in carcerem detruſus: A. 1558. Hiſpanus debellavit Batavos & Ruſſorum Imperator exercitu 300000. militum Livoniam devaſtavit: A. 1648. inquietus redditus eſt Reip. Polonicæ ſtatus tum ob bella inteſtina, tum ob externa atque mortem *Vladislai* Regis: A. 1685. *Carolus Guſtavus* Rex Suecorum Polonos vicit & Varſaviam atque Cracoviam in poteſtatem ſuam redegit. Cum adeo experientia pro ſignificatione militare videatur; ideo accuratius in eam inquirendum eſſe duxit.

Notat itaque ſigna eſſe duplicia, vel naturalia, vel artificialia. Cum omnia in natura corporea inter ſe ſint connexa, atque ideo ſtatus præſens ſit futuro gravidus, equidem non negat, quodlibet naturæ phænomenon certo modo eſſe ſignum quoddam venturi; nulla tamen ratione probari poſſe cenſet, quod ſingularem quandam ac inſolitam in univerſo corporeo mutationem loquatur. Multo minus autem concedit, quod ſignum artificiale ſit habendum, quaſi aliquid ex impoſitione Dei portendat, quod Deus nullibi ejus dedit (quod tamen neceſſarium foret) explicationem, nec ſpecialem,

lem, qualem de iride habemus, nec generalem; quin potius significationem ad superstitionem gentilium retulerit, Jer. X. 2. 2 Reg. XXI, 2, 6, quia judice nostro sapientiæ Dei & autoritati verbi divini contraria. Deum enim ob sapientiam summam superflua facere non posse, id quod tamen fieret, si signum aliquod mali eventuri constitueret meteoron, cum nexus inter peccata & pœnas arbitrarias divinas in Scriptura sufficienter explicetur, & fama publica de bellorum apparatibus eum in memoriam revocet. Autoritati divinæ autem detrahere eos, qui signo istiusmodi majorem fidem habent, quam verbo divino, cum tamen hoc una virtutem largiatur credendi, illud tantum excitare possit ad oracula divina perlustranda.

Ceterum ad exempla respondet Autor, 1) nullam esse consequentiam, quod phænomenon aliquod singulare portendat casus tragicos, qui subsequuntur, cum nexus eorum cum phænomeno accidentalis esse possit: 2) non semper meteorum nostrum subsecutos esse casus funestos, quod exemplis Daniæ, Marchiæ & Hassiæ probat, ubi A. 1707. & 1710. apparuit. Neque tamen improbat, si quis (quod in contemplatione omnium naturæ operum fieri potest) agnoscendarum Numinis perfectionum & resipiscendi ansam inde arripiat. In appendice observationes quasdam singulares adjicit, quas aliunde accepit, cum pleraque jam typis essent descripta, & inde suam de hoc meteoro theoriam, quod nempe sit fulgur imperfectum, stabilit: quam observatione *Kirchii* Dantiscana egregie confirmat. Ubi inprimis notatu dignum est, quod in distantia 10. circiter milliarium ab urbe Hala materia quædam instar pulveris sulphurei deciderit, cum nubes obscura in arcum luminosum expanderetur.

Num.

Num. XXX.

C. Wolfii Theoremata Geometrica nova, quibus omnium Parabolarum, Hyperbolarum & Ciſſoidum in infinitum, aliarumque innumerarum curvarum deſcriptiones ſimpliciſſimæ continentur.

Methodi atque uſus.

THEOREMA 1. *Si in triangulo æquicruro* ACB *ducatur* QF *baſi* BC *parallela & aſſumta conſtante* AL *compleatur rectangulum* FGLQ, *tandemque per* A *&* G *ducatur recta* AM; *erit punctum* M *in Parabola APOLLONII, cujus axis* AP, *vertex* A *& parameter* AL. Fig. 23.

DEMONSTRATIO. Ob paralleliſmum rectarum *LG* & *QM* eſt *AL: LG=AQ: QM*, hoc eſt, quia *GL=FQ=AQ per hypoth. AL: AQ=AQ: QM.* Sed ob paralleliſmum rectarum *AQ* & *PM*, itemque *AP* & *QM*, eſt *AP=QM & PM=AQ.* Quare *AL: PM=PM: AP.* Cum itaque *AL. AP=PM²*; erit punctum *M* in Parabola *Apollonii*, quæ habet axem *AP*, verticem in *A* & parametrum *AL.* Q. e. d.

THEOREMA 2. *Si ad axem AP Parabolæ cujuscunque ex earum numero, ad quas, poſita parametro = 1, PM^m=AP, erigatur normalis AC in vertice A, fiatque AL parametro & LR ipſi QM parallela & æqualis; recta per A & R ducta deſignabit punctum N, quod eſt in parabola proxime ſuperiori quam AM, e. gr. in Parabola ſecundi generis, ſi AM fuerit primi generis.*

DEMONSTRATIO. Ob paralleliſmum rectarum *LR* & *QN* eſt *AL: LR=AQ: QN*, hoc eſt, quia *LR=QM per hypoth. AL: QM=AQ: QN.* Sed, poſita parametro *AL* = 1, ex natura Parabolarum *QM=AQ^m*: quare 1: *AQ^m=AQ: QN.* Quoniam itaque ob paralleliſmum rectarum *AO* & *QN*, itemque *AQ* & *ON*, eſt *AQ=ON* & *QN=AO*; erit 1: *ON^m=ON: AO*,

consequenter $AO = ON^{m+1}$. Est itaque punctum N in Parabola proxime superiore quam AM. Q. e. d.

Fig. 24. THEOREMA 3. *Si in parallelogrammo rectangulo* $ALCB$ *ducatur* GQ *ipsi* AL *parallela & ad diagonalem* AG *rectanguli* $ALGQ$ *excitetur normalis* AM *rectæ* GQ *continuatæ in* M *occurrens; erit punctum* M *in Parabola* Apollonii, *cujus parameter* AL.

DEMONSTRATIO. Est enim ob angulum GAM rectum $GQ : QA = QA : QM$. Quare cum sit ob parallelismum rectarum GM & LP, itemque LG, AQ, & PM, $AL = GQ$ $AQ = PM$ & $QM = AP$; erit etiam $AL : PM = PM : AP$, consequenter $AL . AP = PM^2$. Est adeo punctum M in parabola *Apollonii*, cujus parameter AL. Q. e. d.

THEOREMA 4. *Si ad chordam* AM *in parabola quacunque* AMH *ex illarum numero, ad quas* $AL . AP^m = AP^{m+1}$ *excitetur normalis* AN *semiordinatæ* PM *continuatæ in* N *occurrens; erit punctum* N *in parabola proxime superiore quam* AMH. E. gr. Si M fuerit in Parabola primi generis, erit N in ea, quæ secundi generis; si S Parabola tertii, V in Parabola quarti generis &c.

DEMONSTRATIO. Cum enim sit ob angulum MAN rectum $PM : AP = AP : PN$; erit etiam $PM^m : AP^m = AP^m : PN^m$. Sed $PM^m = AL . AP^{m-1}$ ex natura Parabolarum. Ergo $AL : AP = AP^m : PN^m$. Quoniam vero ob parallelismum rectarum AP & TN, itemque AT & PN, $AP = TN$ & $AT = PN$; erit $AL : TN = TN^m : AT^m$, consequenter $AL . AT^m = TN^{m+1}$. Est itaque punctum N in parabola proxime superiori quam AMH. Q. e. d.

Fig. 25. THEOREMA 5. *Si ad chordam arcus circuli* AM *erigatur normalis* AN *semiordinatæ* PM *continuatæ in* N *occurrens; punctum* N *est in Cissoide Dioclis.*

DEMONSTRATIO. Quoniam ob angulum NAM rectum $PM : PA = PA : PN$; erit etiam $PM^2 : PA^2 = PA^2 : PN^2$. Sed $PM^2 = AP . PB$ ex natura circuli. Ergo $AP . PB : PA^2 = PA^2 : PN^2$, consequenter $PB : PA = PA^2 : PN^2$. Quare si $AB = a$, $AP = x$, $PN = y$; habetur æquatio curuæ AND naturam definiens $x^3 : (a - x) = y^2$. Unde patet, esse Cissoidem Dioclis. Q. e. d.

THEOREMA 6. *Si* AMB *fuerit circulus superioris generis, punctum* N *eodem modo determinatum est in Cissoide generis proxi-*

me

ne ſuperioris. E. gr. ſi AMB *circulus ſecundi generis, dico Ciſſoidem* AND *fore tertii generis.*

DEMONSTRATIO. Cum ſit $PM^{m+1} : AP^{m+1} = AP^{m+1} : PN^{m+1}$ & $PM^{m+1} = AP^{m}$. *PB* ex natura circulorum ſuperiorum; erit $PB : AP = AP^{m+1} : PN^{m+1}$. Quare ſi ut ante ſit $AB = a$, $AP = x$, $PN = y$; erit æquatio curuas *AND* in infinitum definiens $X^{m+2} : (a-x) = Y^{m+1}$. Unde intelligitur, in quolibet caſu AND eſſe Ciſſoidem aliquam & genus ejus uno gradu ſuperare genus circuli genitoris AND. Q. e. d.

SCHOLION. Si curva genetrix ſit ellipſis; genita habet ſemiordinatas ad ſemiordinatas Ciſſoidis ejusdem generis in ratione conſtante. Sunt nempe potentiæ ſemiordinatarum illius curuæ ad potentias Ciſſoidis ut parameter ellipſis ad ejus axem, qui idem eſt diameter circuli genitoris.

THEOREMA 7. *Si recta* AN *ad radium* AM *circuli* D MB *normalis ſemiordinatæ* PM *continuatæ in* N *occurrat, punctum* N *erit in curua, cujus hæc ſingularis eſt proprietas, ut facta* AQ = PM, *trilineum* APN *ſit ſegmento ſemicirculi* DQR *æquale.* Fig. 26.

DEMONSTRATIO. Sit $AP = x$, $AM = a$; erit $PM = \sqrt{(a^2 - x^2)}$, & hinc ob $PM : AP = AP : PN$ reperitur $PN = x^2 : \sqrt{(a^2 - x^2)}$; eſt adeo vi calculi ſummatorii *Leibnitiani* trilineum $APN = \int \frac{x^2\,dx}{\sqrt{(a^2-x^2)}}$. Sit $DQ = v$; erit $QR = \sqrt{(2av - v^2)}$ & hinc ſegmentum ſemicirculi $\int dv \sqrt{(2av - v^2}$. Eſt vero *per hypoth.* $QA = PM$, hoc eſt, $a - v = \sqrt{(a^2 - x^2}$. Unde facta reductione reperitur $x - \sqrt{(2av - v^2)}$, facta vero differentiatione $xdx : \sqrt{(a^2 - x^2)} = dv$. Ergo $\int dv \sqrt{(2av - v^2)} = \int \frac{x^2\,dx}{\sqrt{a^2 - x^2}}$, hoc eſt, $DQR = APN$. Q. e. d.

SCHOLION. Quoniam $x = \sqrt{(2av - v^2)}$; patet hinc inſignis aliqua circuli proprietas hactenus non animadverſa. Nempe ſi fiat $AQ = PM$, fore $QR = AP$. Obiter noto, *BC* ad diametrum circuli *PB* normalem eſſe curuæ *ANR* aſymptotum.

THEOREMA 8. *Si ad chordam* AM *hyperbolæ æquilateræ* AMR *perpendicularis* AN *excitetur ſemiordinatæ* PM *in* N *occur-* Fig. 27.

occurrens, punctum N *est in curua Cissoidi agnata, in qua nempe, posito axe transverso hyperbolæ* AB, BP: $AP = AP^2 : PN^2$.

DEMONSTRATIO. Cum enim sit $PM^2 : AP : {}^2 = AP^2 PN^2$ & ex natura hyperbolæ æquilateræ $PM^2 = AB.BP$; erit $AP.BP : AP^2 = AP^2 : PN^2$, consequenter $BP : AP = AP^2 : PN^2$. Quod vero hæc curua agnata sit Cissoidi, ex æquatione patet. Sit enim $AB = a$, $AP = x$, $PN = y$; erit $y^2 = x^3 : (a + x.)$. At Cissoidis æquatio est $y^2 = x^3 : (a - x)$.

SCHOLION. Superiorum generum hyperbolæ æquilateræ gignunt curuas superiorum generum Cissoidibus agnatas, quæ proprio nomine adhuc destituuntur, quia hactenus a Geometris non fuerunt consideratæ. Hyperbolæ scalenæ generant curvas, in quibus potentiæ ordinatarum ad potentias similes in prioribus rationem constantem habent parametri genetricis ad ejus axem transversum.

Fig. 28. THEOREMA 9. *Si ex centro* C *hyperbolæ æquilateræ ad quodcunque punctum* M *ducatur recta* CM *& in* C *excitetur ad eam normalis* CN; C Q *vero perpendicularis ad axem* AB, *tandemque ex* M *ducatur* MN *ipsi* BP *parallela occurrens normali* CN *in puncto* N; *erit hoc punctum in curua* CNR, *cujus hæc singularis est proprietas, ut trilineum mixtilineum* CQN *sit segmento hyberbolico* APM *æquale.*

DEMONSTRATIO. Sit $AC = a$, $CQ = x$; erit ex natura hyperbolæ æquilateræ $MQ = \sqrt{(x^2 + a^2)}$. Unde ob $MQ : QC = QC : QN$ reperitur $QN = x^2 : \sqrt{(x^2 + a^2)}$ quare vi calculi summatorii *Leibnitiani* $\int x^2\,dx : \sqrt{(x^2 + a^2)}$ est spatium trilineum *CNQ.* Sit $AP = v$; erit $PM = \sqrt{(2av + v^2)}$ per naturam hyperbolæ æquilateræ, & hinc segmentum hyperbolicum $AMP = \int dv \sqrt{(2av + v^2)}$. Est vero ob $CQ = PM\ x = \sqrt{(2av + v^2)}$ & ob $CP = QM$ vi calculi *Leibnitiani* $x\,dx : \sqrt{(x^2 + a^2)} = dv$. Patet ergo esse $\int x^2\,dx : \sqrt{(x^2 + a^2)} = \int dv \sqrt{(2av + v^2)}$ hoc est, $CQN = AMP$. q.e.d.

COROLLARIUM. Quia $QN = y = x^2 : \sqrt{(x^2 + a^2)}$; erit $y^2 = x^4 : (x^2 + a^2)$. Est itaque curvi tertii generis.

THEOREMA 10. *Si* DC *&* CE *fuerint asymptoti alicujus Hyperbolæ* AMS *ex earum numero, ad quas spectat æquatio* $a^{m+1} = x\,y^m$ (*positis nempe* CL = a, CP = x *&* PM *ipsi* CD *parallela* = y)

$=y$) *& ducta per* M *ipsi* CE *parallela* KN, *factaque* CH $=$ CL, *ex* H *ducatur* HQ *ipsi* KP *& ex* Q *asymptoto* CD *parallela* QN; *erit punctum* N *in Hyperbola proxime superiori quam est genetrix* AML.

DEMONSTRATIO. Ob parallelismum rectarum *KL* & *HQ* est $CK : CH = CP : CQ$. Sed $CK = PM = y$ & $CH = CL = a$. Est itaque $PM : CL = CP : CQ$. Et quoniam ex natura hyperbolæ $CP = a^{m+1} : y^m$; reperitur $CQ = a^{m+2} : y^{m+1}$. Unde si $CQ = X$; erit $a^{m+2} = xy^{m+1}$. q. e. d.

THEOREMA 11. *Si* CD *&* CE *fuerint asymptoti &* CL *latus potentiæ hyperbolæ ductisque* AL $=$ CL *&* PQ *asymptoto* CE *&* AT *alteri* CD *parallelis jungantur puncta* C *&* Q *recta* CQ *atque ex* N *demittatur perpendicularis* NM; *erit punctum* M *in Hyperbola Apollonii.* Fig. 29.

DEMONSTRATIO. Etenim ob parallelismum rectarum *LN* & *PQ* est $CL : CP = LN : PQ$ Sed $PQ = CL$. Ergo $CL : CP = LN : CL$; consequenter $CL^2 = CP \cdot PN$. Est adeo *N* in hyperbola Apollonii. Q. e d.

THEOREMA 12. *Si* AMG *fuerit Hyperbola ex earum numero, quæ sub æquatione* $a^{m+1} = x^m y$ *continentur &* CL $=$ AL *latus potentiæ hyperbolæ,* EC *vero &* CD *ejus asymptoti, ductaque ex* C *ad quodvis hyperbolæ punctum* M *recta* CM *per* R *agatur ipsi* CE *parallela* RS; *erit punctum* S *in hyperbola proxime superiori, quam* AMG.

DEMONSTRATIO. Est enim $CP : PM = CL : LR$. Sed $LR = PS$. Ergo $CP : PM = CL : PS$. Sit $CL = a$, $PC = x$; erit $PM = a^{m+1} : x^m$, consequenter $PS = a^{m+2} : x^{m+1}$, & hinc æquatio pro curua, in qua punctum *S*, $a^{m+2} = x^{m+1} y$. Q e.d.

SCHOLION. Me non monente apparet, similibus artificiis innumeras alias curuas describi posse. Nostra vero theoremata in lucem publicam proferre libuit, non modo quod hactenus desideratæ fuerint parabolarum & hyperbolarum superiorum descriptiones commodæ, verum etiam quod nostræ curuarum descriptiones mihi utiles visæ fuerint ad theoremata condenda. Ceterum cum huc usque in constructionibus æquationibus cubicis & biquadraticis parabola ceteris sectionibus conicis prælata fuerit ob simplici-

tatem conſtructionis, hyperbola autem ſæpius ſuppeditet conſtructiones concinniores & ab ipſa quaſi natura ad ſolutionem quorumdam problematum præ aliis lineis deſtinetur; epilogi loco adjicere libet hyperbolæ conſtructionem adeo ſimplicem, ut hyperbolam in poſterum facilius, quam parabolam conſtruere liceat. Fig. 27. Sit nimirum *Aß* axis transverſus, *AD* ad *AB* normalis ſemiaxis conjugatus. Ex centro hyperbolæ *C* deſcribatur ſemicirculus *EDf* radio *CD*; erunt *f* & *F* foci hyperbolarum oppoſitarum. Ex *F* per *D* (aut quomodocunque libuerit) ducatur recta *FG* et ex *F* radio *FE*, qui axi transverſo æqualis deſcribatur arcus *LE*, mox alii complures concentrici *MM* infra verticem hyperbolæ *A*. Tandem ex foco *F* intervallo *Em* determinentur puncta *M* & *M*.

Num. XXXI.

Notanda circa Theoriam colorum Newtonianam.

1) Dubia obmota. 2) Modus radios ſolares ſeparandi.

In Actis A. 1713. p. 447. monuimus, multos optare, ut Vir ſummus *Newtonus* mentem ſuam aperire dignetur de difficultate ab ingenioſiſſimo Mariotto eius colorum theoriæ objecta *). Mariottus ſcilicet contendit, lumen coloratum per refractionem in priſmate trigono factam productum iterata refractione in alios colores ex parte mutari, quod tamen vi theoriæ *Newtonianæ* immutabile eſſe debebat. Cum hæc legeret *Newtonus*, difficultatem e medio ſublaturus experimenta, quibus theoria ipſius confirmatur, juxta methodum ſuam per I. T. Deſaguliers Societatis Regiæ Sodalem, coram illuſtri hac Societate iterari curavit, qui eadem poſtea coram Monmortio aliisque Academiæ Regiæ Scientiarum Sociis felici cum ſucceſſu repetiit. Inde apparet, radios luminis eſſe omnino heterogeneos & pro diverſitate coloris diverſos admittere refrangibilitatis atque reflexibilitatis gradus, & colores vere primitivos per

*) *Qui ibidem radium violaceum in rubrum & flavum ſe mutaſſe teſtatur.*

per refractionem in alios minime mutari posse. Ratio vero, cur Mariotto non successerit experimentum, hæc redditur, quod colores per refractionem in prismate factam productos falso habuerit pro primitivis, cum per eam radii heterogenei non prorsus a se invicem separentur, atque methodum ignoraverit eos sufficienter a se invicem separandi. Primum nimirum eandem publicavit *Newtonus* in Optica prop. 4. lib. & Desaguliers testatur, descriptionem ibi traditam sibi sufficisse ad experimenta cum successu capienda. Successus experimentorum claret ex Transactionibus Anglicanis Anni 1716. ubi Num. 348. p. 435. & seqq. singula distincte describuntur, quæ coram Societate Regia ad nutum *Newtoni* iteravit.

Nos operæ pretium judicamus, ut methodum separandi a se invicem heterogeneos luminis compositi radios ex Optica *Newtoniana* huc transcribamus. In Solis radio per paruum rotundumque foramen in cubiculum tenebricosum immisso lens *MN* intervallo circiter decem duodecimve pedum a fenestra erigatur, qua foraminis imago *I* super chartæ albæ plagulam ultra lentem collocatam distincta depingatur. Deinde proxime post lentem *MN* prisma vitreum *ABC* interponatur, quo lumen trajectum refringatur ab *I* ad aliam chartam *pt*, ibique rotunda imago *I* convertatur in oblongam *pt*. Movenda autem est charta ultro citroque usque eo, donec charta & prisma justo inter se spatio distent, quo rectilinea imaginis latera quam maxime distincta appareant, sine ulla penumbra. Ea imago *pt* constat ex circulis *ag*, *bh*, *ci*, *dk*, *el*, in una eademque recta ordine continuo dispositis, qui singuli æquales sunt circulo *I* & consequenter foramini *F* magnitudine respondent. Quamobrem minuendo id foramen hi circuli, iisdem adhuc manentibus centrorum intervallis, in quam libuerit parvitatem contrahi poterunt, indeque obtinebitur radiorum mixtura in imagine *pt* tam parva, quam ipsi cupimus. Loco rotundi foraminis *F* melius adhibetur oblongum, forma oblongi parallelogrammi, cujus longitudo parallela sit prismati *ABC* & unciæ unius aut duarum, latitudo solummodo $\frac{1}{10}$ aut $\frac{1}{20}$ unciæ. Potest etiam adhiberi foramen triangulum, binis lateribus inter se æqualibus, cujus basis e. gr. circiter $\frac{1}{10}$ unciæ, altitudo uncia una aut plus eo. Etenim hoc pacto, si prismatis axis sit parallelus ad trianguli perpendicularem, imago *pt* jam composita erit

Fig. 30.

Fig. 31.

ex

ex triangulis æquicruris *ag*, *bh*, *ci*, *dk*, *el*, *fm* &c. aliisque innumeris intermediis triangulis, foramini triangulari forma & magnitudine reſpondentibus & inter duas lineas parallelas *af* & *gm* ordine continuo diſpoſitis. Quare lumen a latere obſcuriori *gm* erit plane ſimpliciſſimum, a clariori *af* aliquantum compoſitum, ut adeo in utroque varia experimenta una capere liceat. In hujusmodi experimentis cubiculum eſſe debet maxime tenebricoſum, lens bona, qualis in tubis adhiberi ſolet, priſma angulo longiori, puta 70 graduum, beneque factum ex vitro bullis venulisque immuni, & faciebus accurate planis, ſumma item cum cura perpolitum, quo modo lentes tuborum poliuntur. Priſmatis præterea acies angulatæ lentisque extremitates, quatenus irregularem aliquam refractionem efficere poſſint, charta nigra agglutinata obtegi debent, radiique ſolaris in cubiculum transmiſſi lumen id omne, quod ad experimentum erit inutile, charta nigra aliove aliquo nigro objecto corpore omnino intercipiendum eſt. Denique quia priſmata apta difficillime comparantur, utendum eſt vaſis ex ſpeculorum confractorum partibus in formam priſmatum, concluſa intus aqua pluvia, compactis, & ad augendam refractionem aqua Sacharo Saturni copioſe imbui poteſt.

Num. XXXII.

Elogium *Godofredi Guilielmi Leibnitii.*

Vita Leibnitii Atavus parentes.
Induſtria in ſcholis privata.
Studia in ſcholis elegantiora, mathematica.
In academia hyſtorica, juridica.
Diſp. de principio individuationis 1662.
Specimen quæſt. Philoſoph. 1664.
Tr. de arte combinatoria.
Diſp. de conditionibus 1665. plurium voluvin.
Chymica ejus.
Moguntiæ acta faveute Boineburgio.
Method. diſcenda jurisprudent. conſcripta.
Alſtedii encyclopædiam continuare auſus.
Ariſtoteles, Religio defenſa.
Theoria motus, optica.
Studium Geometriæ ſubtilioris, aliaque in Gallia.
Machina arithmetica ibidem.
Litterarum commercia.
1673. Iter in Angliam.
Domicilium Hannoveræ conſtitutum.
Bacheri odia.
Diaria Eruditorum concredita.
Lib. de jure ſuprematus &c.
De legatis &c.
Promotio Act. Eruditorum.
1684. Specimen calculi differentialis &c.
Hiſtoria Domus Bruuſuicenſis & alia.
Protogæa
Codex diplomaticus.

Contra-

Controverſiæ juris publici.
Specimen Dynam. Harm. præſt.
Societas Berolinenſis fundata.
Promotio unionis Reform.
Ab an. 1711. Conſiliarius Aulicus Imperii.
Collectanea etymologica.
Controverſiæ cum Anglis.
Obitus. an. 1716.
Vitæ ac morum genus &c.

Anno ſuperiori Orbis eruditus amiſit non ſine ingenti Scientiarum atque bonarum artium detrimento ornamentum ſuum ac decus facile præcipuum, Virum illuſtrem, *Godofredum Guilielmum Leibnitium*, in omni ſcientiarum bonarumque artium genere ſummum. Natus eſt Lipſiæ anno ſuperioris Seculi quadrageſimo & ſexto die vigeſima tertia Iunii juxta ſtylum Julianum, ſeu quarta Julii juxta correctiorem, quo nunc utimur. Patrem habuit *Fridericum Leibnitium*, Moralium Profeſſorem, & Univerſitatis Actuarium; matrem vero Catharinam, *Guilielmi Schmuckii*, J. U. D. & in Univerſitate noſtra Profeſſoris publici, filiam. E majoribus ejus in celebritate verſatus eſt *Paulus de Leibnitz*, frater germanus *Chriſtophori Leibnitii*, qui Noſtri atavus fuit: eum etenim Rudolphus II. Imperator (id quod diploma teſtatur) ob res in bello præclare geſtas ad dignitatem generoſi Equitis evexit, conceſſo peculiari inſigni, quo etiam Noſter conſtanter uſus eſt. Soror uterina, Anna Catharina, nupſit *Simeoni Læflero*, S. S. Theologiæ Licentiato & ad D. Thomæ in urbe noſtra Archidiacono, ex quo conjugio natus eſt *Fridericus Simeon Læflerus*, in vicinia Paſtor, unicus Viri illuſtris hæres. Ex priori parentis conjugio geniti erant *Iohannes Fridericus*, Scholæ Lipſienſis Thomanæ Collega tertius, & *Roſina, Henrici Freislebii*, Doctoris Theologiæ & Antiſtitis Sacrorum Orlamundanorum, conjux, jam multis ab hinc annis una cum Sorore uterina ex hac vita egreſſi.

Patre, cum eſſet ſex annorum puer, A. 1652. d. 5. Sept. mortuo, mater fœmina valde prudens ac pia in ejus educationem omni ſtudio incubuit, eumque in patriæ ludum Nicolaitanum miſit, ubi literis & Latinis & Græcis a *Iohanne* inprimis *Hornſchuchio* & *Tilemanno Bachuſio*, inſtitutus eſt. Vix comprehenderat animo linguæ utriusque elementa, cum privatim ad Lectionem *Livii* aliorumque Autorum claſſicorum, renitentibus Magiſtris, accederet. E poëtis *Virgilium* manu ſedula, mente attenta evolvit, ita ut ſenex tantum

non omnes Poëtæ versus non interrupta serie recitare potuerit, atque ex ejus lectione adeo profecit, ut aliquando Carmen heroicum trecentorum versuum sine ulla elisione intra unius diei spatium composuerit. Anno ætatis decimo quinto Academica ingressus est studia: ubi primum Philosophiam atque Mathesin pro viribus illis, excoluit, quod videret, se Scholasticorum veterumque Mathematicorum ac *Cartesii* scripta, quæ in parentis bibliotheca selecta offendebat, intelligere non posse, etsi Latinitatis melioris optime gnarus. Præcipuo itaque duce usus est *Iacobo Thomasio*, qui literas elegantiores cum Philosophiæ Scholasticæ tunc temporis receptæ studio conjunxerat & quem sine pari futurum fuisse postea judicavit, ubi ad virilem, immo senilem ætatem pervenit, si ea ipsi contigisset felicitas, ut recentiorum in Philosophia atque Mathesi inventa, quæ nostro ævo reservaverat providentia divina, vidisset. In Mathematicis audivit *Iohannem Kühnium*, publicum in Universitate patria Mathematum Professorem, cujus obscurius tradita cum ipse accurate perciperet, commilitones vero assequi non possent, ut & ipsi intelligerent, disputando cum Magistro ac in ejus doctrinæ veritatem inquirendo effecit. Mox in Academiam Ienensem se contulit, *Erhardi Weigelii*, Mathematum Professoris celebris, lectiones Mathematicas frequentaturus: ubi etiam *Iohanne Andrea Bosio*, Polyhistore celeberrimo duce ad studium historicum animum appulit; nec *Falckneri* Scholas Juridicas neglexit, cum A. 1662. primam Philosophiæ lauream impetrasset. Anno 1663. in patriam rediit & sub *Thomasii* præsidio *de principio individuationis* publice disputavit. Eodem anno Brunsuigam abiit salutatum *Iohannem Strauchium*, ICtum celeberrimum urbisque Syndicum, matris sororem in matrimonio habentem, & ut expediret quædam hæreditatis negotia, de quibus dissentiebant.

Patriæ redditus 1664 Magister bonarum artium renunciatus est & Philosophiam ad Juris interpretationem applicans, non multo post *Specimen quæstionum Philosophicarum e Iure collectarum* Præses in cathedram produxit. Magna animi attentione Philosophorum Græcorum Scripta evolvit & conciliationem Philosophiæ Platonicæ atque Aristotelicæ meditatus, integros sæpe dies in nemore prope Lipsiam consumsit. Pro loco in ordine Philosophorum obtinendo

nendo disputationem *de Complexionibus* habuit, quæ initium fuit Tractatus de arte combinatoria, cujus posteriorem editionem anno nonagesimo superioris seculi se inscio factam ægerrime tulit, cum ad maturiorem ætatem perveniens multas quidem meditationes egregias multos tamen etiam defectus in eo notaverit. Palmarium vero ipsius studium fuit Jurisprudentia, cui *Bartholomæo Leonhardo Schwendendorffero* & *Quirino Schachero* ducibus vacavit. Sub illius præsidio in cathedra ICtorum A. 1665. *de Conditionibus* bis disputavit & Juris utriusque Baccalaureus creatus est. Horas subcisivas in legendis scriptis literatorum celebratissimorum consumens materiam Tractatus de scriptoribus Lipsianizantibus seu Laconicum Lipsii scribendi genus imitantibus collegit, quem tamen aliis negotiis distractus non perfecit. A. 1666. titulum Doctoris Juris ambiens, eum quidem ob causas arcanas & quod nondum maturus annis crederetur, impetrare non potuit; Quare patriæ valedicens in Academiam Altorfinam se contulit, & eodem anno cum incredibili omnium plausu Doctor Iuris creatus est, postquam de *Casibus perplexis in Jure publice* disputasset: oblata simul Professio Juris extraordinaria, quam recusavit. Dissertationes ejus postea conjunctim recusæ sub hoc titulo: *Specimina juris. I. Specimen difficultatis in Jure, seu Dissertatio de Casibus perplexis. II. Specimen Encyclopediæ in Iure, seu quæstiones Philosophicæ amœniores ex Jure collectæ. III. Specimen certitudinis seu Demonstrationum in Jure exhibitum in Doctrina conditionum; Autore Godofredo Guilielmo Leibnitio.*

Noribergæ eruditos illius temporis convenit, ut cum iis de rebus ad eruditionem spectantibus colloqueretur. Floruit tum Societas quædam operationibus chymicis secretis sub directione Clerici cujusdam lapidis Philosophici ergo vacans: ad cujus arcana ut admitteretur, ex celebrium Chymicorum Scriptis phrases maxime obscuras collegit, & literas, quas ipse non intellexit, ad Directorem composuit. Hic ergo *Leibnitium*, quem e grege adeptorum ex literis agnoscere sibi videbatur, in Laboratorium introduxit, ut Secretarius Societatis pro certa pecuniæ vi omnes in eo tentatos processus describeret & in operantium usum celeberrimorum chymicorum scripta excerperet. Accidit vero, ut supremus Electoris Moguntini status Minister *Johannes Christianus L. B. a Boineburg*

Noribergam iter faciens una cum Leibnitio prandium caperet: ubi ex discursibus eruditis perspectis ejus ingenii dotibus & in jure profectibus judiciique acumine autor ipsi fuit, ut studium juris atque Historiarum porro excoleret, se effecturum spondens, ut in aulam Serenis. Electoris *Jo. Philippi a Schoenborn* vocaretur. Eo fine Noriberga Francofurtum ad Mœnum abiit & propriis primum sumtibus ibi vixit. Cum A. 1668. *Johannes Casimirus*, Rex Polonorum, relicto solio Regio, sceptra atque Coronam Reip. reddidisset, & illustris *Boineburgius* in causa *Philippi Wilhelmi* Comitis Palatini, qui ad Regnum adspirabat, in Poloniam proficisceretur; sub ficto *Georgii Ulicovii Lithuani* nomine, tanquam Vilnæ 1669. impressum, Francofurti ad Mœnum typis describi curavit, *Specimen Demonstrationum politicarum pro eligendo Rege Polonorum, novo scribendi genere ad claram certitudinem exactum*, in quo ostendere satagebat, *Philippo Wilhelmo* meliorem Regem a Rep. eligi non posse. Opusculum hoc pereruditum non modo *Boeclerus*, vir in his studiis excellens ac merito suo celebris, cum legeret, in suo genere sine pari agnovit: verum idem etiam adeo placuit Principi Sereniſſimo, cujus causam egerat, ut, splendidis conditionibus oblatis, Autorem in aulam suam vocaret, quas tamen, *Boineburgio* suadente, accipere renuit, Consiliarii munus in aula Moguntina iisdem præferens. Agnovit statim Elector præclaras viri dotes. Unde *Leibnitius* cum se gratia ejus gaudere videret, quam A. 1668. Francofurti imprimi curabat, *Novam methodum discendæ docendæque Jurisprudentiæ*, quamque in itineris diversoriorumque strepitu destitutus libris conscripserat, eidem submisse dedicavit. Adjecerat sub finem libelli catalogum desideratorum in Jurisprudentia, *novumque corpus Juris* promiserat: quod cum Sereniſſimo Electori probaretur, suppresso sui & loci impressionis nomine Moguntiæ eodem plane anno opusculum edidit sub titulo, *Corporis Juris reconcinnandi ratio*, & de eodem argumento cum *Johanne Alberto Portnero*, Icto celebri, qui idem animo volvebat, per literas egit.

Eodem tempore cum *Hesenthalero* mutuas operas conjungere decreverat, ad *Alstedii* Encyclopædiam revidendam, corrigendam & augendam: quamvis vero alia deinceps negotia impediverint, quo minus institutum executus fuerit, idem tamen etiam senex proba-

probavit, & tribus circiter ante obitum menſibus *Cl. Wolfio*, quem Halæ inviſebat, dixit, ſe optare, ut poſt tot recentiorum inventa & lucubrationes aliquis exemplo *Alſtedii* Encyclopædiam quandam conſcriberet, cujus in Matheſi vices tueri poſſent Elementa Matheſeos univerſæ *Wolfiana*. C. 1670. *Marii Nizolii* Antibarbarum philoſophicum, qui primum Parmæ A. 1553. ſub titulo, *de veris principiis & vera ratione philoſophandi* comparuerat, cum notulis nonnullis, præfatione erudita & epiſtola ad *Jacobum Thomaſium* de *Ariſtotele* Philoſophis recentioribus reconciliabili denuo recudi curavit, & illuſtri *Boineburgii*, Mæcenatis ſui, nomini inſcripſit, cujus etiam commendatione *Johanni Friderico*, Duci Brunſuicenſi & Luneburgenſi, Principi erudito, innotuit, ad quem deinceps, quicquid curioſi ipſi obvium fuit, perſcripſit. Cum *Boineburgius*, ad caſtra Pontificiorum tranſiens, *Wiſſowatium*, Socinianum pererueditum, quo familiariter utebatur, ad eadem perducere vellet, ſcripta epiſtola prolixa de antiquitate religionis Pontificiæ; hic vero reſcriberet, ſe mirari, quod Philoſophiæ ac Logicæ probe gnarus fundamento hiſtorico parum firmo fidem ſuam ſuperſtruat, & ab eodem requireret, ut in forma ad argumenta Socinianorum reſponderet: Leibnitius A. 1671. ſub ejus nomine epiſtolam exaravit, cui titulus: *Sacro Sancta Trinitas per nova inventa Logica defenſa*, in qua errores circa copulam ſyllogiſmorum, hactenus non obſervatos, monſtravit. Eodem anno Moguntiæ *Novam hypotheſin phyſicam, qua phænomenorum naturæ plerorumque cauſæ ab unico quodam univerſali motu in globo noſtro ſuppoſito repetuntur, ſeu Theoriam motus* publici juris faciebat, quæ Societati Regiæ Anglicanæ inſcripta Londini recuſa, & a *Knorrio de Roſenroth* A. 1680. in Germanicum idioma translata, ſub ficto *Chriſtophori Peganii* nomine, addita *Thomæ Brownii* Pſeudodoxia epidemica. Etſi autem libellus cum applauſu exceptus fuerit, nec pauca contineat egregia; ipſe tamen Autor, cum ad maturiores meditationes perveniſſet, eundem ex aſſe non probavit. Edidit tum etiam Schedam ſub titulo *Notitia Opticæ promotæ*, in qua inventa quædam nova de vitris poliendis continebantur, & quam ad *Benedictum Spinoſam*, rei opticæ peritum, miſit, addita epiſtola, quæ in poſthumis Spinoſæ una cum ejus ad illam reſponſione p. 559. & ſeqq. legitur. Miſerat *Boineburgius*

filium ſuum Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum & exercitiorum corporis gratia. Quare cum negotia quædam in aula Regia ipſi expedienda acciderent, quæ filio committere non poterat, facile perſuaſit Leibnitio, ut iter in Galliam ſuſciperet, ſimulque filii ſui mores obſervaret, præſertim cum virorum eruditiſſimorum in urbe tunc temporis degentium celebritatem perpendens perſpiceret, quantum ex eorum commercio utilitatis in ſe ſit redundaturum. Nec ſpem fefellit eventus: erat enim fere hoſpes in altiori Geometria, cum illuc veniret, ſed cum *Hugenii* in primis conſuetudine frueretur, ipſiusque Tractatum ingenioſum de Horologio oſcillatorio, *Paſcalii* literas atque *Gregorii a S. Vincentio* opus inſigne de quadratura circuli & ſectionibus conicis attenta mente & ſueta ſolertia perlegeret, ſubito ipſi non ſine omnium admiratione affulſit lux, ut vix eſſet, qui in hoc ſtudiorum genere perſpicacior *Leibnitio* haberetur. Quamvis autem in Matheſeos ſtudio præcipuam temporis partem ibidem conſumeret; alia tamen ſtudia inſuper non habuit. Unde celeberrimo *Huetio* inſtigante, de *Martiano Capella* cum notis in uſum Delphini edendo cogitavit, nec a propoſito deſtitiſſet, niſi malevolorum malitia, quæ in chartam conjecerat, clam ſurrepta fuiſſent. Præterea *Arnaldi* familiaritate uſus eſt, cum quo ipſi crebrum literarum commercium interceſſit circa controverſias Theologicas, de quibus cum *Malebranchio* aliisque eruditis Galliæ publice disputabat *Arnaldus*. Imperfectionem machinæ Arithmeticæ, quam *Pſacalius* invenerat, ſed non perfecerat, agnoſcens, aliam non invita Minerva excogitavit, cujus ideam cum *Colberto*, ſummo ſtatus Miniſtro, & Academiæ Regiæ Scientiarum exhiberet, adeo utique probata fuit, ut in numerum Sociorum reciperetur. A. 1673 miſſis negotiis Boineburgii, qui e vivis exceſſerat, in Angliam navigavit, ubi præter alios eruditos *Collinſium*, & *Oldenburgium*, Societatis Regiæ Secretarium, convenit, eorumque amicitiam ſibi conciliavit. Poſtquam vero cum morte Electoris Moguntini ſpes omnis in aula Moguntina emergendi decollaſſe videbatur, annuique reditus jam ceſſabant; ex Anglia in Galliam redux, ſtatus præſentis rationem, cum ad Sereniſſimum Ducem Brunſuicenſem, *Johannem Fridericum*, ſcriberet, una expoſuit, qui eidem reſpondens Conſiliarii munus in aula ſua obtulit, conceſſa libertate porro Pariſiis commo-

commorandi, donec machinam Arithmeticam perfeciſſet. Ex itinere Anglico enatum ipſi eſt commercium epiſtolicum cum *Oldenburgio* & ipſo mediante cum *Iſaaco Newtono*, jam tum Geometra ſummo. *Literæ* tantum Analyticæ ac Geometriæ reconditæ continentes, quantum integra tunc temporis volumina non continebant, leguntur Tomo tertio Operum Walliſii f. 617. & ſeqq. A. 1675. Diario Eruditorum Pariſino inſerta eſt Methodus ipſius *horologia automata portatilia perficiendi.*

Menſe Septembri anni ſequentis, per Angliam & Bataviam in Germaniam reverſus, Hanoveræ ſedem ſibi fixam eſſe voluit. In Batavia, cum *Huddenio* locutus, qui in numerum Conſulum Amſtelodamenſium relatus, cum ob negotia civilia res Mathematicas curare amplius non poſſet, librum MSC. monſtravit egregiis inventis plenum; unde apparebat, non modo quadraturam *Mercatoris* ipſi jam A. 1662. & Methodum Tangentium *Sluſii* multo ante, quam publicata fuerat, innotuiſſe; verum etiam eundem Methodum *Sluſiana* ampliorem aliaque luce publica digniſſima reperiſſe. Sæpe itaque doluit, quod MSC. illud forte interciderit. Vix Hanoveram advenerat, cum de adornanda Bibliotheca ſumtibus Domini ſui cogitaret, eumque in finem coëmeret libros Phyſicos, Medicos atque Hiſtoricos tam typis deſcriptos, quam MSC. multa ſolertia multoque judicio a viro docto *Martino Fogelio* ex omni Europa undiquaque collectos. Curribus quoque perficiendis, quibus vehimur, utilem operam navavit: unde *Bechero*, qui indignabatur *Leibnitio*, quod a Duce Sereniſſimo ſtipendia annua pro ipſo impetrare non potuiſſet, enata eſt occaſio in libello Germanico *de Sapientia ſtulta* perſtringendi virum ingenioſum, quaſi de curru cogitaſſet, quo quis viginti quatuor horarum ſpatio Hanovera Amſtelodanum vehi poſſet. Cujus rei exempla in trahis Batavorum velis inſtructis vel ejusmodi curribus Principis quondam Mauritii Schevelingæ aſſervatis Becherus forte noverat, vel de Ruſſis audiverat eos curribus hujus generis glaciem transmigrare. Experimentis phyſicis & chymicis, ſtudio rerum naturalium ex rei metallicæ, jubente Domino, multum temporis impendit: unde A. 1677. Diario Eruditorum Pariſino inſeri curavit relationem *de capite capreoli monſtroſo*, mox etiam *deſcriptionem Phoſphori a Kraftio inventi* & in aula ducali præparati,

parati, quam poſtea pleniorem edidit *in miſcellaneis Berolinenſibus*. Hæc tamen ſtudia ipſum a rebus politicis atque hiſtoricis non revocabant. Quare cum tempore pacis Neomagenſis quæſtio agitaretur, num Principes Imperii ad tractanda pacis negotia Ablegatos mittere poſſint, ſub ficto *Cæſarini Furſtenerii* nomine edidit libellum *de Jure Suprematus Principum Imperii*, cujus ſummam idiomate quoque Gallico publicavit ſub titulo: *Entretien de Philarete & d' Eugene ſur la queſtion du temps agitée a Nimwegue touchant le droit d' Ambaſſade des Electeurs & Princes de l' Empire.* Ejusdem argumenti eſt Scriptum Germanicum: *Einige Schrifften den Characterem der Chur- und Fürſtl. Geſandten betreffend.* Meruit hac ratione, ut in numerum Conſiliariorum aulicorum A. 1677. reciperetur. Quod eodem tempore nec Mathematum culturam neglexerit, teſtantur quæ *de diſcernendis numeris primitivis & quadratura Cycloidis* A. 1678. in Diario Eruditorum Pariſino diſſeruit. Multum quoque per literas de controverſiis Theologicis cum Pontificiis, *Nicolao* præſertim *Stenone*, Domino de *Reck* & *Erneſto Haſſiæ Landgrafio*: cum *Henrico* autem *Eckharto*, Antiſtite erudito, qui ante Mathematum Profeſſor in Academia Rintelenſi fuerat, de Carteſii dogmatibus nonnullis diſputavit. A. 1679. *Johanni Friderico*, Duci ac Domino ſuo, e numero mortalium ſublato, Carmine Heroico Latino parentavit. Ejus Succeſſor *Erneſtus Auguſtus*, Epiſcopus Oſnabrugenſis, non minori gratia ipſum complexus, qui etiam juſſit, ut hiſtoriam domus ſuæ conſcriberet. Cum A. 1682, ſub directione *Ottonis Menckenii* Acta Eruditorum Lipſiæ edi cœpiſſent, inſtitutum hoc valde promovit & præter recenſiones varii generis librorum, quas ipſe compoſuit, multis egregiis in Matheſi, Geometria inprimis ſublimiori ac Arte analytica inventis eadem ornavit, utque Geometræ primi ordinis alii paria facerent, effecit. Non opus eſt, ut prolixe recenſeamus, quæ in ſingulis Actorum annis publicavit: Omnia enim Viri illuſtris Schediaſmata, quæ ibi leguntur, Indices generales uno obtutu conſpicienda exhibent. A. 1684. in iisdem publicaverat egregium illud *calculi differentialis* inventum, cujus ideam jam A. 1677. per literas communicaverat cum *Newtono*, quæ apud *Walliſium* Operum Vol. III. f. 648. extant: Sed cum ejus utilitatem inſignem non ſtatim perviderent Geome-

træ,

træ, ipſeque *Hugenius* re non ſatis intellecta primum ſentiret, ope hujus calculi aliter jam inventa nova tantum ratione exprimi, per aliquot annos inglorium jacuit. Accidit vero, ut, cum A. 1686. brevem demonſtrationem erroris memorabilis *Carteſii* circa legem naturæ, ſecundum quam volunt a Deo eandem ſemper quantitatem motus conſervari, in his Actis ederet, *Abbas de Catelan* in Novellis Reip. literariæ ejusdem anni *Carteſium* contra *Leibnitium* defenderet, qui A. 1687. in iisdem eidem reſpondebat. Enimvero cum Abbas denuo replicaret, nec rei examinandæ par videretur, *Leibnitius* eundem convicturus, *Carteſium* etſi præclara, non tamen omnia dediſſe, problema lineæ iſochronæ propoſuit: quod ſolvere neſcius controverſiam miſſam fecit. Dedit autem ſolutionem *Hugenius* ſuppreſſa cum demonſtratione, tum analyſi. Demonſtrationem A. 1689. in his Actis poſtea publicavit *Leibnitius*: analyſin ope calculi differentialis tentavit, inventamque in Actis A. 1690. communicavit *Jacobus Bernoullius*, & ad vires calculi examinandas problema catenariæ *Leibnitio* propoſuit, quod cum per eum ſolviſſet, publice id in iisdem Actis ſignificans aliis quoque methodos ſuas exercendi ſpatium reliquit, & ad novum problema *de linea*, quam percurrens grave uniformiter recedat a dato puncto, vel accedat ad datum punctum, Geometras inſuper invitavit. Solutiones problematis catenarii in Actis A. 1691. impertiti ſunt *Hugenius*, *Johannes Bernoullius* & *Leibnitius*, quamvis ſuppreſſa analyſi: *Jacobus* vero *Bernoullius* varia calculi differentialis ſpecimina exhibuit, publiceque p. 290. faſſus eſt, ſe in problematibus phyſico-mechanicis, quæ quis nequicquam alia tentet methodo, calculi *Leibnitiani* eximium & ſingularem plane uſum comperiſſe, ut ipſum propterea inter primaria ſeculi noſtri inventa cenſendum eſſe æſtimet. Ab eo tempore majorem celebritatem conſecutus eſt calculus differentialis, ad quam quid inprimis contulerit *Johannes Bernoullius*, in Actis A. 1716. Anonymus docuit. Ceterum *Leibnitius* ab A. 1687. de Hiſtoria domus Brunſuicenſis ac Luneburgenſis ſerio cogitare cœpit, eoque fine ſumtibus Ducis Sereniſſimi per Bavariam, Franconiam, Sueviam aliasque Germaniæ provincias iter faciens in cœnobiis MSC. ſedulo evolvit, ac ubique locorum Viros doctos & artifices ingenioſos inviſit. Ad libros rariores ac MSC. excerpendum Franco-

furti ad Mœnum adſciverat virum juvenem, *Fridericum Heynium*, cum quo Viennam abiit, Bibliothecam Imperialem perluſtraturus, & inde in Italiam excurrit Archiva Principum, Bibliothecas illuſtres, templa, epitaphia & quicquid curioſi obviam fieret, viſurus. A. 1690. domum redux factus ad ſua quoque ſtudia redibat, & præter Mathematica, quæ in his Actis dedit, Diario Eruditorum Pariſino diſquiſitionem inſeruit: *num eſſentia corporis in extenſione conſiſtat?* A. 1691. objectiones movit per literas contra ſcriptum *Peliſſonii* quod ſub titulo: *Reflexions ſur les differents de la Religion*, editum Reformatis religionem Pontificiam perſuadere debebat, quæ una cum reſponſionibus *Peliſſonii*, Sorbona approbante, A. 1692. Pariſiis ſub titulo: *De la tolerance des Religions Lettres de Mr. de Leibnitz & Reponſe de M. Peliſſon, ou quatrieme partie des Reflexions ſur les differents de la Religion*, prodiere, & mox in Batavia recuſæ fuere. Eodem anno in Diario Eruditorum Gallico edita eſt epiſtola ad *Foucherium* de axiomatibus quibusdam Philoſophicis, & alia de novis literariis in Colloquiis menſtruis *Tenzelii*; ut taceamus, quæ in illo de catenaria & analyſi tranſcendenti, ac in his Actis de aliis argumentis Geometricis propoſuit. Status Adminiſtris ſuppeditavit, quæ ex Hiſtoria & Jure publico ſcitu neceſſaria erant, cum Sereniſſimus Dux *Erneſtus Auguſtus* ad dignitatem Electoralem eveheretur.

Cumque etiam hoc anno ideam hiſtoriæ Brunſuicenſis privatim adornaret ac Electori conſpiciendam exhiberet; ex contemplatione ſtatus naturalis regionis enatus ipſi eſt elegans *Protogæorum* Tractatus, in quo de diverſis terræ ſtratis, de reliquiis marinis in iisdem repertis, de metalli fodinis, cryptis, montibus, lacubus aliisque iſtiusmodi rebus rationes affert. Ejus aliquod ſpecimen exhibuit in Actis A. 1693, quo etiam ſuas de *Huetii* Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ & *Swelingii* ad eam reſponſione cogitationes ad *Nicaiſium* Abbatem perſcripſit, & *Chriſtiano Thomaſio* prolixius expoſuit, quid in *Carteſii* dogmatibus reprehendat, qui Notata *Leibnitii* circa vitam & doctrinam *Carteſii* Hiſtoriæ Sapientiæ & Stultitiæ inſeruit. In Diario Gallico de axiomatibus quibusdam Philoſophicis cum *Foucherio* diſputavit, & regulam generalem de compoſitione motuum dedit: in Colloquiis menſtruis *Tenzelii* de *Nodotii* Fragmento

to *Petronii* differuit. Et quia cura ſuprema Bibliothecæ Guelpherbytanæ ipſi etiam demandata fuerat, Acta publica ſedulo perluſtravit, quæ ibidem inter MSC. præſertim *Mazariniana* aſſervantur, & ſelectiora una cum aliis, quæ a Principibus & Viris doctis undiquaque acceperat, ſub titulo *Codicis diplomatici* in folio edidit, præmiſſa præfatione de principio Juris & amore Dei. A. 1694 controverſia juris publici agitata eſt inter ipſum atque Ictum celebrem *Kulpiſium*, quorum ille vexillum Imperii majus Electori ſuo, hic vero Duci Wurtembergico aſſerebat, & contra *Pfannerum* fœdus inter *Carolum* Regem Galliæ & Duces Saxoniæ *Fridericum* atque *Williermum* A. 1444. initum, ac in Codice Diplomatico aſſertum, in literis ad *Tenzelium* datis defendit, quæ una cum *P. Fannerianis* in Actis Eruditorum Germanicis Sect. XXIII. poſtea publicatæ ſunt. Quæ de hiſtoria Medica quotannis edenda meditatus, in Diario Gallico reperiuntur: ipſius vero de vana *Aimari* arte rhabdomantica, & vita *R. P. la Chaiſe* fabuloſa, in Batavia edita, epiſtolæ ad *Tenzelium* in hujus Colloquiis menſtruis leguntur. Matrimonium inter Ducem Mutinenſem & *Johannis Friderici* Ducis Brunſuicenſis ac Luneburgenſis filiam natu majorem initum materiam dedit A. 1698. ſcripto Gallico, cui titulus: *Lettre ſur la Connexion des Maiſons de Brunſwic & d' Eſte, a Guidio* Abbate in Italicum idioma translato. Emiſit quoque in Actis hiſce *ſpecimen dynamicum* pro admirandis naturæ legibus circa corporum vires & mutuas actiones detegendis & ad ſuas cauſas revocandis; in Diario autem Gallico Syſtema *harmoniæ præſtabilitæ* publice primum propoſuit, quo ſolo communicatio ſubſtantiarum & commercium inter mentem atque corpus rationali modo explicatur: id quod nec *Bælius* in Dictionario critico diffitetur, etſi difficultates quasdam faceſſere nitatur, quas per literas ad ipſum datas, ſed nondum editas, ſuſtulit. Dolendum vero, quod *alteram partem ſpeciminis dynamici*, quam promiſerat, non addiderit: immo magis dolendum, quod ſcientiam novam dynamicam, de qua primus cogitavit & quam ipſe omnium optime condere poterat, aliis negotiis multiplicibus diſtrictus non perfecerit. A. 1696. in publicum emiſit ſpecimen hiſtoriæ arcanæ de vita *Alexandri VI.* Papæ ex Diario MSC. *Johannis Burchardi* Ceremoniarum Magiſtri, præmiſſa præfatione de hoc librorum ge-

nere erudita: quam pleniorem ex opere integro *Burchardi*, quod poſtea ad manus ipſius pervenit, editurus erat, niſi mors propoſitum evertiſſet. Eodem anno in novo Diario Eruditorum *Berolini* edito ſuas de *origine Germanorum* cogitationes prodidit, quos eosdem cum *Hermionibus* ſtatuit, a Duce *Irmino*, *Hermino* ſeu *Hermanno* nomen adeptis: ad Cl. *Benzelium* vero, hodie Profeſſorem & Bibliothecarium Upſalienſem, ſuam de origine *Suecorum* ſententiam perſcripſit, quod ſcriptum nuper in Miſcellaneis ſuis imprimi curavit Cl. *Fellerus*. Ceterum cum non minora eſſent Viri ſummi in domum Electoralem, quam Remp. literariam merita; eodem anno ab Electore in numerum Conſiliariorum juſtitiæ intimorum cooptatus eſt. Ex literis Miſſionariorum edidit *Noviſſima Sinica* de ſtatu religionis Chriſtianæ in China, & A. 1698. Acceſſiones Hiſtoricas duobus Tomis, quibus hiſtorici medii ævi tum nondum in publicum proſtantes continentur. Tum opera Cl. *Eckhardti* (qui nobiscum liberali manu communicavit ad Elogium *Leibnitii* profutura) ad labores hiſtoricos ſublevandos uti cœpit. A. 1700, quo & diploma, quo in Academiam Regiam Scientiarum Pariſienſem receptus eſt, accepit, ab Electore Brandenburgico, *Leibnitio* ſuadente, fundata eſt Societas Scientiarum, cujus ipſe Præſidem egit, etſi maximam partem temporis abſens eſſe cogeretur, uſus gratia plane ſingulari conjugis Electoralis, mox Reginæ Boruſſiæ, quæ ipſum in materiis philoſophicis profundis ac arduis conſulere ſueverat. Prodiit eodem tempore *Mantiſſa Codicis diplomatici*; prodiere obſervationes de *Principiis Juris* in Diario Eruditorum Germanico a Dn. Eckhardto Hanoveræ ſub titulo *Auszug neuer Bücher* tum edi cœpto, quibus Anno ſequente 1701. accedebant Epiſtola reſponſoria *de methodo Botanica* ad diſſertationem A. C. *Gackenholzii*; Annotationes de iis, quæ ſecundum jus Gentium modernum ad *majeſtatem Regiam* requiruntur, occaſione coronationis Regis Pruſſiæ; diſſertatio de *Numis Gratiani* Aug. cum *Gloria novi Seculi*; *Notæ in Schilterii* Specimen Gloſſarii Alemannici. In Diario Trevoltienſi de *generatione glaciei*, de demonſtratione exiſtentiæ divinæ *Carteſiana*, de inſtituto *Academiæ Scientiarum Berolinenſis* & de quadam *moneta Romana*, & A. 1702. *de calculo ſuo differentiali* egit: in his vero Actis Specimen novum Analyſeos pro Scientia

tia *infiniti circa ſummas & quadraturas* exhibuit: quod, quia ſingulare & inter inventa recentiora in recondita Geometria vix paria habet, omnino commemorari debet, utut reliqua ſilentio prætereamus, quæ ab eo in iisdem leguntur. Status Regis Boruſſiæ Adminiſtris conſiliis adfuit, cum de Succeſſione in Principatu *Novi Caſtri* deliberaretur. Quoniam Berolini educatio bombycum non male ſuccedebat; eandem in aliis quoque Germaniæ locis promoturus, privilegium a potentiſſimo Poloniarum Rege obtinuit *plantandi moros* in omnibus Saxoniæ locis, ubicunque commodum viſum fuerit: quamvis, cum ipſe experimenta Hanoveræ caperet, eademque ad finem usque vitæ non ſine exiguo damno continuaret, eodem uſus non fuerit. A. 1703. eidem Regiæ Majeſtati perſuadere conabatur Academiam Scientiarum Dresdæ fundandam; quod quo minus factum fuerit, turbæ in Polonia exortæ impediverunt. Ab eo autem tempore multum laboris impendit *Hiſtoriæ Brunſuicenſi*, & de nova *lingua philoſophica* cogitans, Iuveni cuidam docto commiſit, ut ſe duce omnium rerum definitiones colligeret: ejus tamen nihil perfecit.

Interim annotationes conſcripſit in ea, quæ de prædeſtinatione & ſacra Coena ex majori opere *Burneti* Anglico deſcripta & in Latinum idioma translata ad promovendam unionem Reformatorum cum Lutheranis imprimi curaverat *Iablonskius*, Regi Boruſſiæ a ſacris, oſtenditque, *Burnetum* fundamentum controverſiæ non perſpexiſſe, nec Sententiam Lutheranorum ſatis intellexiſſe, cujus rationes ſolide expoſuit. Miſit eas MSC. ad ipſum *Burnetum*, cui multum probatæ fuerunt. Ad ea, quæ *David Gregorius* tentamini ejus de motuum cœleſtium cauſis in elementis Aſtronomiæ objecerat, prolixe reſpondit in peculiari diſſertatione, quam A. 1704. ad *Wolfium* Lipſiam miſerat, ut eam, prout commodum videretur, Actis inſeri curaret. Sed cum *B. Menckenius* ob prolixitatem nimiam *Leibnitio* gratificari non poſſet; ejus loco A. 1706. inſerta tantum eſt Epiſtola, quam de eodem argumento ad Amicum perſcripſerat. Idem etiam Viri illuſtris *annotationes in Hickeſii Theſaurum* linguarum Septentrionalium ſepoſuerat: quas tamen poſtea Filius, qui nunc collectionem Actorum moderatur, in Supplementis eorundem prodire voluit. A. 1707. primum edidit *Scriptorum Brunſuicen-*

ſuicenſium Tomum, quem poſtea A. 1710. ſecundus & 1711. tertius ſecuti ſunt. Quæ Miſcellaneis Berolinenſibus a *Leibnitio* inſerta ſint, in his Actis recenſuimus. De inſigni quoque *Theodiceæ* opere, quod A. 1710. primum lucem publicam adſpexit abunde dictum eſt in his Actis alibi. A. 1711. commendante *Antonio Ulrico*, Duce Brunſuicenſi, ab Imperatore in numerum Conſiliariorum aulicorum Imperii receptus eſt *Leibnitius*, & Torgaviæ, cum Sereniſſima Princeps *Charlotta Chriſtiana Sophia* Principi imperii Ruſſici hæredi deſponſaretur, cum Ruſſorum Monarcha de declinatione acus magneticæ variisque Scientiarum generibus collocutus, ab eo munus inſigne accepit, moxque in numerum Conſiliariorum juſtitiæ intimorum relatus eſt, addito ſtipendio annuo mille thalerorum Albertinorum. Occaſione Hiſtoriæ ſtudii Etymologici linguæ Germanicæ impenſi, a Cl. *Eckhardto* editæ, *Collectanea etymologica* ſcripſit, poſt ejus obitum ab *Eckhardto* publici juris facta, & paulo ante a nobis recenſita. Epiſtola de principiis operis *Puffendorfiani* de officio hominis & civis, quæ hoc anno in Diario Germanico (*Der Bücher-Saal* vulgo dicto) comparuit, dudum ad R. Abbatem *Molanum* ſcripta fuit. Mortuo Rege Boruſſiæ, Societatis Regiæ Fundatore, de Societate Scientiarum alibi conſtituenda cogitavit, & commendatione Sereniſſimi Principis *Eugenii* Imperatorem inſtituto faventem habuit: quem etiam in finem Viennam profectus ſtipendium annuum bis mille florenorum obtinuit una cum convictu in aula, duplo auctius obtenturus, ubi ſedem fixam (quod facturus erat, ſi diutius ſupervixiſſet) Viennæ conſtitueret. Quod autem conſilia de Academia Scientiarum ibidem condenda ſucceſſu caruerint, tum peſtis Viennæ graſſata, tum reditus Hanoveram A. 1714. factus ad perficiendam Hiſtoriam Brunſuicenſem impedivit. Invenit Hanoveræ laboris Socium Cl. *Eckhardtum*, quem Rex Angliæ ideo ex Academia Iulia in aulam evocatum titulo Hiſtoriographi ornaverat: cumque in Anglia ſcripta nonnulla contra religionem Lutheranam in odium Regis prodiiſſent, in tractatu Gallico, cui *Anti Iacobite* eſt titulus, ad objectiones reſpondit & diſcrimen Eccleſiæ Anglicanæ atque Lutheranæ in articulo de Cœna diſtincte expoſuit. Viennæ vero cum Dn. Sully libellum Gallicum ſub titulo: *Regle artificielle du Tems*, in publicum proferret; notas quasdam rogatus adjecit de

modo

modo *tractandi horologia* pendulis & elateribus instructa. Tractatum de *originibus Francorum* A. 1715. editum, impugnarunt in Gallia Viri quidam eruditi, & in Germania *Gundlingius*, Eloquentiæ in Academia Halensi Professor. Sed utrisque mox publice satisfecit. Ao. 1716. per literas de argumentis metaphysicis cum *Clarkio* disputavit, quæ cum in Anglia prælum subire debeant, suo tempore a nobis recensebuntur. Ad Dn. *Remontium* nonnulla de *Theologia Sinensium* Lutetiam Parisiorum misit, & mortuo *Barone de la Hontan* Tractatum edidit Gallicum cui titulus: *Reponse du Baron de la Hontan à là lettre d'un particulier opposée au Manifeste de sa Majesté de la Grande Bretagne comme Electeur de Bronswic contre la Svede.* Ad preces *Jablonsky* varias epistolas de unione Protestantium conscripsit. In Anglia nonnemo *calculi differentialis inventi* gloriam, qua per tot annos fruebatur, dubiam ipsi reddere cœperat ab A. 1708. cui, cum Viennæ esset, chartam quandam volantem interea oppositit & nonnulla, quæ in Diario Hagiensi ea de re publicatis opponerentur, ad Amicum perscripsit, donec redux factus perlustraret commercium quod eo fine in Anglia prodierat, epistolicum, & distinctius ad singula responderet. Enimvero cum intelligeret, inficetum scribendi genus adamari ab Antagonista, quod & a suo genio & a Seculi moderni moribus alienum noverat, nec ipse a se impetrare potuit, ut Antagonistæ crambem, quam sæpius recoctam apposuit, vel primis labiis degustaret, nec amicis permittere voluit, ut causam suam tuerentur: quare etiam factum est, ut de hac controversia nihil a nobis dictum fuerit in his Actis. Quo tamen perspicerent intelligentes, quid de tota illa controversia sentiendum sit, Commercio epistolico Anglorum aliud quoddam suum idemque amplius opponere decreverat, & paucis ante obitum diebus Cl. *Wolfio* significavit, se Anglos famam ipsius lacessentes re ipsa refutaturum: quam primum enim a laboribus historicis vacaturus sit, daturum se aliquid in Analysi prosus inexpectatum & cum inventis, quæ hactenus in publicum prostant, sive *Newtoni*, sive aliorum nil quicquam affine habens. Enimvero hisce & aliis, quæ a profundo Viri ingenio expectanda erant, carere cogitur Respublica literaria, postquam præter sui & amicorum expectationem d. 14, Novemb. A, 1716. e vivis discessit. Causa mortis fuit arthri-

tis

tis humeros infestans: contra quam decoctum hauserat a Iesuita Ingolstadiensi commendatum, quod cum per vias naturales ejicere non posset, accedentibus doloribus calculi, convulsiones excitavit mortemque intra horulæ unius ambitum acceleravit. Ut honeste sepeliretur, nihil omisit hæres unicus *Læflerus*. *Historiam Brunsuicensem* reliquit, quam cum ab initio regni Caroli M. usque ad A. 1024. perducere constituisset, nonnisi ad annum 1005 produxit. Perficiet eam, qui vivo mutuas operas præstitit, *Eckhardtus*, aliquoties jam nobis laudatus, atque interim, quæ prelo parata sunt, uno alterove tomo edet. Operis ideam ipsius *Leibnitii* verbis expressam proxime dabimus. Erat vero *Leibnitius* staturæ mediocris, myops quidem, sed tamen visus acie pollens usque ad finem vitæ, macilento potius, quam pingui corporis habitu præditus. Potu utebatur modico, victu largiori: vinum aqua temperabat ad præcavendum ardorem Stomachi. Nullum ipsi erat prandii, nullum cœnæ tempus: Sed quando a studiis vacabat, fame invitante, cibum capiebat. Cum in senectute doloribus arthriticis vexaretur; loco prandii pauculo lactis fruebatur, sed largius cœnabatur, statimque a cœna cubitum ibat: quod antehac ante horam primam vel secundam matutinam vix contingebat. Sæpius cum Electore aliisque Principibus epulabatur. Et singulari admodum in gratia fuit apud *Sophiam*, Electricem, *Sophiam Charlottam* Borussiæ Reginam, & *Wilhelminam Charlottam*, Georgii Augusti Principis Walliæ illustrissimam conjugem. De nemine unquam male locutus, quin potius omnia in meliorem partem interpretatus est. Multa legit & excerpsit, atque ad singulos fere libros curiosos notulas quasdam in schedulis consignavit: eas tamen statim sepposuit, nec memoria pollens vnquam relegit. Prolixum nimis foret, si nomina Virorum illustrium ac eruditorum, immo etiam Principum recensere vellemus, cum quibus ipsi commercium epistolicum intercessit, quod maximam temporis partem absumsit. Erga domesticos paulo indulgentior erat: ad iram pronus, sed quam mox sedare nouerat. Virtutem, si quis alius, sectabatur, nec facile quicquam animi tranquillitatem turbare poterat. Sæpius iter faciebat in aulas Principum, quibus charus habebatur, & in via schediasmata mathematica, quæ cum in his Actis, tum in aliis Eruditorum Diariis leguntur, composuit.

Multa

Multa adhuc præclara in MSC. ac ſchedis ejus latent, quæ in Bibliotheca Regia Hanoveræ nunc ſervantur. Scripta ejus minora, quæ hactenus ſigillatim impreſſa, uno volumine recudi curabit *Eckhardtus*. Idem molitur editionem tam integrorum Tractatuum, quos MSC. reliquit, quam *Leibnitianorum* ex Schedis ejus compilandorum.

Num. XXXIII.

Notitia de Hiſtoria Brunſuicenſi quam edere paraverat *G. G. Leibnitius.*

Inſtitutum Autoris, & in quantum ei ſatisfecerit.

De Hiſtoria ſua Brunſuicenſi ſequentia in Scheda annotata reliquit Illuſtris *Leibnitius: Annales originum Brunſuicenſium complectentur res Imperii occidentis ab initio regni Caroli Magni uſque ad finem Henrici II. Imperatoris, & ita ab anno Domini 769. usque ad A. D. 1025. In iis habebuntur antiquitates Saxonicæ ad ſtirpem Witikindeam, res ſuperioris Germaniæ ad ſtirpem Welficam, res Longobardicæ ad ſtirpem veterum Ducum & Marchionum Tuſciæ & Liguriæ ſpectantes. Ab his enim omnibus Duces Brunſuicenſes ſunt orti, & regiones habuerunt, itaque totius Imperii Hiſtoriam per illa tempora explicari neceſſe fuit. Et poſt res Imperatorum ex ſtirpe Carolina deſcribentur res quinque Imperatorum vel Regum veteris lineæ Brunſuicenſis, nempe Henrici Aucupis, trium Ottonum & Henrici Secundi, in quæ Tempora incidunt etiam ceteræ origines.*

Præmittetur his Annalibus quædam diſſertatio de antiquiſſimo harum regionum ſtatu, qui ante Hiſtoricos ex naturæ veſtigiis haberi poteſt; & alia de migrationibus gentium, præſertim quæ in has regiones venere. Et ſubjicietur Annalibus deductio Genealogica Guelfica ſeu Brunſuicenſis ad noſtra usque tempora ex Tabulariis eruta, brevem ſed accuratam familiæ totius Hiſtoriam complexa, eminentium familiarum velut Gibellinæ, Auſtriacæ veteris & novæ, Andegavenſis, Anglicæ, Schirenſis ſeu Bavaro-Palatinæ &c. Genealogiis longe melius quam hactenus conſtitutis. Per documenta etiam conſtituetur exacte Chronologia Seculi noni & decimi cum parte octavi & unde-

cimi, quæ hactenus miris tenebris involuta fuere, adjecta etiam Dissertatiuncula, quæ inscribetur: Flores sparsi in tumulum Papissæ, ubi novis illatis in Historiam luminibus fabula illa explodetur, quæ solis hactenus tenebris Chronologocis se tuebatur. Denique ausim dicere, nihil tale ad Historiam mediam hactenus prodiisse, in quo tam multi sunt sublati errores in Imperii rebus per Germaniam Italiamque, & res in clariore luce positæ. Bina erunt volumina in folii forma, ut vocant, Tabulis æneis veterum monumentorum, documentorum, sigillorum, numismatum ornata.

Ex literis Cl. *Eckhardti*, qui in munere Historiographi Domus Brunsuicensis Leibnitio successit, habemus, quod Vir illustris Tractatus de Naturalibus regionis tantum ideam quandam, quam animo conceperat, in schedis suis delineaverit; de migrationibus gentium vero nihil adhuc in chartam conjecerit. In ipsa Historia ab initio regni Caroli M. usque ad A. 1005. pervenit. Deductiones chronologicæ omnes, præter majores *Azonis* Marchionis, debentur Studio *Eckhardti*, etiam reliqua suppleturi, quæ adhuc desiderantur. Idem spem facit, fore ut duo Tomi priores, in quibus nodi difficillimi genealogici solvuntur & origines omnium familiarum illustrium in Europa explicantur, anno sequente in publicum prodeant. Cetera vero ab Anno Domini 1025. usque ad Ottonem primum Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem ante quinquennium vix comparebunt.

Num. XXXIV.

Ratio prælectionum Wolfianarum in Matheſin & Philoſophiam univerſam Halæ 1718.

I. Principiorum in mathematicis usus & finis.
Principium reductionis ignoti ad notum ad Analysin.
In Geometria principia congruentiæ ac similitudinis.
Demonstrationum analysis.
Propositio inde nata ejusque examen.
Demonstrationum reductio quasi ad infinitum
Usus artis characteristicæ.

II. Le-

II Lectionum philoſophicarum generalia & ſpecialia cujusque partis.
Succeſſio perceptionum unde.
Anima quid, univerſum quid? aliæque definitiones metaphyſicæ.
Phyſica. Ubi de colorum generatione &c.
Philoſ. practica Autoris.
Conjectatio morum. Ethica, Politica.

Rationes quæ Cel. *Wolfium* permoverunt, ut ſuarum in Matheſin atque Philoſophiam univerſam prælectionum rationem publice redderet, in præfatione recenſet, nempe ut ſatisfiat iis, qui de iisdem per literas percontantur, aut quod ipſis non mature de iisdem conſtiterit, conqueruntur, tum quod non deſint, qui ipſius lectiones larvatas tanquam proprii ingenii fœtus edunt. Dividitur libellus in duas ſectiones, quarum prior prælectionibus in Matheſin, alter prælectionibus in philoſophiam deſtinatur.

Quem ſibi finem in lectionibus Mathematicis propoſuerit Sect. I. c. 1. docet. Primus ſcil. finis eſt cultura intellectus, alter vero cognitio veritatum mathematicarum, vel ad diſciplinas ceteras inſtar principiorum vel ad vitam humanam utilium. Prior cum ſit ipſi primarius, ut ſtudium Matheſeos omnibus utile reddat, accurata in tradenda Matheſin utitur methodo. Poſterioris conſequendi gratia, theoriis praxes jungit. Alteram diſciplinarum mathematicarum partem lectionibus privatis, alteram pulicis deſtinavit, ne ſuperficiaria tractatio obſtet, quo minus finem primarium conſequatur. Privatis ſerviunt Arithmetica, Geometria, Trigonometria, Mechanica, Hydroſtatica, Hydraulica cum Architectura civili & militari, atque Pyrotechnia; publicis Optica, Aſtronomia, Geographia atque Gnomonica; Algebra ſive Analyſis, quæ ad paucorum eſt palatum, privatiſſimis reſervatur. De illis cap. 2 quod de curſu mathematico inſcribitur, de iſtis cap. 3. de his denique cap. 4. agit.

In omnibus Cl. Autor finis primarii cauſa utitur methodo analytica a principiis progrediens ad concluſiones. Hinc in Arithmetica, itemque in Analyſi frequentiſſime utitur *principio reductionis* (quod vocat), *ignoti ad notum*. E. gr. in algorithmo additionem reducit ad vulgarem numerationem nummorum; ſubtractionem ad eorundem permutationem; in algorithmo ſpecioſo irrationales quantitates ad rationales & ita porro. Oſtendit etiam, quomodo in Arithmetica demonſtrandi rigor cum deſiderata tyronibus brevi-

tate ac facilitate conjungatur, & quomodo exempla ſingularia ſint ſcribenda, ut demonſtrationem univerſalem veluti oculis ſpectandam exhibeant.

Ab Arithmetica ad Geometriam digreditur, ubi demonſtrationes ad duplex reducit principium, *congruentiæ* ſcilicet ac *ſimilitudinis*, quorum iſtud fundamentum eſt Geometriæ *Euclideæ*. Hoc *Wolfius* primus in Geometriam introduxit, *Leibnitio* anſam præbente, ut quædam demonſtrationes fierent breviores, faciliores ac clariores & Geometria ætiologica evaderet.

In explicandis demonſtrationibus operam dat, ut indolem demonſtrationis diſtincte percipiant tyrones, & ut demonſtrationum comprehenſio facilitetur. De demonſtrationum analyſi ita loquitur: *Primam propoſitionem ſuppeditat theorematis hypotheſis, aut conſpectus Schematis in uſum demonſtrationis delineati, quæ ob terminum quendam communem propoſitionem aliam anteriorem in memoriam revocat, (in primis nempe demonſtrationibus definitionem vel axioma aliquod). Ex his duabus propoſitionibus tanquam præmiſſis combinando terminos in utraque diverſos infertur concluſio. Hæc inſtar præmiſſæ novi ſyllogiſmi aſſumitur &, ut ante, ob communem terminum propoſitionem aliam anteriorem in memoriam revocat: unde denuo nova concluſio infertur. Interdum ex conditione theorematis aut intuitu ſchematiſmi duæ vel plures concluſiones eliciuntur, quæ inter ſe comparatæ novam exhibent propoſitionem præmiſſæ loco ſumendam in ſequente ſyllogiſmo.*

Hac ratione progreditur Autor, donec tandem prodeat propoſitio, quæ ad demonſtrandum proponebatur. Declarat analyſin exemplo, & præter alia ſingularia, quæ ſubnectit, ejus neglectui tribuit lapſus eorum, qui methodum mathematicam irrito ſucceſſu ad alias diſciplinas applicare ſtuduerunt. Ad demonſtrationum comprehenſionem facilitandam utitur *examine propoſitionum & reductione demonſtrationum ad intuitum.* Examen inſtituitur, ſi Schema juxta conditionem theorematis delineetur, & ope inſtrumentorum examinetur, quæ in theſi enunciantur, utrum ita ſe habeant nec ne: ubi dandam ait eſſe operam, ut ad demonſtrationem manu ducat, imo (ſi fieri poteſt) eam eodem modo contineat, quo ſingu-

lare

lare continet universale, quo in casu examen *demonstrationem mechanicam* appellat.

Demonstratio ad intuitum reducitur ope Artis characteristicæ. Conclusiones nempe syllogismorum characteribus exprimi & distincte sub schemate scribi jubet, ut integram demonstrationem uno obtutu comprehendere, singulasque propositiones sigillatim expendere liceat. Quomodo id fieri possit, exemplo docet. Consultius judicat, demonstrationem omittere, quam nimis imperfectam aut prorsus paralogismis scatentem tradere: imo monstrat, singulari quadam utilitate quasdam propositiones demonstrabiles in tyronum gratiam sine demonstratione assumi.

Egregium deprehendit artificium ad terminos in omni mathesi facile retinendos, eorumque definitiones, quotiescunque visum fuerit, proprio marte eruendas, si in schematismis lineis atque angulis adscribantur nomina vi definitionum ipsis vindicanda, modo caveatur, ne conspectus schematismi reddatur confusus: id quod facilius ipsius judicio posset evitari, si *ars characteristica* haberetur adeo exculta, ut singularum rerum commodi prostarent characteres. Pleniorem *artis characteristicæ generalis* mentionem injicit, ubi in Algebra de commoda quantitatum denominatione agit, quam aliter inveniri ac perfici posse negat, nisi ab exemplis singularibus notiones universales abstrahendo, & has iterum per determinationes speciales specificando, prout alibi se distinctius expositurum promittit. Characteres tum demum optimos censeri ait, si omnes relationes datas distincte exprimant, quas in resolutione problematis attendere debemus, aut si definitionem rei intuitui exhibeant. Istos characteres demonstrativos esse & æque fœcundos ac ipsas notiones, quas adæquate referant. Commendat itaque *reductionem notionum ad characteres* per combinationem characterum simplicium. Formulæ & expressiones analyticæ, judice Nostro, cognitionem symbolicam convertunt in intuitivam, eamque puram h. e. uno obtutu comprehendendum exhibent, quod ad rem præsentem spectat, superfluis remotis, ut & confuse & distincte percipi possit, prout commodum visum fuerit. Cum tandem cap. 5. de instituto lectionum mathematicarum privatissimarum disserit, notatu digna sunt,

quæ docet de modo ex ipso discente interrogationibus aptis eliciendi, quod doceri debet.

II. De lectionibus philosophicis plura nobis commemoranda forent, nisi metuendum esset, ne recensio statutos limites excederet. Cum Cl. *Wolfio* Philosophia sit omnium possibilium scientia, ita ut philosophus rationem eorum distincte perspiciens excellentius cognoscat, quæ in disciplinis superiorum facultatum vulgari modo pertractantur; finis lectionum Philosophicarum eidem est, ut præclara ingenia ad distinctam cognitionem manuducat & principia sufficientia tradat, quibus unusquisque ad rationes eorum, quæ ipsi cognoscenda offeruntur, intime perspiciendas promte utatur. Eum ut consequatur, operam se dare ait Sect. 2. c. 1. ut 1) accuratas tradat earum rerum, de quibus agendum est, definitiones, nec utatur voce, nisi distincte explicata. 2) ut nihil sine probatione assumatur, nec 3) in observationibus & experimentis, (quod plerumque fieri solet, *vitium subreptionis* committatur, 4) ut singula inter se, quantum datur, connectantur, h. e. ut antecedentia sint consequentium rationes. Neglectui studii philosophici tandem tribuit, quod passim omnium Facultatum eruditi nihil diserte explicare, nihil sufficienter probare, nihil quod satisfaciat ad objectiones respondere valeant, quodque tot quotidie in lucem edantur opinionum monstra. Circa singulas disciplinas philosophicas (1) principia recenset, quibus dogmata sua superstruit, & viam ingenue monstrat, qua ad ea pervenit: (2) methodum exponit, qua in tradendis singulis disciplinis utitur: (3) utilitatem eorum ostendit.

Orditur cap. 2. a lectionibus Logicis, in quibus regulas explicat veritatem investigandi & examinandi. Etsi enim ultro largiatur, artem inveniendi per exempla exerceri debere, & ejus præcepta maximam partem a veritatibus jam ante cognitis pendere; non tamen inutilem judicat distinctam regularum generalium cognitionem, quam confuse intuentur, qui donum meditandi solo exercitio sibi compararunt. Cum studio logico mathematicum conjungere jubet, cum regulæ logicæ tantum commonefaciant, quid in dato quolibet casu fieri debeat, matheseos vero studium vires largiatur iis satisfaciendi. Philosophiæ rationalis principia *Wolfiana* jam recensuimus in Actis A. 1713. p. 133. ubi recensentur cogitationes ratio-

rationales de viribus intellectus an. 1713. in 8. editæ. Non opus itaque est, ut de iis in præsenti verba faciamus. Cap. 3. ad metaphysicam progreditur, per quam scientiam de Deo & mente humana, rerumque principiis intelligit. Neque etiam contrarius est, si ad eam *Philosophiam primam* seu *Ontologiam* referre volueris. Ait se primum, cum apud nos Philosophiam doceret, essentias rerum arbitrarias per rationes finales exsculpentem, *Creaturas* per repræsentamina perfectionum divinarum definivisse, diversitate creaturarum in diversis Deum repræsentandi modis fundata, & in commercio mentis cum corpore explicando cum *Cartesio* ad motum divinum confugisse. Sed cum *Cartesianum* dogma a *Leibnitio* minus probari intellexisset, qui arbitraria non admittebat, notione essentiarum arbitrariarum accuratius examinata, tandem deprehendisse, quod nulla veritas in arbitrio divino fundetur, cum omnis independenter ab eodem demonstrari possit, & hinc essentias rerum ab intellectu divino derivasse, antecedenter ad omne decretum; *Leibnitio*, cui ea de re scripserat, probante. Legit deinde, quæ de systemate harmoniæ præstabilitæ in Actis A. 1705. p. 573. extant, & ab eo tempore in res metaphysicas novo studio inquirere cœpit, operam inprimis dans, ut doctrinæ essent ab omni secta liberæ, definitionibus nimirum ac demonstrationibus fundamentalibus ita conceptis, ne ipsi idealistæ ac sceptici eas rejicere possint, utque vi dogmatum suorum ratio reddi possit mutationum in mente. Notiones itaque quæsivit distinctas Dei atque mentis humanæ, omniumque substantiæ utriusque attributorum, & in leges inquisivit, quas servant mutationes mentis.

Reperit autem rationem successionis perceptionum in mente desumi 1) ab harmonia earum cum mutationibus quæ in organis sensoriis accidunt, 2) a nexu fortuito idearum in imaginatione 3) a syllogismo 4) a repræsentatione boni & mali 5) a sensu perfectionis & imperfectionis. Cum itaque expenderet, perceptiones mentis respondere mutationibus organorum sensoriorum corporis nostri, & ab his tandem pendere omnes notiones reliquas, immo in his fundari nexum fortuitum idearum, & ab istis initium sumere omnem ratiocinationem; vim perceptivam mentis a corpore limitari, sicque tandem a situ corporis in universo pendere intellexit.

Unde

Unde *animam* definivit per ſubſtantiam, quæ univerſum ſibi repræſentat pro ſitu corporis organici in univerſo: quam animæ notionem admodum fœcundam & harmoniæ præſtabilitæ *Leibnitianæ* conſonam deprehendit, etſi eam quoque in ſyſtemate influxus phyſici & cauſarum occaſionalium locum habere poſſe agnoſcat. Ceterum *univerſum* definit per ſeriem poſſibilium ſimultaneorum & ſucceſſivorum inter ſe connexorum, & ſpirituum differentias a diverſis univerſum repræſentandi modis arceſſit. Plurium univerſorum poſſibilitatem, quam in Theodicæa ſumit *Leibnitius*, Noſter ex natura contingentium demonſtrat. *Intellectum* vocat repræſentationem poſſibilium. *Voluntatem* mentis inclinationem ad objectum pro ratione boni in eodem repræſentati; *Noluntatem* vero mentis reclinationem ab objecto, pro ratione mali in eo repræſentati. *Libertas* ipſi eſt determinatio interna ad electionem ejus ex pluribus poſſibilibus, quod melius apparet. Etſi autem eſſentiam *Dei* in vi repræſentandi diſtincte omnia univerſa conſiſtere ſtatuat; in ejus tamen exiſtentia probanda ſumit definitionem nominalem, quod ſit ſubſtantia, in qua ratio ſufficiens exiſtentiæ univerſi ſivæ idealis ſive realis continetur. Mittimus quæ de exiſtentia entis a ſe & ejus a mundo & mente diverſitate, divinisque attributis annotari poterant. In philoſophia prima emendanda etiam aliquid ſtudii poſuit & multum *principii rationis ſufficientis* uſum deprehendit. E. gr. *Actionem* definit per mutationem ſtatus, cujus ratio continetur in ipſo ſubjecto, ſtatum ſcilicet mutante; *paſſionem* vero per mutationem ſtatus, cujus ratio continetur in alio a ſubjecto ſtatum mutante diverſo. Cap. 5. collegii experimentalis rationem deſcribit, in quo fundamenta ponere nititur ad naturæ ac artis phœnomena intelligendum neceſſaria. Eum in experimentis ſervat ordinem, ut anteriora contineant rationem poſteriorum, nec ullum proponit experimentum, cujus non appareat uſus aliquis peculiaris, quem aliud licet agnatum habere tamen nequit: alia nempe ſunt principia explicandorum aliorum, alia examina hypotheſium phyſicarum, alia Naturæ ac Artis arcana revelant, alia ingenium in explicandis phœnomenis exercent, alia methodum experimentandi illuſtrant. Ordinem hunc & genera experimentorum vide apud Autorem ipſum.

Cap.

Cap. 6. de collegio physico disserit, in quo experimentis dogmata subnectit. Finem lectionum physicarum statuit, ut habitum consequantur auditores, phænomena naturalia ad rationes suas revocandi. Abstinet itaque ab hypothesibus factitiis, neque in principiorum loco habet, nisi quod vel experientia clara vel demonstratione nitatur: nec adeo ulterius progreditur, quam observationes ac experimenta permittunt. Conjecturas probabiles subinde admittit, quatenus ad inveniendum veritatem serviunt, & experimentis ansam præbent. De *elementis* parum sollicitus in causis phænomenorum proximis acquiescit. Veritates tamen physicas inter se connectit & posteriora ex prioribus, quantum datur, deducit. Orditur ergo a natura corporis, ac inde pendentibus affectionibus. Progreditur ad corpora mundi totalia, &, quod ex iis componitur mundi systema, eorumque mutuas in se invicem actiones. Hinc in specie considerat Terram, & quæ in ea accidunt mutationes. Tandem in vegetabilibus & animantibus subsistit. Specialiora videat lector apud ipsum Autorem, qui inter alia monet, in physicis doceri posse, quomodo in corpore repræsententur mutationes mentis ac inde consensus cum corpore obtineatur. Duo nobis commemorasse sufficiat: 1) quod colores fixos eadem prorsus ratione produci statuat, quo emphatici gignuntur, non per nudam reflexionem sed per duplicem insuper refractionem, in ingressu in massulas cavas, & in egressu ex iisdem: 2) quod ipsemet sæpius animalcula in semine maris contemplatus fuerit, & aliis spectanda exhibuerit.

Cap. 7. Philosophiæ practicæ destinatur, ad quam philosophiam practicam universalem, Ethicam, œconomiam, politicam & Jus naturæ refert. *Philosophiæ practicæ universalis* hactenus inauditæ inter philosophos, specimen aliquod publice dedit in Academia nostra ao. 1703. methodo mathematica conscriptum, quo primum *Leibnitio* innotuit, & ejus favorem sibi conciliavit. In ea explicat fundamenta omnibus disciplinis specialibus communia & artificia generalia, per quæ ex istis fundamentis veritates speciales in disciplinis specialibus derivantur. Unde eam definivit per scientiam affectivam practicam dirigendi actiones liberas ad finem optimum per regulas universalissimas. Theoriam *Juris naturæ* & omnis philosophiæ practicæ ad hanc regulam reducit, *quod actiones dirigi debeant*

beant ad ſummam ſui aliorumque perfectionem, quam in natura mentis humanæ fundatam demonſtrat. Actiones ſua natura bonas & malas agnoſcit, cum naturaliter influant in noſtram ſtatusque noſtri perfectionem vel imperfectionem, & ad eas obligationem ex ipſa mentis natura deducit. Ad praxin deſcendens docet, quomodo data qualibet agendi occaſione caſus omnes poſſibiles eruantur; quomodo nexus actionum cum fine ultimo reperiatur; quomodo media ad finem ducentia & impedimenta detegantur & remedia inveniantur; quomodo elevanda ſit mentis acies ad hunc acuminis gradum, ut objecti appetibilis cujuscunque in vita obvii cum fine ultimo nexum perſpiciat; quomodo excitetur ardor nil quicquam faciendi niſi eidem conforme; quomodo obtineatur, ut ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis cum fine ultimo nexum cogitemus; quomodo imperium in ſenſus, imaginationem atque affectus obtineatur; quomodo denique homo eo adducatur, ut naturæ ſuæ convenienter vivat. Hæc quidem in iſto ſpecimine jam continebantur.

Nunc vero ſuperaddit methodum generalem mores aliorum conjectandi, quæ fundatur in motivis generalibus ex actionibus homnium atque paſſionibus animi elicitis. Monſtrat Autor theoriæ ſuæ cum philoſophia Sinenſium conſenſum. Philoſophiam ſpecialem in quatuor capita diſtinguit, de officiis erga Deum, erga ſe ipſum & erga alios, atque de ſocietatibus ſimplicibus & compoſitis. Officia hominis erga Deum ad honorem Numinis reducit, hoc eſt, ad actus, quorum motiva ſunt perfectiones divinæ: alterum enim, *Wolfio* judice, ſincero affectu colit ſeu honorat, qui edit actus, quorum motiva ſunt perfectiones alteri competentes. Media petit diſtincta perfectionum divinarum cognitione, quæ animum ad aſſenſum cogat. Officia erga ſeipſum quoad maxima minima ex naturæ humanæ atque ſtatus humani perfectione derivat: unde etiam officia erga alios intelliguntur, aliis enim debemus, quod nobis ipſis, ſed ita, interprete *Wolfio*, ut alius non habeat jus petendi ab aliis, niſi quod ipſi neceſſarium in ſua non habet poteſtate. In doctrina de *ſocietatibus* ſuprema ipſi lex eſt ſumma ſociorum, quam in ſocietate conjunctis viribus conſequi poſſunt, perfectio, & hinc in ſpecie in civitate, quicquid ſaluti ac tranquillitati ejusdem convenit. Eſt autem

tem ipſi *Salus Reipublicæ* non impeditus civium progreſſus ad maximas, quas viribus conjunctis conſequi poſſunt perfectiones, cum *beatitudinem* in genere definiat per non impeditum progreſſum ad majores in dies perfectiones. Monet autem quod in ſua Philoſophia practica eodem nexu omnia cohæreant, quo in Matheſi. Ultimum denique caput de lectionibus *phyſicis* publicis inſcribitur, in quibus ſpecialia themata pertractat. Animus ipſi eſt, oſtendere Auditoribus, quomodo principiis in lectionibus phyſicis privatis ſtabilitis uti poſſint ad quæſtiones ſpecialiores progreſſuri, & exemplis artificia analytica edocere, quibus in veritatibus phyſicis detegendis naturam perſcrutaturi uti debeant. Recenſet deinde in ſpecie argumentum lectionum hiemalium A. 1716. æſtivarum 1717. hiemalium anni ejusdem, æſtivarum A. 1718. & hiemalium anni præſentis. Ceterum ſpem denuo facit ſingularum philoſophiæ partium patrio ſermone edendarum. De iisdem autem, compendiis iſtis abſolutis olim prolixius commentabitur idiomate latino *) ſi Deus vitam & vires conceſſerit.

Num. XXXV.

De differentia nexus rerum ſapientis & fatalis neceſſitatis, nec non Harmoniæ præſtabilitæ & hypotheſium Spinoſæ luculenta Commentatio, in qua ſimul genuina Dei exiſtentiam demonſtrandi ratio expenditur & multa religionis naturalis capita illuſtrantur; Autore *Chriſtiano Wolfio*, Pot. Reg. Bor. Conſil. aulico, Math. & Nat. P. P. O. Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodali.

Halæ Magdeburgicæ, in officina Rengeriana, 1723, 4. Plag. 11.

*) *Et hoc ipſum præſtitit, donec oeconomiæ parte prima de ſocietatibus minoribus abſoluta, vita functus civitatem terrenis beatiorem ſibi luſtrandam elegit.*

Monitum ad Commentationem iſtam quo nonnulla ſublimia Metaphyſicæ ac Theologiæ naturalis capita illuſtrantur; Autore eodem.

Ibidem, in officina Rengeriana, 1723, 4. Plag. 4½.

Contingentiam univerſi cum ipſis theologis Autorem defendiſſe.
Deum oppoſuiſſe eidem.
Communem demonſtrationem exiſtentiæ Dei anguſtiorem eſſe, & perfectionis notas ſupponere.
De neceſſitate prætenſa in conſecutione, & controverſa deſuper. Exinde ſequi neceſſitatem abſolutam.
Harmoniam præſtabilitam minime ex Spinoſa hauſtam eſſe; eandem libertati non contrariari; ſicut nec ex locomotiva corporis honeſtas & decorum dijudicatur.
Cenſorum imperitia in objectionibus.

Autor Cel. Commentationem ſuam dedicavit Viris Theologis, qui potentiſſimo Boruſſorum Regi a Concionibus ſacris & Conſiliis Eccleſiaſticis ſunt. Eos allocutus conqueritur, poſtquam altera operis Metaphyſici editio fere conſenuit, ſparſos eſſe rumores magna temeritate nec improbitate minori publice diſſeminatos, quaſi dogmata metaphyſica de Deo, anima & mundo, quatenus cum *Leibnitianis* in celebratiſſimo Theodicææ opere traditis conſentiunt, ex *Spinoſa* hauſta ſint & religioni cum naturali, tum chriſtianæ, omni etiam morali ac civili doctrinæ interitum minentur. Etſi autem nullum famæ periculum ex accuſatione metuat, quæ nullam veri ſpeciem habeat, nimis autem manifeſta mali animi indicia prodat: e re tamen Academiæ, in qua Doctor publicus cum applauſu profitetur, quæ titulis adeo odioſis onerantur, eſſe arbitratus, ut clamores iſti quam primum retundantur.

Quoniam vero, edita hac Commentatione, ſcriptum aliquod prodiit, in quo illa accuſatio repetitur, Monitum quoddam adjecit, in quo nonnulla in Commentatione tradita uberius illuſtrantur. In utroque ſcripto contendit, ſe doctrinam de contingentia univerſi receptam Theologorum trium in Imperio ſtabilitarum religionum adverſus *Spinoſam* & *Socinianos* defendiſſe, & demonſtrativa quadam ratione ſtabiliviſſe. Ad demonſtrandam exiſtentiam Numinis uſus

eſt

eſt argumento a contingentia univerſi petito, quo etiam, quamvis obſcurius propoſito, uſus fuerit D. *Thomas Aquinas*, propterea quod expertus fuerit ſcrupulos contra exiſtentiam Dei hominibus præſertim objici a fatali neceſſitate, quam ob neceſſarium cauſarum & effectuum nexum mundo ineſſe arbitrantur, & quod hoc argumentum præ ceteris demonſtrativa quadam ratione urgeri poſſit atque attributis divinis deducendis apprime inſerviat. Cum improbetur, cetera argumenta pro minus firmis haberi; non modo autoritatibus *Muſæi*, *Schmidii* aliorumque Theologorum probat, quod nec ipſi eandem ſingulis efficaciam tribuerint, verum etiam monet, Apoſtolum Rom. I, 20. non definire modum, quo exiſtentia & attributa divina ex contemplatione univerſi agnoſcantur, & mundum ſpeculum eſſe exiſtentiæ divinæ ob contingentiam oſtendit.

Ceteras vias demonſtrandi exiſtentiam Dei a poſteriori a Philoſophis & Theologis uſurpatas primario inſervire ceteris ejus attributis agnoſcendis, v. gr. ex finium conſideratione agnoſci ſapientiam. Monet autem, ob nexum exiſtentiæ neceſſariæ cum attributis ceteris etiam ab his ad iſtam firmiter concludi poſſe; ſed per aliquas ambages. Etenim antequam conſtet, mundum eſſe a Deo, operum contemplationem non ſiſtere perfectiones divinas tanquam abſolute ſummas, v. g. provenire inde notionem ſapientiæ admirandæ; ſed non abſolute ſummæ. Neceſſe igitur eſſe, ut, antequam entis abſolute perfectiſſimi exiſtentiam admittas, perfectionis abſolute ſummæ poſſibilitatem evincas, atque ſic nos recidere in argumentum Carteſii. Ita autem in genere perfectionis abſolute ſummæ poſſibilitatem demonſtrari & eandem demonſtrationem ad quamlibet in ſpecie applicari poſſe. Cum omnis negatio ab entitatis defectu proveniat, eam exulare ab ente omnis limitationis experte, conſequenter contradictionem, quæ in ſimultanea ejusdem affirmatione & negatione conſiſtat, in illimitato, qualis perfectio ſumma, locum habere non poſſe. Iure autem definitionis inter poſſibilia referri, quod a contradictione immune. Carpit cenſor ſubtilitates methaphyſicas, quod non ſint ad vulgi palatum; ſed Noſter non in vulgi, ſed Philoſophorum gratiam ſe hæc proferre fatetur. In adſtruenda univerſi contingentia ex definitione poſſibilium, quod ea contradictionem non involuant, evincit, præter ea, quæ fiunt &

exiſtunt, alia etiam poſſibilia eſſe, quæ non fiunt nec exiſtunt. Equidem ut hæc, quæ fiunt, ad actum deducantur, pendere a cauſarum ordine; ſed alios perinde ordines æque poſſibiles eſſe, per quos cetera quoque poſſibilia naturaliter actum conſequi poſſint. Atque talem Cauſarum ordinem, quo actus nude poſſibilium determinatur, ſtylo *Leibnitiano* mundum ſeu univerſum appellat. Quoniam igitur poſſibilia contingentia in ſe non ſufficienter determinata adeoque ab intrinſeco determinanda nonniſi in dato cauſarum ordine actum conſequuntur; ideo dato hoc ordine, determinatur actus poſſibilium, & hinc certitudinem habent & determinatam veritatem contingentia, quam contra *Socinianos* præſcientiam divinam defendentes Theologi ſumunt.

Illa certitudo vulgo *neceſſitas hypothetica* & *conditionalis* appellatur; ſed Cenſor *neceſſitatem in conſecutione* vocat, & ut Autorem fatalis neceſſitatis reum agere & periculoſis conſequentiis onerare poſſit, ſibi concedi poſtulat nexum rerum in conſecutione ſua neceſſarium & fatalem neceſſitatem *Spinoſæ* eſſe Synonyma: quod idem eſſe ait Noſter, ac precario ſumere id, in quo cardo totius controverſiæ vertatur. Oſtendit autem Autor, ſe in his nihil ſtatuere, quod ſit a mente D. *Thomæ* alienum. Etenim & hunc admittere, *contingentia terminari ab extrinſeco, Deum potuiſſe facere res alias & iis alium imponere ordinem, voluntatem Dei ponere neceſſitatem conditionalem in rebus, cum ſit immutabilis.* Monſtrat quoque conſenſum *Gerhardi, Bechmanni, Muſæi,* Theologorum noſtratium *). Monet, ſe valde juvenem D. *Thomæ* ſummam Theologiæ legiſſe & inde lumina in hoc argumento & cognatis hauſiſſe, non demum ex *Leibnitii* Theodicæa, a quo nonniſi appellationem *mundi* mutuatus fuerit. Quamvis autem contingentium particularium a voluntate hominum libera pendentium rationem habendam eſſe non arbitretur in exiſtentia Numinis demonſtranda; docet tamen, quod etiam in appetituum actum, illæſa libertate, influat ordo cauſarum, quatenus ſcilicet mens anſam ſeſe determinandi ſumit ab iis perceptionum generibus, quæ ſenſationum nomine appellantur, & monet,

Augu-

*) *Quorum verba n. 2. pag. 8. ſeqq. der Anfragen und Gutachten hoc anno 1755. editorum exhibentur.*

Auguſtinum ipſas etiam hominum voluntates liberas ad cauſarum ordinem referre, iisque magnum in eodem locum aſſignare. Atque hinc ſimul patet ratio, cur Autor noſter non probet, quod Cenſor dubia ab harmonia præſtabilita petita adverſus contingentiam totius univerſi urgeat, tanquam minus probatam aut prorſus deſtructam, quoniam illa ſubſiſtit, ſi vel maxime ponamus (id quod tamen Noſter non largitur) nullam eſſe contingentiam particularem. Cur enim mundus non eſſe poſſet contingens, ſi vel maxime homo non foret in agendo liber, aut nullus prorſus exiſteret? Neque vero concedit, ideo admitti progreſſum in infinitum, quod contingens ad actum naturaliter non determinetur niſi per cauſarum ordinem ſeu quandam univerſi ſpeciem: quin potius cum contingentium ſeries nullam contineat rationem exiſtentiæ contingentium ſufficientem, hoc pacto nos recta deduci ad cauſam primam, quæ extra contingentium ſeriem exiſtens eorum exiſtentiæ rationem ſufficientem continet.

Dum vero aſſerit, omnia in univerſo cum ratione ſpatii, tum ratione temporis inter ſe connexa eſſe; id quidem ita interpretatur, quod in quolibet corpore, ſi diſtincte intelligatur, reperiatur aliquid unde intelligi poſſit, cur alterius ipſi contigui ſit hic ſtatus, & viciſſim in quolibet ſtatu præſenti ſit aliquid, unde intelligi poſſit, cur futurus ipſum ſequatur. Omnia nempe cum ratione ſumma ordinari; omnes mutationes cum ratione fieri in univerſo. Immo cum *Leibnitio* altius aſſurgit ad arcendum fatum, dum motuum regulas non neceſſarias eſſe oſtendit, ſed in ſapientiam Numinis tandem reſolvi contendit. Et ex hiſce principiis tandem concludit nihil neceſſitatis abſolutæ, nihil fati admitti in univerſo, Deoque relinqui libertatem per concurſum miraculoſum ſeu extraordinarium quædam immutandi, ſiquidem commodum ipſi viſum fuerit. Prolixe oſtendit, ſe cum in notionibus generalibus poſſibilium, neceſſarii, contingentis, tum in earum applicatione ad nexum rerum ſeu cauſarum ordinem a *Spinoſa* diſſentire, qui hunc mundum unicum admittit & res ac mutationes omnes immutabiles in ſe ſtatuit, nec Deo quicquam aliter faciendi ac immutandi libertatem relinquit, fines ab univerſo arcens & perfectionem omnem a rebus auferens. Negat vero, harmoniam præſtabilitam *Leibnitii* ideo, quod corpus

vi illius producat motus desideriis animæ respondentes, citra physicum quendam ejus influxum, contingentiæ totius universi præjudicare, cum actionum humanarum ab anima dependentia nil quicquam immutet in dependentia universi a Deo, seu ab intellectu ipsius quoad possibilitatem, & a voluntate ejusdem quoad actum. Immo harmoniam præstabilitam confirmare potius universi contingentiam atque ideo ex ea existentiam Numinis necessaria consequentia inferri.

Quod systema harmoniæ præstabilitæ sit ex *Spinosa* haustum, equidem per se in auras abit: Noster tamen ex abundanti commentum inde refellit, quo *Spinosæ* hypotheses cum eo consistere nequeant. *Spinosæ* enim mentem & corpus esse unam eandemque rem, cogitationem & extensionem diversos eandem rem repræsentandi modos; *Leibnitio* contra mentem & corpus esse duas substantias a se invicem realiter diversas, cogitationem & extensionem esse attributa diversarum substantiarum. Isti seriem perceptionum & seriem motuum esse unam eandemque concatenationem, nec differre realiter, sed nostro tantum concipiendi modo, utpote nonnisi eandem unius substantiæ modificationem; secundum hunc series perceptionum in mente vi diversa produci a serie motuum in corpore secundum leges prorsus diversas & modificationes mentis diversas prorsus esse a modificationibus corporis. Utramque seriem secundum illum esse simul *natura;* secundum hunc tantum *tempore.* Immo *Spinosam*, nonnisi unicam substantiam admittentem, nullo prorsus systemate opus habere ad commercium inter mentem & corpus explicandum, cum tale prorsus non detur, nisi mens & corpus fuerint substantiæ a se invicem distinctæ. Quando vero ulterius urgetur, ob negatam animæ vim motus in corpore producendi per physicum quendam influxum, contingentia particularia locum habere non posse, nullam relinqui animæ libertatem, sicque & omnem religionem, & doctrinam moralem, atque civilem concidere; Noster primum monet, consequentias has eodem modo locum habere in systemate *Cartesii*, eandem vim negantis, ac in systemate *Leibnitii*, si quis iisdem locus esse possit: id quod tamen negat & pernegat. Libertatem enim in mente residere & in ea locum habere, quatenus per essentiam non determinata semet ipsam citra ullam coactionem

coactionem internam & externam ad appetitus ſuos determinat, atque adeo nullum reſpectum involuere ad locomotivam. Docet etiam, explicationem commercii inter mentem & corpus neque in theoriam, neque in praxin morum influere: ſyſtemata enim eo fini inventa tantum differe in determinatione locomotivæ phyſica, in morali autem conſpirare. Neminem morum Doctorem phyſicam locomotivæ determinationem, hoc eſt, modum quo ſpiritus animales, ſeu fluidum nerveum in cerebro determinetur ad influendum in muſculos, unquam inter principia repoſuiſſe, ex quibus morum honeſtas & decorum dijudicetur. Immo oſtendit, honeſtatem & decorum actionum ex aliis longe principiis dijudicari. Praxin moralem ad motiva ex actionum indole derivanda redire, quibus anima in alterutram contradictionis partem vi ſpontaneitatis ſuæ ſeſe determinatura utatur, & ad media, quibus fines intentos conſequi detur, obſtaculis obviis remotis. Ad hæc autem ſufficere, ut conſtet, quinam motus mentis imperio ſubſint, non qua vi & quomodo producantur. Veretur, ne judicent intelligentes, talia objicientem aut doctrinas morales & civiles non intimius introſpexiſſe, aut ab æquitate & candore quam longiſſime abeſſe. Monſtrat inſuper fundamentum imputationis actionum non eſſe motuum corporis dependentiam phyſicam a voluntate hominis, ſed hujus potius libertatem. Neque curat objectionem, quod anima deſtituatur libertate, propterea quod perceptiones illas, quæ impreſſionibus in organa ſenſoria reſpondent, ex neceſſitate naturæ ſuæ producit: neque enim ſenſationes a libero arbitrio pendere in ſyſtemate communi influxus, cum nemo unquam defenderit, animam jubere, ut corpus hoc vel iſto modo perceptiones producat. Immo quocunque demum modo perceptionum iſtud genus in anima oriri ſtatuas, modus explicandi ortum appetituum ſemper idem locum habere poteſt, cum hi tantum ſupponant perceptionum iſtarum præſentiam, nequaquam vero modum, quo in mente exortæ fuerint. Hæc quidem palmaria controverſiæ capita ſunt, quæ titulus quoque attingit: cetera minoris ſunt momenti, etſi Cl. Autori ſubinde anſam dederint doctrinas methaphyſicas illuſtrandi. Ita e. gr. inter vanas objectiones refert, quæ ſua ſponte in auras abeant, quam primum intelligantur, quod æternitatem mundi defendat, quia cum *D. Thoma*

affirmat, mundum non ſemper fuiſſe, ex principiis rationis demonſtrative probari difficulter poſſe, nec opus eſſe, ut cum atheo in hanc controverſiam deſcendamus: licet enim mundus ſemper fuisſet, eum tamen non parificari Deo in æternitate, cujus eſſe æternum ſit ſine ſucceſſione. Item quod animæ dematur libertas, ſi ejus eſſentia in unica vi repræſentandi univerſum fundetur, cum ſic unam ſaltem habeat facultatem cognoſcitivam ejusque gradum inferiorem: etenim Noſter unicam quidem animæ vim tribuit, ſed non ideo unam facultatem, cum facultates ſint diverſæ agendi poſſibilitates, quæ ut ad actum traducantur, unica vis animæ ſufficit. A ſenſationibus autem ceteras cognitiones oriri, cum experientia loquitur, tum a Noſtro in Meditationibus Metaphyſicis oſtenſum. Ejusdem commatis eſt, quando ex *Leibnitiano* theoremate mechanico de eadem virium quantitate, & e *Carteſiano* de eadem motuum quantitate in conflictu corporum conſervata ſequi dicitur, mundum eſſe æternum, quoniam hominum numerus ſucceſſu temporis non potuiſſet augeri, cum duo, decem aut centum homines non tot motus edere poſſint, quam innumeræ hominum myriades una viventes. Quando enim ex illo *Leibnitius* & *Carteſius* difficultatem faceſſunt contra influxum phyſicum animæ in corpus & viciſſim corporis in animam; in eo cardinem totius controverſiæ verſari, num Deus naturæ ordinem, juxta quem phænomena rerum materialium conſequuntur, legibus ſuperſtruxerit, quæ ab animabus hominum in phænomenis iisdem conſtanter videntur. Dum vero ad poſſeſſionem univerſalem & perpetuam omnium hominum provocatur, qui commune influxus ſyſtema defenderint, cum *Carteſiani* & qui cum *Leibnitio* faciunt, inter eruditos & prudentes reliquos ne milleſimam quidem partem conſtituant; Noſter non ſolum monet, ad decidendas controverſias Philoſophicas non reſpiciendum eſſe ad pluralitatem votorum, ſed prorſus negat, eſſe vulgo & viris doctis, quibus cum Philoſophia nihil commercii eſt, aliquod ſyſtema explicandi modum, quo commercium inter mentem & corpus abſolvitur. Hi enim contenti ſunt obſervationibus de eodem commercio per experientiam hauſtis, de modo autem illud explicandi minime ſolliciti ſunt. Neque etiam opus eſſe, ut Theologus ulli ſyſtemati aſſenſum præbeat: ſed ipſum rectius facere, ſi ab explicationi-

tionibus philoſophicis modi, quo res contingunt, ſicuti in ceteris, ita in hoc quoque argumento nodoſo & difficili prorſus abſtineat. Ipſius enim ſcopo ſufficere, quæ indubia experentiæ fide conſtant, nimirum quod, objectis externis in organa ſenſoria agentibus, in mente exoriantur ideæ eadem pro ratione impreſſionis in organa repræſentantes, & viciſſim ad liberum animi decretum ſequantur in corpore motus, quibus illud exequi datur. Modum quo utrumque efficitur, quemadmodum ab Ethico & Politico, ita etiam a Theologo tuto ignorari. Denique (ut cetera omittamus) miratur Noſter, doctrinam de neceſſitate eſſentiarum & actionum interna honeſtate a Theologis conſtanter defenſam, vocari matrem fatalis ac abſolutæ neceſſitatis: id quod a Theologo affirmari non poſſe arbitratur, niſi juſtam ceterorum cenſuram incurrere velit. Monet etiam, qui determinatam contingentium veritatem pro abſoluto fato venditat, eum cum *Socinianis* facere debere, ob id præſcientiam divinam negantibus & per temporaria decreta circa contingentia particularia anthropomorphiſmum introducentibus.

Num. XXXVI.

Principia Dynamica Autore *Chriſtiano Wolfio.* 1726.

Axiomata loco definitionis virium adhibenda.
§ 4. *Vis viva.*
§. 5. *Vis mortua.*
§. 6. *Vis pura.*
§. 7. *Vis impedita.*
§. 9. *ſeqq Actio.*
§. 13. 14. *Ejus effectus.*
§. 15. *Qui purus vel mixtus.*
§. 16. *Nocuus vel contra.*
§. 20. *Virium proportio.*
§. 21. *Actionum proportio & ſeqq.*
§. 26. *ſeqq. Corpora, vires, actiones inæquales.*
§. 29. *Effectuum proportiones.*
§. 37. *ſeqq. Comparationes celeritatum.*
§. 47. *Et actionum.*
§. 58. *Conſenſus Leibnitii.*
§. 59. *De tempore motus.*
§. 60. *De aſcenſu, & negatis a Papino.*
§. 63. *Proportio effectus ad cauſam.*
§. 69. *Conatus.*
§. 70. *De ſpatio.*

Non ignotum est, Illustrem *Leibnitium* mensuram virium demonstrasse per motum gravium ascedentium: quam ejus demonstrationem una cum alia Cel. *Ioannis Bernoulli* in Elementis Mechanicæ exhibui. Monuit quoque *Leibnitius* in Actis Eruditorum A. 1695. p. 154. se ad eandem virium æstimationem ex simplicissima consideratione spatii temporis & actionis perveniisse: id quod mihi ansam dedit jam A. 1710. mensuram virium ex *motu æquabili* eruendi. Repereram autem in motu æquabili vires æstimari posse per impetus ad spatia applicatos, seu in hypothesi mobilium æqualium per celeritates ad spatia applicatas. Hinc enim eandem, quam Leibnitius dedit, prodire virium mensuram evidens est. Omnis vero cardo rei in eo vertitur, ut ostendatur, quod impetus ad spatia applicare liceat. Ut igitur id appareat, Principia Dynamica, quæ hactenus desiderantur, summa, qua fieri potest, perspicuitate demonstrare constitui. Quoniam vero fœcunda virium definitio latet, unde earundem mensuram eruere licet, ejus loco *axiomata* quædam sumo: Et cum ex intentione *Leibnitii* in Dynamicis, ea, quæ vires & actiones corporum spectant, independenter a phænomenis, abstrahendo quam maxime ab omni re sensibili, ex solis notionibus derivemus, ne cui in demonstrationibus theorematum fundamentalium noster arguendi modus videatur parum evidens, notandum est, nos data, per quæ quæsitum determinatur, sumere tanquam unitatem, & quæsitum tanquam unitatem alteram, atque toties ponendo data, quoties ponitur quæsitum rationem quæsitorum determinare per rationem datorum; cum sic in casu rationali ea prodeat relatio, quæ est numeri ad unitatem, in irrationali ea, quæ est rectæ ad rectam quandam datam. Sicuti enim data simul sumta, per quæ determinatur quæsitum, arithmetice considerantur ut unitas, ita geometrice ut linea quædam data. Unitas cum sit indivisibilis, data omnia in replicatione simul sumenda, prout ponuntur in unitate: alias enim ex replicatione non enascetur homogeneum, quod numero respondet, & ad unitatem positam rationem habere potest. His notatis, & evidentes erunt nostræ illationes, & abusus evitabitur, in quem alias facilis est prolapsus.

AXIO-

AXIOMA 1.

§. 1. *Si duo vel plura mobilia æqualia eadem celeritate moveantur, vis eorundem eadem eſt.*

SCHOLION.

§. 2. Vim corporis, quæ in motu locali ſeſe exſerit, a maſſa & celeritate pendere, ita ut pro maſſa vel celeritate majore major ſit, nemo in dubium vocat. Quodſi ergo mobilia fuerint æqualia, hoc eſt, ſi eadem fuerit utriusque maſſa; virium quantitas à ſola celeritate pendet. Quamobrem, ſi eadem fuerit celeritas, eadem quoque eſſe debet virium quantitas, ſive vires ſint in ratione ſimplici, ſive in quacunque multiplicata vel ſubmultiplicata celeritatum.

AXIOMA 2.

§. 3. Eadem vi eodem tempore eadem abſolvitur actio.

SCHOLION.

Eadem vi longiori tempore majorem abſolvi actionem quam breviori, & contra eodem tempore vi majore actionem majorem abſolvi quam minori, nemo dubitat. Quantitas adeo actionis pendet à quantitate virium & temporis. Quamobrem, ſi vires fuerint æquales & tempus idem, actio quoque eadem eſſe debet.

DEFINITIO 1.

§. 4. Vim *vivam* cum *Leibnitio*, vel etiam ſimpliciter vim appello, quæ motui locali adhæret.

DEFINITIO 2.

§. 5. Vim vero *mortuam* cum eodem dico, quæ in ſolo conatu ad motum conſiſtit. Unde etiam Conatum appellare ſoleo.

DEFINITIO 3.

§. 6. Vis *pura* eſt, cui in agendo contraria nulla reſiſtit.

COROLLARIUM.

§. 7. Vis igitur pura toto actionis tempore invariata manet.

SCHOLION.

§. 8. Iſtiusmodi vis in motu æquabili ſeſe exerit, ſi concipiatur fieri in medio non reſiſtente. Quantocunque enim intervallo mobile promoveatur, eadem tamen ſemper ſubſiſtit celeritas, conſequenter vis motrix eadem. Effectus adeo, quem producit, eam minime abſorbet. Secus ſeſe res habet in motu gravium, ubi vis in aſcenſum tota impenditur.

DEFINITIO 4.

§. 9. Actio *pura* dicitur, quæ exercetur vi motrice pura.

SCHOLION.

§. 10. Talis est actio mobilis motu æquabili lati in medio non resistente (§. 8.).

DEFINITIO 5.

§. 11. Actio *uniformis* est, quæ duplo tempore dupla, triplo tripla & ita porro, seu in genere, quæ est ut tempus.

SCHOLION.

12. Istiusmodi actio in motu æquabili locum habet, ubi mobile continuo eadem celeritate moveri pergit, si nempe motus fieri concipitur in medio non resistente.

DEFINITIO 6.

§. 13. *Effectus* vis motricis extra conflictum est translatio mobilis per spatium.

SCHOLION 1.

§. 14. *Papinus* negat dari aliquem effectum vis motricis, ubi nulla resistentia superanda, neque enim admittit ejus effectum alium, nisi qui in superanda resistentia sese exerit. Vid. Acta Eruditorum A. 1691. p. 7. Ex definitione effectus in genere, quæ metaphysica est, erroris redarguitur. Ipso etiam usu loquendi refellitur. Quilibet fateri debet, idem fuisse effectum, sive mobile vi impressa a termino A usque ad terminum B progrediatur, sive ab homine ex loco A in locum B transferatur. Ecquis vero dixerit, hominem nihil egisse, dum corpus quoddam ex loco A in locum B transtulit. Enimvero non opus est, ut ea de re disputemus. Utemur descriptione præsente tanquam nominali, quæ adeo arbitraria est. Si quis igitur translationem mobilis per spatium effectum vis motricis appellare renuit, is non invitis nostris demonstrationibus aliud quodcunque nomen voci huic substituat.

SCHOLION 2.

§. 15. Si motus fit in medio non resistente, effectus *purus* est, qualem nos in sequentibus constanter supponimus. Si vero in medio resistente, idem *mixtus* est, cum pars virium continuo resistentiæ medii impendatur, donec tandem vis omnis prorsus consumatur.

DEFINITIO 7

§. 16. Effectus *nocuus* est, qui vim motricem absorbet: innocuus, qui eam intemeratam relinquit.

SCHO-

SCHOLION.

§. 17. Effectus innocuus est in motu æquabili: nocuus in ascensu gravium, & in superanda resistentia.

AXIOMA 3.

§. 18. Si idem mobile per idem spatium transfertur, effectus idem est.

SCHOLION.

§. 19. Supponimus nempe motum fieri in medio non resistente, aut saltem abstrahimus ab actione, quæ impenditur in superandam resistentiam medii: id quod licet, quamdiu temporis nulla habetur ratio, quo effectus producitur.

THEOREMA 1.

§. 20. Si corpora inæqualia eadem celeritate moventur, vires sunt ut massæ.

Sit corporis m celeritate c moti vis v. Ergo corporis alterius æqualis m eadem celeritate c moti vis etiam v est (§. 1.) consequenter corporis bis m celeritate c lati vis est bis v. Eodem modo patet, fore corporis ter m celeritate c moti vim ter v, & in genere corporis nm (=M) celeritate c moti nv (=V.). Est igitur V: v =M: m hoc est, corporum inæqualium eadem celeritate motorum vires sunt ut massæ. Q. E. D.

THEOREMA 2.

§. 21. Actiones uniformes eodem tempore absolutæ sunt inter se ut vires.

DEMONSTRATIO.

Absolvatur vi v actio a tempore t. Ergo eadem vel æquali vi v eodem tempore t absolvetur alia actio a priori æqualis (§. 3.) consequenter vi bis v absolvetur eodem tempore t actio bis a. Similiter patet, vi ter v eodem tempore t absolvi debere actionem ter a &c. Immo in genere, vi ut nv (=V) absolvi debeat actionem ut na (=A) eodem tempore t. Est igitur A; a=V: v, hoc est, actiones eodem tempore absolutæ sunt ut vires. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

§. 22. Si corpora inæqualia eadem celeritate moventur, vires sunt ut massæ (§. 20.). Actiones igitur corporum, quæ eadem celeritate moventur, eodem tempore absolutæ sunt in ratione massarum (§. 21.).

CO-

COROLLARIUM. 2.

§. 23. Si $A = a$, erit $V = v$, hoc est, si actiones eodem tempore absolute fuerint æquales, vires æquales sunt.

THEOREMA 3.

§. 24. Actiones uniformes viribus æqualibus absolutæ sunt inter se ut tempora, quibus absolvuntur.

DEMONSTRATIO.

Absolvatur vi v tempore t actio a. Ergo eadem vi v eodem vel æquali tempore t absolvetur actio alia a eidem æqualis (§. 3.) consequenter vi eadem v tempore bis t actio bis a. Eodem modo patet, vi eadem vel æquali v tempore ter t absolvi debere actionem ter a & quadruplo tempore t actionem quadruplam a, immo in genere tempore quocunque nt $(= T)$ actionem na $(= A)$. Est igitur $A : a = T : t$, hoc est, actiones viribus æqualibus absolutæ sunt ut tempora, quibus absolvuntur. Q. E. D.

THEOREMA 4.

§. 25. Actiones uniformes sunt in ratione composita temporum & virium.

DEMONSTRATIO.

Actiones uniformes A & α eadem vi V productæ sunt inter se ut tempora T & t, quibus producuntur §. 24. Producatur jam actio alia a eodem tempore t, quo α producitur, vi quacunque v. Erit $\alpha : a = V : v$ (§. 21.). Ergo $A : a = TV : tv$, hoc est, actiones uniformes sunt in ratione composita temporum & virium. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 26. Si corpora inæqualia eadem celeritate ferantur, vires sunt ut massæ (§. 20.). Actiones igitur uniformes in hypothesi mobilium inæqualium eadem celeritate latorum sunt in ratione composita massarum atque temporum.

THEOREMA 5.

§. 27. Vires inæquales eandem actionem absolvunt temporibus sibi reciproce proportionalibus.

DEMONSTRATIO.

Actiones uniformes A & a sunt in ratione composita temporum T & t atque virium V & v (§. 25.) quare cum sit $A = a$ per hypo-

hypotheſin; erit $TV = tv$ conſequenter $V : v = t : T$, hoc eſt, vires ſunt ut tempora reciproce. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 28. Quodſi mobilia eadem celeritate moventur, vires ſunt ut maſſæ (§. 20.) adeoque actionem eandem abſolvunt temporibus eorum maſſis reciproce proportionalibus (§. 27.).

THEOREMA 6.

§. 29. Si duo mobilia æqualia per ſpatia inæqualia transferuntur, effectus ſunt ut ſpatia.

DEMONSTRATIO.

Transferatur mobile m per ſpatium $ſ$ & denotet e effectum. Ergo ſi idem vel æquale mobile m per idem vel æquale ſpatium $ſ$ transfertur, erit effectus etiam ut e (§. 18.) conſequenter ſi mobile m transfertur per ſpatium bis $ſ$, erit effectus bis e. Et eodem modo patet in genere, ſi mobile m transfertur per ſpatium quodcunque $nſ$ $(= S)$, fore quoque effectum ut ne $(= E)$. Quare, ſi mobilia fuerint æqualia, erit $E : e = S : ſ$, hoc eſt, effectus ſunt ut ſpatia. Q. E. D.

THEOREMA 7.

§. 30. Si duo quæcunque mobilia per idem ſpatium transferuntur, effectus ſunt inter ſe ut maſſæ eorundem.

DEMONSTRATIO.

Transferatur mobile m per ſpatium $ſ$ & denotet e effectum. Ergo, ſi idem vel æquale mobile m per idem vel æquale ſpatium $ſ$ transfertur, erit denuo effectus e (§. 18.). Si igitur mobile fuerit ut bis m, quod cum ſimplici m per idem ſpatium $ſ$ transfertur, effectus erit ut bis e. Quare cum eodem modo pateat, eſſe in genere effectum ut ne $(= E)$, ſi mobile, cum alio m per idem ſpatium $ſ$ translatum, fuerit ut nm $(= M)$; evidens eſt, quod ſit in hac hypotheſi $E : e' = M : m$, hoc eſt, effectus ſint ut maſſæ mobilium per idem ſpatium translatorum. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 31. Quando corpora inæqualia eadem celeritate moventur, vires ſunt ut maſſæ (§. 20.). Quodſi ergo per eadem ſpatia transferuntur, effectus ſunt ut vires (§. 30.).

THEOREMA 8.

§. 32. Si duo quæcunque mobilia per ſpatia quæcunque transferuntur, effectus ſunt in ratione compoſita maſſarum atque ſpatiorum.

DEMONSTRATIO.

Si duo mobilia æqualia, quorum maſſæ ſunt ut M, transferuntur per ſpatia quæcunque *S* & *ſ*, erunt effectus E & *ε* uti ſpatia S & *ſ* (§.29.). Transferatur jam mobile, cujus maſſa ut *m*, per idem ſpatium *ſ* cum altero M; erunt effectus *ε* & *e* ut maſſæ M & *m* (§. 30.). Quare E : *e* = MS : *mſ*, hoc eſt, effectus quicunque ſunt in ratione compoſita maſſarum & ſpatiorum, per quæ mobilia transferuntur. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 33. Si E = *e* erit MS = *mſ* adeoque M : *m* = *ſ* : S, hoc eſt, ſi effectus fuerit idem, ſpatia ſunt maſſis reciproce proportionales.

THEOREMA 9.

§. 34. In motu æquabili effectus ſunt in ratione compoſita maſſarum, celeritatum atque temporum.

DEMONSTRATIO.

In omni motu, adeoque & in æquabili, effectus E & *e* ſunt in ratione compoſita maſſarum M & m atque ſpatiorum S & *ſ* (§.32). Sunt vero ſpatia S & *ſ* in motu æquabili in ratione compoſita celeritatum C & *c* atque temporum T & *t*. Quare effectus E & *e* ſunt in ratione compoſita maſſarum M & *m*, celeritatum C & *c* atque temporum T & *t*. Q. E. D.

COROLLARIUM. 1.

§. 35. Quodſi fuerit T = *t*, erit E : *e* = MC : *mc*, hoc eſt effectus innocui eodem tempore producti ſunt in ratione compoſita maſſarum M & *m* atque celeritatum C & *c*.

COROLLARIUM 2.

§. 36. Cum impetus I & *i* ſint in ratione compoſita maſſarum M & *m* atque celeritatum C & *c*: effectus *innocui* E & *e* ſunt in ratione compoſita impetuum I & *i* atque temporum T & *t* (§34).

COROLLARIUM 3.

§. 37. Effectus adeo innocui eodem tempore producti ſunt ut impetus.

COROL-

COROLLARIUM 4.

§. 38. Si $C = c$, erit $E : e = MT : mt$, hoc est, si duo mobilia eadem celeritate moventur, effectus innocui sunt in ratione composita massarum atque temporum.

COROLLARIUM 5.

§. 39. Quodsi ergo mobilia M & m fuerint æqualia & celeritate eadem moveantur, erunt effectus innocui ut tempora T & t, quibus producuntur.

COROLLARIUM 6.

§. 40. Si mobilia æqualia eadem celeritate moventur, vis eorundem eadem est (§. 1.). Effectus adeo innocui viribus æqualibus producti sunt ut tempora, quibus producuntur (§. 39.).

COROLLARIUM. 7.

§. 41. Actiones uniformes viribus æqualibus absolutæ sunt etiam in ratione temporum, quibus absolvuntur (§. 24.). Actiones adeo uniformes viribus æqualibus absolutæ sunt ut effectus, qui per eas producuntur (§. 40.).

COROLLARIUM 8.

§. 42. Si $M = m$, erit $E : e = CT : ct$, hoc est, si duo mobilia fuerint æqualia, effectus sunt in ratione composita celeritatum C & c atque temporum T & t.

COROLLARIUM 9.

§. 43. Si $E = e$ erit $MCT = mct$, consequenter $MC : mc = t : T$, hoc est effectu existente eodem, impetus MC & mc sunt ut tempora T & t reciproce.

COROLLARIUM 10.

§. 44. Eodem modo patet, esse $C : c = mt : MT$, hoc est, effectu existente eodem, celeritates C & c esse in ratione composita reciproca massarum m & M atque temporum t & T.

COROLLARIUM 11.

§. 45. Quodsi igitur ulterius $m = M$, erit $C : c = t : T$, hoc est, si duo mobilia fuerint æqualia, effectus idem producitur temporibus, quæ celeritatibus reciproce proportionales sunt.

COROLLARIUM 12.

§. 46. Si vero fuerit $T = t$, erit $C : c = m : M$, hoc est, si idem

effectus innocuus eodem tempore producitur, celeritates C & *c* ſunt reciproce ut maſſæ *m* & M.

THEOREMA 10.

§. 47. Actiones, quibus idem effectus producitur, ſunt ut celeritates.

DEMONSTRATIO.

Si duobus mobilibus M & *m* diverſa celeritate C & *c* latis idem producitur effectus, tum is aut eodem tempore producitur aut diverſo.

I. Quod ſi mobilia fuerint æqualia & effectus idem diverſo tempore producatur, celeritates erunt ut tempora reciproce, quibus is producitur (§. 45.), hoc eſt, corpus, quod tempore $\frac{1}{2}$ T effectum producit, movetur celeritate 2 C, cum alterum, quod effectum tempore T producit, moveatur ſimplici celeritate C, & ita porro. Iam evidens eſt, actionem uniformem eſſe duplam, quæ dimidio tempore effectum producit; triplam, quæ ſubtriplo, & ita porro; hoc eſt, actiones in eadem ratione creſcere, in qua decreſcit tempus, quod effectui ab eodem mobili impenditur conſequenter A: $a = t$: T. Quare cum ſit C: $c = t$: T per demonſtrata; ſi ab eodem mobili exiſtente idem effectus producitur diverſo tempore, actiones ſunt ut celeritates. Quod erat unum.

II. Si idem effectus producitur eodem tempore, mobili exiſtente diverſo; celeritates C & *c* ſunt reciproce ut maſſæ M & *m* (§. 46.) ſcilicet ſi $m = \frac{1}{2}$M, erit $c = 2$C, ſeu corpus dimidium movetur celeritate dupla. Quoniam hic eadem ratio maſſarum, quæ in caſu priori erat temporum, ratio vero celeritatum eodem modo ſeſe habet; perinde eſt, ſive maſſæ ſint eædem & tempus diverſum, ſive maſſæ diverſæ & tempus idem. Sed in caſu priori actiones A & *a* ſunt reciproce ut tempora, directe ut celeritates, per modo demonſtrata. Ergo & in hoc poſteriori eædem actiones A & *a* erunt reciproce ut maſſæ, vel directe ut celeritates. Quod erat ſecundum.

III. Denique ſi idem effectus diverſo tempore producatur, mobilibus M & *m* exiſtentibus diverſis; ponamus effectum eundem *e* eodem tempore T produci actionibus A & α: erit A: $\alpha = m$: M per caſ. 2. Producatur idem effectus e tempore *t* actione *a*, mobili exi-

existente *m*, qui tempore T actione α producebatur: erit $\alpha : a = t : T$, per cas. 1. Est igitur $A : a = tm : TM$. Sed effectu existente eodem, $C : c = tm : TM$ (§. 44.). Ergo $A : a = C : c$, hoc est, actiones, quibus idem effectus producitur, sunt ut celeritates. Quod erat tertium.

COROLLARIUM.

§. 48. Actiones eodem tempore sunt ut vires (§. 21.). Ergo si idem effectus innocuus eodem tempore producitur, vires sunt ut celeritates (§. 47.).

THEOREMA 11.

§. 49. Si duo mobilia eadem celeritate feruntur, actiones sunt ut effectus innocui.

DENONSTRATIO.

Producatur actione *a* effectus *e* celeritate *c*. Ergo eadem celeritate actione bis *a* producetur effectus bis *e*; actione ter *a* effectus ter *e*, & ita porro, consequenter actione *na* (= A) effectus *ne* (= Z). Sunt igitur actiones A & *a* ut effectus innocui E & *e*. Q. E. D.

THEOREMA 12.

§. 50. Actiones uniformes sunt in ratione composita effectuum, & celeritatum.

DEMONSTRATIO.

Effectus E & *e* eadem celeritate C producti sunt ut actiones A & α, quibus producuntur (§. 49.). Producatur jam actione *a* idem effectus E celeritate *c*, qui actione α celeritate C producitur: erunt actiones α & *a* ut celeritates C & *c* (§. 47.). Ergo actiones uniformes A & *a* sunt in ratione composita effectuum innocuorum E & *e* atque celeritatum C & *c*. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 51. Quoniam $E a C = e A c$ (§. 50.) erit $E : e = Ac : aC$; hoc est, effectus innocui sunt in ratione composita ex directa actionum & reciproca celeritatum.

THEOREMA 13.

§. 52. Actiones uniformes sunt ut impetus ad spatia applicati, quæ motu æquabili describuntur.

DEMONSTRATIO.

Actiones A & *a* ſunt in ratione compoſita effectuum E & *e* atque celeritatum C & *c* (§. 50). Sed effectus E & *e* ſunt in ratione compoſita maſſarum M & *m* atque ſpatiorum S & *ſ*. §. 32. Ergo Actiones ſunt in ratione compoſita maſſarum M & *m*, celeritatum C & *c* atque ſpatiorum S & *ſ*. Quamobrem, cum in motu æquabili impetus I & *i* ſint in ratione compoſita maſſarum M & *m* atque celeritatum C & *c*; erunt actiones A & *a* in ratione compoſita impetuum I & *i* atque ſpatiorum S & *ſ*, ſeu ut impetus ad ſpatia applicati. Q.E.D.

COROLLARIUM.

§. 53. In motu æquabili ſpatia S & *ſ* eodem tempore abſoluta ſunt ut celeritates C & *c*, & impetus in ratione compoſita maſſarum & celeritatum ut MC & *mc*. Actiones igitur eodem tempore abſolutæ ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum M & *m* atque celeritatum duplicata C^2 & c^2, hoc eſt $A : a = MC^2 : mc^2$.

THEOREMA 14.

§. 54. In motu æquabili vires ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum & duplicata celeritatum.

DEMONSTRATIO.

Actiones uniformes eodem tempore abſolutæ A & *a* ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum M & *m* atque duplicata celeritatum C^2 & c^2 (§. 55.). Sed eædem ſunt ut vires V & *v* (§. 21.) Ergo etiam vires V & *v* ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum M & *m* atque duplicata celeritatum C^2 & c^2. Q.E.D.

COROLLARIUM 1.

§. 55. Mobili igitur exiſtente eodem, vires ſunt in ratione duplicata celeritatum.

COROLLARIUM 2.

§. 56. In motu quomodocunque accelerato in fine cujuscunque temporis vires ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum & duplicata celeritatum in fine iſtius temporis acquiſitarum.

COROLLARIUM 3.

§. 57. Quoniam gravia per altitudinem quamcunque cadendo eam celeritatem acquirunt, qua ad eandem aſcendere poſſunt; igitur vires projectorum, quibus aſcenſus inchoatur, ſunt in ratione compoſita ex ſimplici maſſarum & duplicata celeritatum, quas per altitudines, ad quas aſcendunt, cadendo acquirere valent.

SCHO-

SCHOLION.

§. 58. Atque hæc est illa demonstratio, quam in hypothesi mobilium æqualium & rationis duplæ celeritatum A. 1710 cum Illustrissimo Comite ab *Herberstein*, illustri *Leibnitio*, atque aliis communicavi, æstimans actionem motricem per impetus ad spatia applicatos, quamque *Leibnitius* in suam cum viris celeberrimis *Ioanne Bernoulli* atque *Jacobo Hermanno* aliisque communicatam, recidere scripsit d. 12. Jan. A. 1711. datis litteris dicto fidem faciens his verbis: *Calculum virium punctarum seu actionum talem instituo. Sit spatium* s, *tempus* t, *velocitas* v, *corpus* c, *effectus* e, *potentia* p, *actio* a; *In motu aquabili erit* tv ut *s*, e *ut* es, tp ut a. *Atque hæc quidem sine demonstratione assumi possunt. Accedit, quod demonstrandum,* ev *ut* a. *Hinc porro plurima theoremata demonstrari possunt, e. gr.* p ut cv^2. *Nam* tp *ut ev sed* e *ut* cs, *&* s *ut* tv. *Ergo sit* tp *ut* ctv^2, *seu* p *ut* cv^2. *In motu inæquabili res etiam procedit, sed ordinatum invicem ducenda sunt quorum rationes componuntur, & in elementaribus, unde deinde summa dat æstimationem totalem. Atque in his continetur pars meorum dynamicorum, abstracta maxime a rebus sensibilibus, etsi deinde per experimenta verificetur.* Nullus itaque dubito, me hic principia Dynamicæ menti *Leibnitii* conformia proposuisse, quibus via ad ulteriora sternitur.

THEOREMA 15.

§. 59. In motu gravium seu æquabiliter accelerato vires sunt in ratione composita spatiorum, per quæ gravia descendunt, atque massarum.

DEMONSTRATIO.

In tempusculo infinite parvo, quo grave per spatiolum infinite parvum descendit, motus supponitur æquabilis, adeoque duorum mobilium M & *m*, quæ per inæquales altitudines descenderunt, actiones motrices A & *a* sunt in ratione composita tempusculorum *d*T & *dt* atque virium V & *v* integro descensu acquisitarum (§. 25.) Eaedem vero etiam sunt ut impetus MC & *mc* ad spatiola *d*S & *ds* applicati, quæ ulterius descendendo tempusculis *d*T & *dt* celeritatibus temporibus T & *t* per spatia S & *s* acquisitis C & *c* describerent (§. 52.). Habemus itaque $V\,dT : vdt = MC\,ds : mcds$, consequenter $VC\,dT : vcdt = MC^2\,dS : mc^2\,ds$. Est vero in motu gravium

vium ex hypotheſi Galilæana, ſeu æquabiliter accelerato, $C^2 : c^2 = dS : df$ & $C : c = dT : dt$. Ergo $V\,dT^2 : v\,dt^2 = M\,dS^2 : m\,df^2$, conſequenter $dT\sqrt{V} : dt\sqrt{v} = dS\sqrt{M} : df\sqrt{m}$. Quoniam itaque in tempuſculo infinite parvo vires V & v perinde ac maſſæ M & m conſtantes ſunt; erit $T\sqrt{V} : t\sqrt{v} = S\sqrt{M} : f\sqrt{m}$, conſequenter $T^2V : t^2v = S^2M : f^2m$: &, ob $T^2 : t^2 = S : f = C^2 : c^2$ ex natura motus æquabiliter accelerati, $VC^2 : vc^2 = MSC^2 : mfc^2$. Eſt igitur $V : v = MS : mf$, hoc eſt, vires ſunt in ratione compoſita ſpatiorum, per quæ gravia deſcendunt, atque maſſarum. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

§. 60. Quoniam grave vi cadendo acquiſita ad eam altitudinem adſcendit, unde decidit: Vires gravium aſcendentium ſunt in ratione compoſita maſſarum & altitudinum, ad quas adſcendunt.

SCHOLION 1.

§. 61. Atque hoc eſt illud principium, quod in virium æſtimatione a *Leibnitio* ſuppoſitum conſtanter negarunt *Papinus*, aliique antagoniſtæ.

COROLLARIUM 2.

§. 62. Quoniam aſcenſus grauis aſcendentis eſt effectus nocuus (§. 16.) eſt autem ut maſſa ducta in altitudinem, per quam aſcenditur (§. 32.); vires ſunt ut effectus nocui in aſcenſu gravium ex hypotheſi Galilæana (§. 60.).

SCHOLION 2.

§. 63. Perperam igitur omnis effectus ſtatuitur cauſæ proportionalis.

THEOREMA 16.

§. 64. Effectus innocui ſunt in ratione compoſita, ex ſimplici temporum & ſubduplicatis virium atque maſſarum.

DEMONSTRATIO.

Effectus innocui E & e ſunt in ratione compoſita maſſarum M & m, celeritatum C & c atque temporum T & t (§. 34.). Sed vires V & v ſunt in ratione compoſita maſſarum M & m ſimplici atque celeritatum duplicata C^2 & c^2 (§. 54.), adeoque celeritates C & c in ratione compoſita ex ſubduplicata maſſarum reciproca & ſubduplicata virium directa, nempe ut $\frac{\sqrt{v}}{\sqrt{M}}$ ad $\frac{\sqrt{v}}{\sqrt{m}}$. Quamob-

rem

rem effectus E & *e* ſunt in ratione compoſita temporum T & *t* directa, atque virium & maſſarum ſubduplicatis $\sqrt{VM}$ & $\sqrt{vm}$. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

§. 65. Si $T = t$, erit $E : e = \sqrt{VM} : \sqrt{vm}$, hoc eſt, effectus innocui eodem tempore producti ſunt in ratione compoſita ex ſubduplicatis virium atque maſſarum.

COROLLARIUM 2.

§. 66. Si præter $T = t$ etiam $M = m$, erit $E : e = \sqrt{V} : \sqrt{v}$, hoc eſt, effectus eodem tempore, mobilibus exiſtentibus æqualibus, producti ſunt in ratione ſubduplicata virium.

THEOREMA 17.

§. 67. Vires ſunt in ratione compoſita effectuum eodem tempore productorum & celeritatum.

DEMONSTRATIO.

Sunt enim ut actiones eodem tempore abſolutæ (§. 21.). Sed eædem actiones ſunt in ratione compoſita effectuum eodem tempore productorum atque celeritatum (§. 50.). Ergo vires ſunt in ratione compoſita effectuum eodem tempore productorum atque celeritatum. Q. E. D.

COROLLARIUM.

§. 68. Effectus E & *e* ſunt in ratione compoſita maſſarum M & *m* atque ſpatiorum S & *ſ* (§. 32). Ergo Vires V & *v* ſunt ut MSC ad *mſc*, hoc eſt, ut impetus MC & *mc* ad ſpatia S & *ſ* applicati.

THEOREMA 18.

§. 69. Conatus ſeu vires mortuæ ſunt in ratione compoſita maſſarum & celeritatum.

DEMONSTRATIO.

Per legem continuitatis *Leibnitianam* conatus conſiderari poteſt inſtar vis vivæ moventis corpus per ſpatiolum infinite parvum, hoc eſt, revera nullum. Quare, cum conatui ſic conſiderato applicari poſſit theorema de viribus vivis puris attenta differentia, quæ inter caſum hunc ultimum & ceteros intercedit, vires puræ autem ſint ut MSC ad *mſc*, (§. 57.) evaneſcentibus ſpatiis S & *ſ*, in præſenti caſu revera nullis, erunt conatus ut MC ad *mc*. Q. E. D.

SCHOLION 1.

§. 70. Obtinet hoc in vecte ceterisque potentiis mechanicis. *Leibnitius* in Actis Erudit. l. c. p. 150. paulo aliter rationem reddit, cur conatus sint celeritatibus proportionales: putat enim, in ipso initio motus descensus seu ipsas quantitates spatiorum descensu percursorum, nempe adhuc infinite parvas seu elementares, esse conatibus descendendi proportionales. Enimvero quoniam nostra principia cum suis concordare agnovit (§. 58.) imo agnoscere debuit, cum nullum dederimus theorema, quod non cum mensura virium *Leibnitiana* consentiat, nondum videtur illo tempore Dynamica ex primis suis principiis constituisse. Sane nec vires vivæ in omni hypothesi gravium sunt spatiis proportionales: neque enim solum ex demonstratione superiori (§. 59.) patet, id tantum convenire hypothesi Galilæanæ; verum, si demonstrationem generaliter concipias, patebit ulterius, fore vires in ratione composita ex simplici massarum, duplicata spatiorum directa, & duplicata temporum reciproca. Quoniam igitur in hypothesi Galilæana spatia sunt in ratione temporum duplicata; singulari hic ratione contigit, ut vires spatiis proportionales evadant.

COROLLARIUM 1.

§. 71. Si vectis ponderibus in A & B onustus moveatur circa
Fig. 32. centrum motus C, translatio ponderum per spatia AD & BE fit eodem tempore. Sunt adeo effectus E & *e*, seu M × AD & *m* × EB, hoc est, M × AC & *m* × CB ut impetus MC & *mc* (§. 37.) consequenter M × AC ad *m* × CB, ut conatus descendendi (§. 69.).

COROLLARIUM 2.

§. 72. Quodsi ergo conatus descendendi fuerint æquales, erit M × AC = *m* × CB, consequenter M : *m* = CB : AC.

SCHOLION. 2.

§. 73. En igitur demonstrationem theorematis mechanici & fundamentalis ex principiis Dynamicis deductam. Mittimus alia, quæ inde derivari poterunt. Neque enim in præsenti nobis propositum fuit, quam principia Dynamicæ constituere.

Num. XXXVII.

C. W. Monitum de ſua Philoſophandi ratione, inſerviens loco reſponſionis ad ea, quæ occaſione operis ſui Logici non nemo monuit in Actis Eruditorum anni 1728. p. 474.

Syllogiſmum non ſemper reſolubilem eſſe in ſoritem.
De utilitate figurarum ſyllogiſmi.
Evidentia ſyllogiſmi unde.
Secundæ & tertiæ figuræ ſyll. ſunt Cryptici.
Sufficiens figura prima.
Reſponſio ad obmotam autoritatem Leibnitii. Modus cogitandi naturalis.

Cl. *Hanſchius*, a quo *Hipparchum* Kepleri, in Actis Eruditorum A. 1709. p. 142. Aſtronomis promiſſum, & omnia *Keplerіana* opera ex MSC. edenda per ea, quæ in Actis A. 1714. p. 242. ſignificantur, expectamus, Logicæ quoddam ac Hygienes compendium ſub titulo Medicinæ Mentis & Corporis hoc ipſo anno edidit. Titulum a Tſchirnhuſio mutuatus eſt, in Logicæ autem compendio conſcribendo ducem ſibi elegit Logicam meam Germanicam, quinquies recuſam, fatetur enim me primum praxin regularum artis inveniendi diſtinctius oſtendiſſe. Etſi autem ſæpiſſime verba Germanica nonniſi in Latina vertat; ſunt tamen etiam nonnulla, quæ probare non poſſum, v. gr. dum omnem demonſtrationem reſolubilem eſſe ait in *Soritem*, ex meris propoſitionibus conditionalibus conſtantem, quarum primæ conſequens eſt antecedens ſecundæ &c. quod non ſemper ſuccedere, cum ex opere meo Logico manifeſtum eſt, ob allegatam ibidem rationem, tum re ipſa experimur, cum frequentiores ſint caſus, ubi reſolutio iſta non ſuccedit, quam ubi eidem locus eſt.

Ego in Logica Germanica tyronibus figuram primam ſufficere judicaveram: in eo autem in diverſa abit Cl. *Hanſchius*, qui abſtractam de figuris & modis poſſibilibus ſyllogiſmorum contemplationem compendio ſuo inſeruit, propterea quod *Leibnitius* ipſi aſſeveraſſet, ſe in demonſtrationibus *Euclideis* obſervaſſe, quod Geome-

tra omnibus figuris quatuor & omnibus ſex modis in ſingulis figuris, uſus ſit. Vid. Medic. Ment. p. 62. & Acta Erudit. hujus anni loc. cit. Eandem doctrinam denuo propoſuit in Actis Eruditorum hujus anni p. 468. & ſeqq. novis acceſſionibus auctam, ad quas ipſi profuere lumina, quæ ex opere Latino Logico hauſit. Dedit autem eam ex *Leibnitii* Arte combinatoria probl. 2 num. VI. p. m. 13. & ſeqq. quam is valde juvenis compoſuerat, ægerrime ferens in Actis Eruditorum A. 1691. p. 63, 64, quod ſe inſcio fuiſſet recuſa, cum eam nec maturioribus ſuis cogitatis, nec perſonæ ſuæ reſpondere judicaret. Neque etiam *Leibnitius* ſingularia iſta de modis figurarum utilibus primus repererat; ſed ea jam integro ſeculo ante docuerat *Ioannes Hoſpinianus Steinanus*, Profeſſor organi Baſileenſis, in peculiari libello Baſileæ A. 1560. edito, & in controverſiis dialecticis A. 1576 poſt mortem ejus publicatis defenſa. Ipſe *Leibnitius* eum inventorem laudat modorum novorum Barbara, Celarent, Ceſare, Cameſtres, ab Ariſtotele, meo quidem judicio, recte neglectorum, cum ſint compendia ratiocinandi, duobus ſyllogismis v. gr. in Barbara & Darii in unum contractis, quando quis in Barbara argumentatur, ſponte ſe ſe offerentia in praxi, etſi non doceantur, nec inter ſyllogiſmorum ſimplicium modos referenda, ſiquidem ii ex genuino fonte, non vero ex combinatoria arte eruantur, quemadmodum fecit Ariſtoteles. Dum vero *Hanſchius Leibnitii* de figuris & modis ſyllogiſmorum meditationem juvenilem Actis Eruditor. inſertam reperit, p. 474. ægerrime fert, quod non eandem quoque operi meo Logico inſeruerim & neglectæ abſtractæ illius de figuris & modis Syllogiſmorum poſſibilibus doctrinæ meditationi profundiori tribuit, quod non agnoverim cum *Jungio*, dari caſus in quibus magis naturaliter concludatur in ceteris figuris, quam in prima; nec cum *Leibnitio* obſervaverim, *Euclidem* in demonſtrationibus omnibus quatuor figuris & omnibus modis etiam utilibus in ſingulis figuris pro re nata uſum. Ego mihi propoſui exemplo Euclidis in Matheſi philoſophiam omnem reducere ad notiones communes & claritatem conſervare maximam, quantum fieri poteſt. Quid ſibi velit iſta ad notiones communes reductio, in philoſophia prima proxime clarius docebo. Non igitur meum fuit in conſtituendis ſyllogiſmorum modis ad artem combinatoriam confugere; Sed ad notionem communem,

munem, vi cujus in Logica naturali ratiocinamur & unde jam olim Ariſtoteles in Analyticorum libro primo modos ſyllogiſmorum atque figuras deduxit.

Soli illi ſyllogiſmi, qui immediata *dicti de omni & nullo* applicatione conſtant, per ſe ſunt evidentes, ceteri ab iisdem ſuam mutuantur evidentiam, nec admittuntur, niſi quatenus iisdem æquipollent. Illi autem ſunt ſyllogiſmi primæ figuræ; ceteri ſunt ceterarum. Atque eo ſenſu ſyllogiſmos in quatuor modis Ariſtotelicis primæ figuræ maxime naturales voco, quod §. 380. Logicæ per id explico, quod proxime accedant ad dictum de omni & nullo. Syllogiſmos ſecundæ & tertiæ figuræ in numero crypticorum eſſe oſtendi, & in Pſychologia rationem oſtenſurus ſum a priori, cur in hos ſyllogiſmos crypticos nonnunquam incidamus juxta dictum de omni & nullo ratiocinaturi, tanquam unicam ratiocinandi legem. *Jungius* nullibi dicit, nos magis naturaliter aliquid concludere in ceteris figuris, quam in prima; Sed in ſecunda & tertia figura ſæpe *naturali* prædicatione concludi ait, quod *præter naturali* in prima colligatur: Oſtendi autem in illis ipſis exemplis, quæ dedit, id poſſe evitari, & monſtravi, unde ſit, quod ſyllogiſmum ad primam figuram reducenti naſcantur propoſitiones formam contortam habentes, quæ tandem huc redeunt, quod minus naturaliter argumentemur, hoc eſt, a lege illa ratiocinationis univerſali, cujus ex natura hominis rationem redditurus ſum a priori in Pſychologia, recedamus. Ego nullibi negavi, Logica naturali utentes ſubinde incidere in ſyllogiſmos ſecundæ & tertiæ figuræ; ſed rationem prorſus reddidi a priori ex ipſa hominis natura §. 399. ſub finem, cur id fieri debeat. Quod tamen hoc non obſtante iis carere poſſimus evidentiæ amantes, docui §. 401. Si aliqua concluſio in ſecunda & tertia figura inferri poſſet, quam in prima inferri abſolute impoſſibile fuerat; eam ego abſolute neceſſariam pronunciarem: ſed cum talis nulla detur, ſola omnino figura prima contentos eſſe poſſe etiamnum affirmo, qui unius rationis ope ejusque communis maximam in ratiocinando evidentiam conſervare velint.

In ſcientiis imprimis non multum eſſe poſſe uſum figuræ ſecundæ & tertiæ, rationibus ſtabilivi (§. 40.), quod etiam concedere tenetur ipſe *Hanſchius* num. 71. Dum vero aſſerit, autoritate

Leibnitii fretus, *Euclidem* omnibus quatuor figuris & omnibus modis etiam utilibus in ſingulis uſum eſſe; vellem ut exemplis idem docuiſſet: valde enim vereor, ne *Leibnitius*, idearum juvenilium non ſatis tenax, Cl. *Hanſchio* dixerit ea, in quibus memoria eum fefellit. Ego non modo Geometriæ, ſed alias quoque Matheſeos demonſtrationes, ſingulas vel centies ea ratione reſolvi, quam docueram in ratione prælectionum, & in opere Logico Latino exemplis illuſtravi §. 551. & ſeqq. cum in docenda Matheſi analyſin juxta naturalem cogitandi modum ita obſervem, ut ex conditione theorematis auditores, veluti ipſimet prædicatum eruere ſibi videantur; nunquam tamen mihi recurrendum fuit ad ſyllogismos ſecundæ vel tertiæ figuræ, nec ſyllogismis primæ contentus ad incitas redactus fui, ut admittere cogerer propoſitiones formam contortam habentes, quales præternaturales vocat *Jungius*. Ego de rebus practicis ex notionibus ſtatuo, quas propria mihi praxis ſuggeſſit, & quas autoritati cuicunque præfero. Ego in philoſophia, quam paro, non admitto propoſitiones niſi determinatas, in quibus prædicatum determinatur per notionem ſubjecti, atque iſtiusmodi inferendis deſtinari primam figuram, jam agnovit *Ariſtoteles* ſub finem c. 4. lib. 4. Analyt.

Immo plerumque ſufficiunt modi univerſales Barbara & Celarent. Ego non ad oſtentationem philoſophor, ſed ad utilitatem vitæ. Propoſitiones autem determinatæ in vita applicantur per modum Darii & Ferio, ſumtis propoſitionibus ſingularibus, in quibus de ſubjecto prædicatur prædicatum commune pro particularibus, quemadmodum vulgo receptum & notioni dicti de omni & nullo, genuino doctrinæ de ratiocinatione lapidi Lydio, conforme eſt. Etſi autem Cl. *Hanſchius*, ſecutus *Leibnitium* juvenem in Arte combinatoria, propoſitiones ſingulares promiſcue omnes pro univerſalibus habeat; ego tamen non niſi eo in caſu propoſitiones proprias, in quibus prædicatum proprium eſt, pro univerſalibus agnoſco, quo definitiones locum tuentur: cum in hoc caſu reſolutio propoſitionis propriæ in univerſalem dicto de omni & nullo conformiter fiat; §. 350. in ceteris, eodem invito, immo reclamante; in ſingularibus, quæ prædicatum commune habent, prorſus nugatoria evadet,

&

& id incommodi habet, quod propoſitio particularis ex duabus vel pluribus univerſalibus componatur, univerſalis autem ex univerſalibus infinitis, id quod ex mea propoſitionum analyſi, quam in Philoſophia prima expoſui, ipſis oculis manifeſtum eſt. Ceterum ego parum moveor, ſive *Leibnitiana* cogitata meis conſentanea, ſive difformia fuerint. Neque enim mihi propoſitum eſt *Leibnitianæ* philoſophiæ ſyſtema condere, cum ea, quæ dedit *Leibnitius*, tanto, quod molior, operi de philoſophia univerſa in ſyſtema ordinatum & ad notiones communes reducenda, ut evidens & ad vitam utilis evadat, minime ſufficiant: de Logica enim dedit perpauca in ſchediasmate Actorum Eruditorum; in Metaphyſicis ea, quæ nondum mea facio, omnia, & quorum nonnulla ex iis, quæ notionibus meis conſona deprehendo, non niſi ultra hypotheſeos limites colloco penes me admodum arctos (v. §. 127. 128. *Diſcurſus præliminaris*); in Phyſicis vel nulla, quæ alicujus momenti ſunt, vel quæ tanquam juveniles auſus ad maturiorem ætatem profectus ipſe rejecit; in Philoſophia denique practica vix quicquam, quod uſui eſſe poſſit, niſi forſan una vel altera notio in præfatione ad Jus Gentium Diplomaticum occurrat. Ego magna *Leibnitii* in ſcientiam merita veneror, non tamen inſtar idoli colo, cum nulla penes me ſit dicentis autoritas, qui nihil admitto, niſi quod notionibus meis conforme deprehendo, ita ut nec verbis *Leibnitianis* alium ſenſum tribuam, niſi quem notionibus meis congruum obſervo, de mente ejus genuina parum ſollicitus, modo ſim certus de veritate. Cumque non ad oſtentationem, ſed utilitatem philoſophari me jam monuerim; non invideo aliis, quod perſpicillis meis uſi in iis, quæ obſcurius dicuntur a *Leibnitio*, videant, quæ abſque iis videre nequeunt, utut non agnoſcentes, mihi magis profuiſſe mea ad mentem *Leibnitii*, cum quo de Philoſophicis rebus me nunquam contuliſſe ſub finem vitæ in epiſtola aliqua ad *Reimondum* ipſe fatetur, perſpiciendam, quam dicta a *Leibnitio* ad mea invenienda. Quamobrem me parum moveat, quod Vir quidam doctus in his Actis aſſeruerit, *Leibnitium* fuiſſe confeſſum, quemadmodum ipſi videtur, ſerio, omnia, quæ de rebus Metaphyſicis in Theodicæa tradidit, eſſe luſum ingenii. Sint enim *Leibnitio* luſus ingenii verba, quæ ab eodem adopto: aut igitur alium eisdem tribuit, quam ego, ſenſum, aut, ſi eundem tribuit, ludendo dicit verum. Cum ego

ratio-

rationibus meis ſtare ſoleam, id me parum anxium tenet, num alter iisdem verbis ſenſum tribuerit a veritate abhorrentem, aut num ludendo dixerit verum, quod ego rationibus meis convictus tanquam verum admitto. Nec invideo aliis, quod alta videant, adeoque in ſuperficie hæreant; ſufficit mihi, ſi profunda videam atque adeo ad intimas rerum rationes penetrem. Quem argumentis extrinſecis tribuam locum, in opere logico demonſtravi §. 1007: mihi in intrinſecis acquieſcere placet. Neque ego litem alii unquam intendam, quod diverſa a meis defendat, ita ut nec Cl. *Hanſchio* reſpondiſſem, niſi Judicis autoritatem ſibi ſumſiſſet in mea, & Collectoribus Actorum Eruditorum viſum fuiſſet ejus monita recenſioni operis mei ſubjungere. Quod denique attinet ad perfectionem figurarum; neminem latet, *Ariſtotelem* non contemnendis rationibus uſum, ſolam figuram primam perfectam ſtatuiſſe, ceteras imperfectas lib. 1. Analyt. c. 4. & 5.

Ego non invita notione perfectionis generali, quam in Metaphyſicis dedi, definitione nominali *figuram perfectam* dico §. 400. Log. in qua omnes propoſitiones inferri poſſunt; *imperfectam* vero, in qua non omnes inferuntur, neque enim eodem modo illam applico, quo *Hanſchius* in ſuo ſchediaſmate, ubi de plurium entium inter ſe collatorum perfectione contenditur. Naturalem cogitandi modum, cujus ego primus notionem diſtinctam dedi, æque in figuris ceteris, ac in prima non obſervari, in Pſychologia oſtendam, ubi omnium ratiocinandi modorum rationem a priori ex facultatibus mentis daturus ſum, rigide obſervato diſcrimine, quod inter cognitionem intuitivam & ſymbolicam intercedit. Nolo igitur proferre, quæ nimis conciſe dicta ſufficienter intelligi nequeunt, cum non minus claritatem, quam ordinem & evidentiam conſervare ſoleam in philoſophando. Id unice addo, me non capere, quod aſſerat Cl. *Hanſchius*, quomodo prodeſſe debeat agnoſcendum factum *Euclidis* abſtracta de figuris ſyllogiſmorum eorumque modis doctrina, per quam modorum vi artis combinatoriæ factam determinationem intelligit, cum ſufficiat noſſe ſyllogiſmorum modos, ſive eos quis mecum ex notione communi dicti de omni & nullo, ſive cum *Hoſpiniano*, *Leibnitio* juvene & Autore Artis cogitandi vi artis combinatoriæ eruat, ſive eos ſaltem ex libello aliquo logico non attenta eorum ratione nude ſibi cognitos reddat. Sed meum non eſt litigare de lana caprina, nec conveniens hic litigiis iſtius modi locus eſt.

Num.

Num. XXXVIII.

Examen Rationum Dominici *Joannis Cevæ* contra introductionem Rheni in Padum magnum.

CAP. I.
§. 1. *Scripta desuper.*
§. 3 4. *Rationes dissuadendi Cevæ.*
§. 6. *Earum examen promittitur.*
§. 12. *de metu inundationis*
§. 17. *de canali inclinato.*
§. 30. *Manfredi doctrina de regurgitatione.*
CAP. II.
§. 1. 2. *prætensa regurgitatio aquarum.*
§. 3. *seqq. Eam nec perspicuam nec probatam esse.*
CAP. III.
Examen calculi elevationis aquarum.

CAPUT I. PRÆLIMINARE.

de Controversiæ Statu.

§. 1.

Vir Cl. *Dominicus Joannes Ceva,* Commissarius Archiducalis Cameræ Mantuanæ, edidit Rationes, quibus mathematica evidentia a se evictum arbitratur, periculosas metui debere inundationes, si Rhenus, ut volunt Bononienses, in Padum magnum maxime ad Stellatam introducatur. Respondit ad eas Vir doctissimus & editis Ephemeridibus etiam nostris in oris celebris *Eustachius Manfredus,* Universitatis Bononiensis Mathematicus. Rationes Cl. *Cevæ* cum Responsionibus Manfredianis prodiere Bononiæ. A. 1716. Ad eas Replicam edidit Cl. *Ceva* A. 1717. Atque ea sunt, quæ de hoc controversia ad me pervenerunt.

§. 2.

De mathematicis demonstrationibus vehementer & tanta confidentia gloriatur Cl. *Ceva,* ut eas Professor Matheseos nisi cum propriæ famæ periculo in dubium vocare non possit. Immo non dubitat asserere, Cl. *Manfredum,* ut fucam faciat, luci Solis meridiani nebulas offundere, quodque evidentia convinci nequeat, non in intellectu, sed in voluntate hærere vitium.

§. 3.

Demonſtraturus conſequentias peſſimas ex Rheni cùm Pado conjunctione orituras optime tria expendit. Nimirum 1. (id quod palmarium in hoc argumento eſt) inquirit, num alveus Padi capere poſſit aquam omnem & ſuam, & Rheni, tempore maximarum utriusque plenitudinum: 2. quinam metuendi ſint effectus maligni a directione, cum qua Rhenus in Padum introducendus: 3) quænam damna datura ſit turbida Rheni aqua.

§. 4.

Calculo intumescentiæ aquarum in Pado, Rheno introducto, præmittit Cl. *Ceva* ſuam de regurgitatione aquarum hypotheſin, eum, ut videtur, in finem, ut inde arguat, damna ex hac introductione oritura etiam metuenda eſſe Provinciis ſuperioribus, utque refellat eorum ſententiam, qui in riparum altitudine augenda omne præſidium quærunt.

§. 5.

Quamvis ego (quod jam alibi aliquoties publice profeſſus ſum) methodi inprimis gratia ad Mathemata tractanda animum appulerim, & rationes evidentiæ, quas cum cura perſcrutatus ſum, mihi reperiſſe atque tum alibi, tum inprimis in libello, in quo Rationem mearum in Matheſin atque Philoſophiam univerſam prælectionum publice reddidi, expoſuiſſe videar; ſi tamen, quod verum, fateri fas eſt, non eadem oculos meos ferit lux, dum Cl. *Cevæ* demonſtrationes contueor, quibus demonſtrationes *Euclidis* aut alterius Geometræ radiantes experior.

§. 6.

Miſſis igitur virorum doctiſſimorum autoritatibus, quibus ſententiam ſuam confirmare nititur Cl. *Ceva*, inprimis cum plerorumque ſcripta, vnde deſumta ſunt teſtimonia, ad manus non ſint, ſolius veritatis gratia, vim rationum ab ipſo contra Rheni in Padum introductionem allatorum æqua lance trutinaturus difficultates ſi non omnes, ſaltem præcipuas, candide exponam, quæ mihi enatæ ſunt 1. circa paradoxam regurgitationis hypotheſin, 2. circa calculum intumeſcentiæ aquarum Padi, Rheno introducto, 3. circa effectus malignos ex ipſius ſententia a directione orituros, cum qua Rhenus in Padum introducendus 4. circa damna, quæ eodem judice dabit aqua Rheni turbida.

CAP.

CAPUT II.

Examen hypotheſeos paradoxæ de regurgitatione fluminum, quam Cl. *Ceva* ſtabilire nititur.

§. 1.

Cl. *Ceva* de regurgitatione fluminum paradoxum ſingulare tuetur: quod ſcilicet aqua ob impedimentum inferius regurgitare debeat per totam alvei longitudinem, quodque ſectiones ſuperiores continuo majores fiant inferioribus, præſertim in exigua alvei declivitate.

§. 2.

Paradoxum hoc probaturus principii loco ponit, quod in *canali horizontali, ſi aqua a conſtante ſupraveniente in eadem altitudine conſervetur, ſuperficies aquæ tota verſus exitum inclinata eſſe debeat.* Addit probationis loco: *Alias aqua non haberet motum, quod eſt abſurdum.*

§. 3.

Cum totum regurgitationis paradoxum ab hoc principio tandem pendeat, exaſciata ejus requirebatur demonſtratio, præſertim ubi in vi demonſtrationum omne præſidium collocatur. Enimvero non modo ipſa propoſitio, ſi verba ſpectes, obſcura eſt atque ambigua: verum etiam demonſtratio nec materialiter, nec formaliter mathematica.

§. 4.

Notum eſt, aquam in canali horizontali non fluere, niſi in exitu habeat declivitatem, vel præcipitium, aut vi impreſſa moveatur. Peccat igitur Cl. *Ceva* contra formam propoſitionum mathematicarum, dum in hypotheſi propoſitionis non exprimit, quemnam caſum ſupponat. Atque hac in re aberratum fuiſſe, ipſemet diffiteri nequit. Cum enim Cl. *Manfredus*, in hypotheſi aquarum vi impreſſa motarum propoſitionem impugnaſſet: in Replica excipit, ſe non ſupponere jactum horizontalem, ſed quod ſupraveniens fluxu minus violenta in canalem cadat. Agnoſcit adeo caſuum differentiam: cur ergo in genere de tubo horizontali enunciat, quod ipſius judicio ſaltem aliquo in caſu locum habet.

§. 5.

Ait Cl. *Ceva*, aquam in eadem altitudine conſervari debere; ſed non determinatur, quomodo id fieri debeat: id quod tamen utique neceſſarium videbatur, cum in diverſis hypotheſibus diverſa eſſe debeat motus ratio.

§. 6.

Hæc talia non urgerem, niſi Cl. *Ceva* tantopere creparet evidentiam ac rigorem demonſtrationum mathematicarum, ut nonniſi cum propriæ famæ periculo a Profeſſore Matheſeos in dubium vocari poſſint.

§. 7.

Quemadmodum vero propoſitionem ambiguitatibus obnoxiam reliquit; ita non minus eam attulit rationem vi cujus certitudo ejus nulla apparet. Aut enim prætenſa demonſtratio nullo argumento concludit, conſequenter in formam demonſtrationum peccat Autor; aut is in genere ſumit, quod de aqua in ſpecie probari debebat.

§. 8.

Quodſi argumento concludere debet, quam Autor dare prætendit, demonſtratio; duo ſumit Cl. *Ceva*, nempe 1. aquam in canali horizontali moveri, 2. ſuperficiem fluidi cujuscunque, quod in canali horizontali movetur, verſus exitum inclinari debere. Prima ſumtio admitti poteſt vi experientiæ; ſed tamen accurate determinari debebat, qua de cauſa moveatur (§. 4.). Altera ſine probatione non conceditur. Alia ſane eſt demonſtrationum geometricarum indoles, in quibus ſyllogiſmi ita concatenantur, ut concluſiones fiant ſumtiones poſteriorum. Nec admittuntur propoſitiones precariæ.

§. 9.

Ipſemet Cl. *Ceva* agnoviſſe videtur, in probatione a ſe allata deſiderari evidentiam & nexum cum concluſione, quæ inferri debet. Unde in Replica rationem clariorem ſubſtituere conatur. Ait ibidem, in canali horizontali nihil aliud eſſe niſi vim ponderis, quæ ibi agat, atque inde ſequi, ut, quo magis ad originem accedamus, tanto majori altitudine aquæ corpus ſuſtentetur, quippe quæ illa ipſa ſit, quæ motum det collaterali ſibi oppoſitæ.

§. 10.

§. 10.

Enimvero hic denuo non probat, ſed gratis ſumit, aquam in tubo horizontali ſola vi ponderis motam cum ſuperficie inclinata verſus exitum moveri debere, ſumitque generaliter, cum tamen diverſi ſint caſus, in quibus aqua in tubo horizontali movetur (§. 4.). Debebat itaque oſtendere ſequelam inclinatæ ſuperficiei ex motu aquæ ponderis ſola vi producto.

§. 11.

Hactenus itaque nihil probavit: id quod ipſemet jam agnoviſſe videtur. Cum enim in Replica ſpem faciat demonſtrationis ſuo loco afferendæ & alicubi poſtulatum vocet propoſitionem controverſam; fatetur ſane, propoſitionem iſtam eſſe inevidentem (alias enim non indigeret demonſtratione), neque certitudinem ipſius a ſe hactenus evictam. Videat ergo Cl. *Ceva*, quomodo tamen aſſerere poſſit, aſſertum ſuum eſſe per ſe plane evidentiſſimum! Videat, quæſo idem, quomodo conſulat certitudini paradoxi ſui, quod ad ipſum tuendum poſtulet propoſitionem obſcuram & ambiguam.

§. 12.

Infert inde porro corollarium his fere verbis: *Si offeratur aliquod etſi leve impedimentum ejus orificio, ut exitus vel minuatur, vel reprimatur, 1. tota ſuperficies aſcendet in canali, uſque dum acquiſiverit exitum priori æquivalentem; & tamen 2. tota ſuperficies declinabit verſus exitum, quamvis minus, quam ante.*

§. 13.

Prius quidem recte ſe habet; ſed non ſequitur ex theoremate, niſi inde ſequi dicas, quæ nullo argumento inferri poſſunt: qua ſane ratione quodvis ex quovis ſequi dicendum eſt.

§. 14

Neque poſterius ulla argumentandi forma inde exſculpi poteſt. Quæ enim conſequentia? Aqua in canali horizontali liberum exitum habens (qui caſus in theoremate ſupponitur) fluit ſuperficie declivi: ergo ſuperficies etiam declivis eſt, ſi aqua, exitu obturato, regurgitat. Si more Geometrarum agendum fuiſſet; diſtincte demonſtrare debebat 1. ſuperficiem manere declivem, exitu obturato, 2. declivitatem tamen minui.

§. 15.

Mirum ſane, quod Cl. *Ceva* novam theoriam fundaturus in tanta perplexitate ac incertitudine relinquat lectorem ſuum.

§. 16.

Quæ propoſ. 2. de canali verticali habet, ea per experientiam clarent & rationi conſona ſunt, utpote ex notionibus fluiditatis ac gravitatis demonſtrabilia.

§. 17.

Sequitur propoſitio tertia de canali inclinato, *quod, quo minus declivis fuerit, eo magis tota ejus ſuperficies inclinetur verſus exitum, ſi propter inferius aliquod impedimentum cogatur regurgitare ac altius aſcendere.* Probat, quia canalis inclinatus participat de canali horizontali, ſeu de proprietatibus canalis horizontalis.

§. 18.

Obiter noto, Autorem ut ante non eſſe ſatis accuratum in enunciando. Primo enim ait, *ſit canalis quomodocunque inclinatus*, & de eo prædicat, quod in caſu regurgitationis ſuperficies aquæ verſus exitum inclinetur. Mox tamen contrarium obtinere aſſerit in canali, qui plus participat de perpendiculari, quam horizontali, & prius aſſertum reſtringit ad canalem, qui plus de horizontali, quam verticali participat.

§. 19.

Participatio canalis inclinati de horizontali & verticali obſcura eſt. Cum tamen mox inconſtantia loquendi (quæ a Geometrarum more abhorret) pro canali horizontali ſubſtituat proprietates canalis horizontalis; hunc ſenſum contextus dabit, quod proprietates canalis horizontalis etiam conveniant canali inclinato. Enimvero cum id in genere verum non ſit, in dubio ſane relinquit lectorem attentum, quando a canali horizontali ad inclinatum argumentari liceat.

§. 20.

In Replica clarius explicat, quid ſibi velit, quando ait, canalem inclinatum participare de horizontali & verticali. Scilicet notum eſt, quod in canali inclinato gravitas æquæ & deorſum agat adverſus fundum, quemadmodum in tubo horizontali, & corpus ad deſcenſum urgeat, ſicuti in verticali. Quodſi vis prior major eſt poſteriori, canalis incli-

inclinatus phraſi *Cevæ* magis participat de canali horizontali, quam verticali, hoc eſt, quatenus gravitas adverſus fundum agit, eatenus ad canalem inclinatum applicari poſſunt, quæ ex gravitatis adverſus fundum actione demonſtrantur de horizontali; quatenus vero aqua per vim gravitatis ad deſcenſum urgetur, eatenus ad canalem inclinatum applicari poſſunt, quæ de verticali ex hac vi demonſtrantur.

§. 21.

Sumamus hanc explicationem *Cevæ*, optimi verborum ſuorum obſcurorum interpretis, & concedamus interea, verum eſſe, quod ad tubum inclinatum applicari poſſint, quæ de horizontali ex actione gravitatis adverſus fundum demonſtrata ſunt, quamvis hæc non ita promiſcue concedi poſſint, ſed limitationibus opus ſit, niſi in errorem proclivis eſſe volueris. Cum tamen *Ceva* ex gravitatis actione adverſus fundum canalis horizontalis nondum demonſtraverit, in regurgitatione omnes in univerſum ſectiones ſuperiores eſſe proxime inferioribus majores, nec idem ad tubum inclinatum applicare poteſt.

§. 22.

Quodſi ex gravitatis adverſus fundum actione oſtendi poteſt, in regurgitatione omnes ſectiones ſuperiores eſſe proxime inferioribus majores, non video cur demum a canali horizontali ad inclinatum argumentari debeamus, cum hac ratione id de inclinato demonſtrari poſſit independenter ab horizontali: Tanto minus autem ferendum eſt, ut per ambages quæratur, quod citra eas haberi poteſt, quia non omni in caſu cum actione gravitatis adverſus fundum connectitur incrementum ſectionum ſuperiorum ultra inferiores, judice *Ceva*; ſed tantum eo in caſu, ubi vis adverſus fundum major eſt ea, qua aqua per declive ad deſcenſum urgetur. Mirum vero, quod Cl. *Ceva* non dederit iſtiusmodi demonſtrationem, ſi potuit: huic enim viæ inſiſtens ex principiis manifeſtis more Geometrarum demonſtrationes contexere potuiſſet, ſi quidem aſſerta veritati conſentanea, neque opus fuiſſet principiis precariis, perplexis atque obſcuris.

§. 23.

Prævidit ipſe, quod nemo demonſtrationibus, quas ſibi proferre

ferre visus est, futurus sit contentus, adeoque clarissimam, si superis placet, offert demonstrationem, quod aqua inferius opposita sectionibus canalis aquæ superiori esse possit impedimento.

§. 24.

Videamus, quomodo propositum exequatur. Sumit primo, si in flumine aqua supraveniens deficit, quantitatem aquæ per ostia ex H & I exeuntem esse æqualem quantitati aquæ in fluvio subsidentis. Hæc sumtio extra omnem dubitationis aleam posita, neque opus est obscura Autoris ratione, quod tunc omnis motus aquæ versus fundum refundatur in supremam ejus superficiem: quæ sane verba aut nihil significant, aut idem prorsus, quod probandum suscipit Autor, nempe quantitatem per ostia exeuntem esse quantitati subsidentis æqualem. Sed videtur Autor studio uti ratione ista obscura, ut præoccupet animum lectoris parum attenti, quasi aqua considerari debeat in flumine tanquam quiescens: id quod veritati minime consentaneum. Etsi enim exigua tantummodo sit declivitas, ea tamen, experientia teste ac ratione, sufficit ad motum.

§. 25.

Ex assumto infert, momenta sectionum in ostiis H & I esse simul sumta æqualia momento superficiei cadentis fluvii DEIH, consequentia satis obscura, ut quilibet, ad eam attentus experiri potest. Cum momentum vulgo in mechanicis accipiatur pro facto ex massa in celeritatem mobilis; per momenta sectionum intelligenda sunt facta ex sectionibus in celeritatem, qua per eas aqua effunditur, & per momentum superficiei cadentis factum ex superficie aquæ in celeritatem, qua subsidit. Sensus adeo est, posita velocitate media in H & I $= v$, in superficie cadente $= v$, sectionibus in ostiis $=$ H & I, superficie cadente $=$ DEIH, esse H.V + I.V $=$ DEIH.v, id quod ex priori assumto minime elicitur, nisi demonstretur, quantitates aquarum in casu præsenti habere rationem momentorum.

§. 26

Sed non video, qui demonstrari possit, quod absolute verum non est. Concedo H.V. + I.V. $=$ DEIH.v, in hypothesi canalis horizontalis non nimis longi, nec velocitatis V nimis magnæ. Si enim canalis fuerit inclinatus, aqua non tantum subsidit propter gravitatem, sed etiam pro-

progreditur propter alvei declivitatem, tuncque quantitas aquæ, exiens per oſtia H & I per DEIH. *v* exprimi non poteſt. Si canalis horizontalis nimis longus, aut velocitas V valde ingens, deſcenſus aquæ quovis inſtanti non extenditur per integram alvei longitudinem.

§. 27.

Equidem prævideo, Cl. Autorem excepturum, quod ſupponat aquam in canali conſtanter per integram alvei longitudinem extendi, & tanquam quieſcentem ſpectari debere: Sed hæc canali inclinato contrariantur. Quamvis enim exigua admodum ſit declivitas (id quod facile experiri datur), ſectiones tamen ad oſtia ſunt altiores remotioribus, ubi aqua ſucceſſive deficit.

§. 28.

Multo minus autem conceditur, momentum aquæ per G & F exeuntis eſſe momento ſuperficiei cadentis DEGF æquale. Sane in canali horizontali non nimis longo, ubi aqua æquali celeritate per totam longitudinem ſubſidit, momenta aquæ per G & F exeuntis ſunt æqualia integræ ſuperficiei cadentis momento. Cur ergo Autor hic non utitur ſuo principio, quod canalis parum declivis participet proprietates horizontalis?

§. 29.

Minime itaque probavit Cl. *Ceva*, quod aqua inferior moveatur ſuperiori celerius, quod ſibi probandum propoſuerat. Atque hoc pacto apparet, quam obſcuris, lubricis atque perplexis principiis ſuam regurgitationis theoriam ſuperſtruxerit, quam nemo admittet, niſi meliores dederit demonſtrationes, quas ſane nunquam daturus eſt. Rogo Virum Cl. ut, ſi veritatis amore ducatur, caſta Geometrarum methodo utatur, alias dubito fore ut ipſemet inſufficientiam ſuarum demonſtrationum agnoſcat.

§. 30.

Certiora ſunt principia, quibus in doctrina regurgitationis fluminum utitur Cl. *Manfredus*, experientiæ nimirum ac rationi congrua & ab omni obſcuritate ac perplexitate aliena. Nimirum aut aqua regurgitat per modum ſtagnantis, & ſic ſola vi gravitatis refluit, donec inferior non amplius ultra libellam ſuperioris elevetur;

aut impetu concepto refluit, quo in casu remoto omni impedimento, ad eam altitudinem ascendere debet, unde cadendo acquisivisset celeritatem, qua fertur, in fluminibus tamen ob resistentiam aquæ superioris ad minorem revera altitudinem in locis superioribus ascendit

§. 31.

Enimvero cum hæc jam satis explicata dederit *Manfredus*, plura addere supervacaneum foret. Unum tamen observo, scilicet quod in casu fluminis cujusdam in alterum introducti non alia attendenda mihi videatur regurgitationis causa, quam quæ a sola gravitatis vi pendet. Etsi enim sub initium, ubi fluvius intromissus intumescit, aquæ versus superiora celeritate acquisita refluant, id tamen constanter fieri non solet: sed ubi aquæ ultra libellam in ostio elevatæ in libella cum superioribus consistunt, refluxus omnino cessat, adeoque si vi impetus ultra libellam elevatæ fuissent aquæ, impetu cessante, versus inferiora relaberentur.

§. 32.

Equidem novi Cl. *Cevam* has regurgitationis causas non rejicere; aliam tamen iisdem superaddere, quæ in canalibus parum declivibus prævaleat cæteris, nempe resistentiam aquæ inferioris, qua aqua superior continuo magis magisque retardatur sicque in sectionibus superioribus magis intumescit, quam in inferioribus. Enimvero hanc ipsam causam ab eodem minime fuisse demonstratam, in antecedentibus ostendi. Atque hæc est ratio, cur ad eam in hoc argumento recurrere non liceat.

CAPUT III.

Examen calculi elevationis aquarum Padi, Rheno introducto

§. 1.

Calculum Cl. *Cevæ* ad examen revocaturo duo considerandæ sunt, nempe 1. principia, 2. fundamentum calculi.

§. 2.

Fundamentum calculi est theorema in hydrometricis hodie notissimum, quod scilicet, quando flumen excrescit, altitudo ejus sit

ad

ad priorem ut radix cubica quadrati quantitatis aquarum per sectionem ante intumescentiam transmissarum ad radicem cubicam quadrati quantitatis aquarum per eandem sectionem post intumescentiam transmissarum.

§. 3.

Cum de recto theorematis usu judicium fieri nequeat, nisi de ejus demonstratione constiterit: liceat nobis demonstrationem facilem atque perspicuam contexere.

§. 4.

Pleraque theoremata hydrometrica apud Scriptores passim obvia unica æquatione comprehendo. Sit nempe in duobus fluminibus

Sectio una	$=S$	altera	$=s$
Velocitas media unius	$=V$	alterius	$=v$
Tempus	$=T$	- - -	$=t$

quantitas aquæ per unam sectionem transiens $=Q$, per alteram $=q$ erit

$$Q=SVT \;\&\; q=svt$$

consequenter $Q:q=SVT:svt$

et hinc $Qsvt=qSVT.$

§. 5.

Ponamus jam in casu fluminis intumescentis comparandam esse aquam post intumescentiam per sectionem dato tempore transeuntem cum aqua ante ipsam per eandem eodem tempore transmissam; erunt sectiones ob latitudinem eandem ut altitudines A & a, adeoque ob

$$t=T,\; Q:Av=qAV,$$

hoc est, $Q:q=AV:av.$

§. 6.

Porro Torricellius reperit & Cel. Bernoullius rigorose demonstravit, aquis per lumina vasorum persilientibus, velocitates esse in ratione subduplicata altitudinum. Quodsi jam sectiones fluminum

consiederentur instar lumina tuborum; erit $V : I = VA : \sqrt{a}$, consequenter

$$Q : q = A\sqrt{A} : a\sqrt{a}$$
$$= \sqrt{A^3} : \sqrt{a^3}$$

§. 7.

Hinc porro patet, esse

$$Q^2 : q^2 = A^3 : a^3$$

& tandem $\sqrt[3]{Q^2} : \sqrt[3]{q^2} = A : a$

Quod erat demonstrandum.

§. 8.

Cum lumina tuborum sint libera, in quibus locum habet Torricelliana velocitatum proportio; theorema hoc ad flumina applicari potest nonnisi eo in casu, quando sectiones spectari possunt ut liberæ: quod cum fieri nequeat quando velocitas fluminis a maris resistentia retardatur, non sine ratione monuit Cl. *Manfredus* calculum in hoc casu juxta istud theorema instituti minime posse. Hæc nempe exceptio valet, quamdiu flumen ob resistentiam maris actu intumescit.

§. 9.

In cæteris casibus ipsemet *Manfredus* usum theorematis agnoscit. Enimvero restat adhuc aliquid dubii, siquidem demonstrationem curatius perpendere libuerit. Nimirum datur aliqua disparitas inter motum aquæ per lumina vasorum & motum fluminis per sectiones: In illis enim aqua sola gravitatis pressione movetur, in his etiam ob declivitatem fundi; utrum vero hæc differentia in præsenti argumento attendi mereatur, nec ne, disquirere non vacat.

§. 10

Neque etiam opus est, ut multum solliciti simus, utrum in rigore geometrico theorema illud ad præsentem materiam applicari possit, nec ne. Ultro enim fatetur Cl. *Ceva*, quod accurata computatio minime fieri possit, atque adeo hos calculos nonnisi probabiles reputet necesse est: quo in casu theoremata admittunt aliquam latitudinem.

§. 11.

§. 11.

Quænam ſint principia calculi elevationis aquarum Padi Rheno introducto, ex ipſo theoremate colligitur. Cum enim quæratur altitudo aquæ in Pado Rheno introducto, hoc eſt a, dentur neceſſe eſt 1. altitudo aquæ in Pado præſens, Rheno adhuc excluſo, ſive A, 2. ratio quantitatis aquarum Padi ad aquas Rheni & Padi ſimul ſeu $Q:q$.

§. 12.

Optime hic Cl. *Ceva* plures diſtinguit ſtatus Padi, Rheni atque Maris & ex eorum combinationibus deducit caſus omnes poſſibiles, quos in elevatione aquarum Padi, Rheno introducto expendere juvat. Sumit vero altitudinem Padi in maxima intumeſcentia pedum 35 & rationem $Q:q = 29:30$, atque hinc elicit $a = A\sqrt[3]{q^2} = \frac{A\sqrt[3]{q^2}}{\sqrt[3]{Q^2}}$ unciarum $9\frac{3}{5}$.

§. 13.

Equidem experimenta non ſunt in poteſtate mea poſita, ut de aſſumtorum veritate inde judicium fieri poſſit; quodſi tamen circumſtantias ejus caſus, in quo calculum inſtituit Cl. Autor, penitius conſiderem, ab ea accuratione, quam obtendit & quæ in re tanti momenti obſervari debebat, procul abeſſe videtur.

§. 14.

Inſtituit nempe calculum in eo caſu, ubi Rhenus pleniſſimus influere ſupponitur in Padum pleniſſimum, ſed mari depreſſo: ipſius enim ſententia regurgitatio maris ultra eum extenditur locum, ubi Bononienſes Rhenum in Padum intromittere decreverunt. Quodſi ergo fluvius ibidem ob intumeſcentiam maris & ipſe intumeſcere poteſt; in calculo aſſumi nequit altitudo Padi obſervatarum maxima. Quare cum Cl. *Ceva* ultro fateatur, altitudinem obſervatarum maximam eſſe 35 pedum in præjudicium & Bononienſium eandem in calculo præſentis caſus aſſumit, ut ſcilicet hypotheſi de incapacitate alvei Padi faveat.

§. 15.

Optime jam, meo quidem judicio, hæc adverſus calculum ipſius excepit Cl. *Manfredus*, neque reperio, quod aliquid attention

tione dignum regerere in Replica potuerit Cl. *Ceva*. Evimvero cum Cl. *Manfredus* experientiam teſtem appellet, quod regurgitationes maris eousque non pertingant, ubi Bononienſes Rhenum intromittere intendunt; non video, quare de hac circumſtantia ſerram contentionis diu reciprocare debeamus.

§. 16.

Majoris vero momenti eſt, (quod etiam jam a Cl. *Manfredo* animadverſum reperio), quod altitudo maxima aquarum Padi 35 pedum conſiſtere nequeat cum ratione earum ad aquas Rheni ut 29 ad 1, cum, uti *Manfredus* oſtendit, iſta ſuppoſita, per calculum prodeat ut 31 ad 1: id quod denuo evertere non potuit Cl. *Ceva*, utpote qui concedit, rationem a ſe aſſumtam non eſſe genuinam. Quamvis vero autoritate *Millietti Dechales* rationem majorem 31:1. in Replica deducat; non tamen oſtendit, an dimenſiones illius Autoris, utpote Galli, non Itali, certa atque indubitata experientia nitantur.

Hucusque B. Autor pervenit, nec de eo conſtat, cur hoc ſcriptum in ſcrinio ipſius repertum non abſolverit.

SECTIO II.

DISSERTATIONES

QVAS

PERILLUSTRIS

WOLFIUS

PRO

CATHEDRA

DEFENDIT.

Num. I.

Q. D. B. V. Philoſophia practica Univerſalis, Mathematica methodo conſcripta, indultuque Superiorum A. O. R. MDCCIII. d. 12. Ianuarii Placidæ Eruditorum diſquiſitioni ſubmiſſa a M. *Chriſtiano Wolfio*, Uratislavienſi, & Reſpondente *Laurentio Davide Bollhagen*, Starg. Pom.

Lipſiæ. Typis Chriſtiani Gœtzii.

Auguſtæ Uratislavienſium Reipublicæ Illuſtri Dn. Præſidi, cæterisque Splendidiſſimi Ordinis Senatorii Proceribus, Viris Generoſiſſimis, Maxime Strenuis, Excellentiſſimis, Conſultiſſimis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis, Doctiſſimis, Dominis, Mecænatibus atque Patronis perenni obſervantiæ cultu devenerandis Specimen hoc Academicum religioſum eſſe jubet cliens humillimus M. *Chriſtianus Wolfius* Uratislavienſis.

Præloquium.

Lectori Benevolo Salutem.

Progressus scientiarum in nostro ævo.

ovarum inventionum ferax est præsens, quod degimus, ævum: studium sane Mathematicum ad id pervenit fastigium, in quo ipsum nunquam viderunt anteriora secula collocatum. Physicum pares habuit successus: nec Theologia Naturalis, nec verior Logica, Methodus, inquam, veritates absconditas per proprias meditationes detegendi, habet nulla, quæ jactet, incrementa. Sola fere Philosophia Practica æqualem hactenus nacta non est splendorem. Enimvero in causas horum progressuum inquirentes, quoad studium Matheseos, puræ præsertim, tres potissimum deprehendimus: quarum prima est, quod Vieta Arithmeticam speciosam introduxerit, & divinum Dn. Descartes ingenium miris modis eandem perfecerit ac facilitaverit; altera, quod Mathesis quæpiam Universalis, unicum totius reliquæ fundamentum, feliciter excoli cœperit; tertia denique, quod ab inventa Arithmetica Speciosa Scientiarum humanarum apicem sine remora conscendere, h. e. divinam illam Algebram, cujus ope, quicquid in Mathesi absconditum, eruitur, plenius percipere licuerit. His quidem præcipue de causis Mathematicum efflоruit Studium: reliquæ autem disciplinæ splendorem, quo nunc effulgent, insignem ideo consecutæ, quod earum cultores Mathematice philosophari, h. e. conceptus intellectus a perceptionibus imaginationis accurate distinguere, rerum naturas primo omnium loco investigare & ex iis reliqua deducere, tandemque ab universalibus & simplicioribus ad specialiora & magis involuta progredi juxta leges genuinæ cujusdam methodi inveniendi verum sueverint. Cum igitur nunc edendum sit Specimen, quod non solum, quantum in scriptis aliorum perlegendis tempus collocaverim, sed & quantum in veritate cognoscenda inveniendaque ingenium exercuerim, palam eloquatur; generalia Philosophiæ Practicæ præcepta methodo Mathematicis usitata pertractare libuit. Quantum huic, quem dixi, scopo satisfecerim, judicare tuum est, benevole Lector. Quodsi labor qualiscunque noster displicuerit, meliora nobiscum communica. Vale.

Philo-

Philoſophiæ Practicæ Univerſalis

Sive fundamenta doctrinæ moralis.

CAPUT I.

Definitiones exponit.

DEFINITIO 1.

Philoſophia Practica Univerſalis eſt Scientia affectiva practica dirigendi actiones hominis liberas quascunque ad finem optimum per regulas univerſaliſſimas.

SCHOLION.

Philoſophiam Practicam Univerſalem dicimus ſcientiam, quæ tradit principia Ethicæ ac Politicæ communia, ad imitationem Mathematicorum, quibus Matheſis Univerſalis dicitur ſcientia principia Arithmetica ac Geometriæ communia demonſtrans. Per ſcientiam autem intelligimus habitum concluſiones ex firmis principiis demonſtrandi. Scientia affectiva nobis eſt iſta, quæ voluntatem afficit atque movet ad volendum quidpiam aut averſandum. Practica denique hanc denotat ſcientiam; quæ facultatem locomotivam ad certos actus exequendos aut omittendos determinat.

DEFINITIO 2.

Actio Libera eſt tum cogitatio mentis tum motus corporis a nutu mentis dependens.

SCHOLION 1.

Cogitatio hinc accipitur in latiſſimo ſenſu, quem ei tribuit Dn. Descartes, & in quo ſignificat, quicquid nobis conſciis in nobis fit, quatenus eorum in nobis conſcientia eſt, atque ita non modo intelligere, velle, imaginari, ſed etiam ſentire idem eſt hic, quod cogitare. Vide Princ. Phil. *part. I. artic. 9.*

SCHOLION 2.

Sentimus equidem neceſſario, cum objectum ſenſibile organo ſenſorio rite conſtituto præſens objicitur; quatenus tamen organum ab objecto avertere poſſumus, v. gr. claudere oculos, ne ſpecies rei viſibilis illabatur, eatenus libere ſentire recte cenſemur per ipſam definitionem noſtram.

DEFINITIO 3.

Actio simplex est cogitatio mentis unica & motus corporis unicus.

DEFINITIO 4.

Actio composita est aggregatum actionum simplicium unum nomen ferens.

DEFINITIO 5.

Homo est substantia ex Mente & Corpore organico nutu divino inter se unitis composita.

SCHOLION

Per Mentem *intelligimus substantiam cogitantem, extensæ contradistinctam, h. e. intelligentem, volentem, sentientem juxta Schol. 1. Def. 2.*

DEFINITIO 6

Vita est principium agendi internum. Et *Vita* quidem *Mentis* est potentia cogitandi, h. e. cognoscendi & volendi. *Vita* vero *Corporis* est circulatio sanguinis.

DEFINITIO 7.

Sensus est perceptio motus ab objecto sensibili nervis, in organo sensorio latentibus, impressi atque inde ad cerebrum usque continuati.

DEFINITIO 8.

Imaginatio (*sumta pro actu*) est perceptio specierum res absentes referentium, in cerebro reproductarum, objecta menti tanquam sensibus externis præsentia sistens.

DEFINITIO 9.

Affectus est passio Mentis, qua percipit commotionem & perturbationem sanguinis spirituumque animalium, aut succi nervosi, extraordinariam, ab objectis externis præsentibus aut absentium imaginibus in cerebro recurrentibus excitatam, quatenus hæc naturæ humanæ vel prodesse, vel nocere, vel alio modo ad illam spectare possunt.

DEFINITIO 10.

Speciatim *Pœnitentia* est Affectus, quem excitat opinio mali a nobis perpetrati. *Ardor* vero in mente suboritur, quoties ea rem quampiam absentem sibi ut maxime convenientem & proficuam repræsentat.

SCHO-

SCHOLION.

Malum *hic dicitur non solum id, quod moraliter tale est & vindictam Legislatoris nobis conciliat; sed & quod physice tale, h.e. quod naturam humanam aut nostra fortunæ bona destruit, saltem in pejus ruere facit.*

DEFINITIO 11.

Voluptas est suavis ille Mentis sensus, quem objecta producunt, quæ naturæ humanæ convenire putamus.

COROLLARIUM 1.

Consequitur hinc, quod, quo majores certitudinis gradus Mens observat in judicando de objecti cum natura humana convenientia, eo majores intensitatis gradus in sensu isto, quem Voluntatem dicimus, reperiantur.

COROLLARIUM 2.

Cumque certitudo Mentis haud major concipi possit, quam cum per ipsam rerum conjunctarum evidentiam assensus extorquetur; evidens omnino existit, hoc in casu voluptatem esse maximam in suo genere.

SCHOLION.

Negligenda scilicet non est differentia graduum inde orta, quod Mens hæc objecta magis, ista minus naturæ humanæ convenire judicat.

COROLLARIUM 3.

Porro inde fluit, voluptatem esse constantem, quando judicium est constans & objectum in nostra potestate positum.

COROLLARIUM 4.

Cumque judicium evidenter verum sit immutabile, patet quoque voluptatem huic innixam esse immutabilem, modo objectum semper sit in nostra potestate.

COROLLARIUM 5.

Quin & illud hinc evidens est, quod, quas actiones Mens deprehendit certo facere ad naturæ suæ perfectionem & conservationem, quasque perfectionis suæ indices esse videt, eæ voluptatem excitent: quoniam naturæ humanæ convenire dicitur, quicquid ipsam perficit aut ejus perfectionem conservat vel indicat.

DEFINITIO 12.

Beatitudo est omnimoda & perfecta votorum suorum ex ratione ordinatorum fruitio.

SCHOLION.

Bene hinc *Descartes* part. 1. epist. 4. ad Elisabetham: Vivere beate; inquit, nihil aliud est, quam animo perfecte contento & tranquillo frui.

DEFINITIO 13.

Sapientia est potentia Mentis actionum suarum finem ultimum constituendi, & media certa & optima eidem consequendo adhibendi, finesque intermedios ita sibi invicem subordinandi, ut pulchre conspirent ad finem ultimum.

COROLLARIUM 1.

Ergo sapiens omnia agit ob finem ultimum.

COROLLARIUM 2.

Et insipientem se probat, cujus actiones posteriores destruunt priores, ita ut omnes ac singulæ pulchro nexu inter se minime cohæreant.

DEFINITIO 14.

Finis est effectus agentis rationalis, postquam animo eum concipit atque eundem producere decrevit. *Cumberland* de Legibus Naturæ proleg. §. 12.

COROLLARIUM.

Ergo *Finis Ultimus* est efficiendorum ultimum, in quod efficienda reliqua resolvuntur.

DEFINITIO 15.

Actiones effectum animo causantes vocamus *Media*.

COROLLARIUM 1.

Habent igitur se media ad finem ut causa efficiens ad effectum.

COROLLARIUM 2.

Adeoque debent certo producere posse effectum: causa enim efficiens se habet ad effectum ut producens ad productum vel producendum.

SCHOLION.

Media incerta non sunt vere talia; sed saltem apparenter talia.

DE-

DEFINITIO 16.

Medium Optimum sunt actiones, quæ via breviſſima effectum animo conceptum producunt.

DEFINITIO 17.

Inſtrumenta sunt res omnes, quibus agens juvatur in proſequendo fine.

DEFINITIO 18.

Circumſtantiæ sunt Reſpectus rei unius ad res alias circumſtantes.

DEFINITIO 19.

Conſultatio est actio intellectus, qua inquirit in finem optimum mediaque ad eum via breviſſima ducentia.

DEFINITIO 20.

Decretum est actio voluntatis, qua finem & media, quæ in dato quolibet caſu intellectus optima judicat, appetit, facultati locomotivæ executionem actionum ad finem obtinendum requiſitarum demandatura, quamprimum e re viſum fuerit intellectui.

DEFINITIO 21.

Impedimentum est actio objecti cujuscunque, inhibens actionem agentis rationalis, quæ per naturam ſuam effectum animo conceptum producere poterat.

COROLLARIUM.

Ergo ad tollendum impedimentum requiritur actio agentis rationalis, actioni (quam diximus) inhibenti e diametro oppoſita, eamque vel deſtruere, vel ſaltem eludere apta.

DEFINITIO 22.

Motivum est cogitatio virtutis, quam actiones habent ad agentem feliciorem reddendum, h. e. ad perficiendum Mentis & Corporis ſtatum.

SCHOLION.

Perficit autem ſtatum Mentis atque Corporis nonſolum, quod illum meliorem reddit; ſed & quod meliorem tuetur atque conſervat.

DEFINITIO 23.

Deus est Ens perfectiſſimum, h. e. Ens, quod in ſe continet omnem realitatem, affectionem aut conditionem, quæ aliquid in meliori ſtatu ponit, quam futurum eſſet, ſi eo deſtitueretur.

CO-

COROLLARIUM 1.

Cum igitur ſapientia, ſcientia, potentia infinita, independentia, potentia faciendi ex ſe dependere omnia in fieri, eſſe & operari, immutabilitas &c. ponant rem in ſtatu meliori, quam ea foret, ſi iis deſtitueretur; ſequitur hinc, Deum eſſe ſapientiſſimum, omniſcium, omnipotentem, independentem, omnia ex ſe dependere facientem, immutabilem &c.

COROLLARIUM 2.

Quoniam exiſtentia neceſſaria in ipſo Dei conceptu continetur, clarum eſt nonſolum quod exiſtat Deus, ſed & quod inter axiomata referenda ſit hæc propoſitio Deus exiſtit.

SCHOLION.

Corollarii ſecundi veritatem ſtatim capiet, qui noverit, quod concipere idem ſit ac res, de quarum natura nobis plene planeque conſtat, ex neceſſitate conjungere. Sic enim ſeipſa refellunt ſomnia de equis alatis & montibus aureis.

DEFINITIO 24.

Gloria Dei eſt judicium Dei de ſumma ſua perfectione & hinc enata excellentia præ rebus omnibus, quas extra ſe eſſe vult, ſummumque ſui ipſius æſtimium.

COROLLARIUM.

Unde apparet, hominem gloriam Dei promovere, ſi actus ipſius teſtentur, quod Deum pro ente perfectiſſimo & excellentiſſimo habeat, ipſumque rebus reliquis omnibus adeoque & ſibimetipſi præferat: Deum vero gloriam ſuam illuſtrare perfectiones ſuas per opera creaturis intelligentibus demonſtrando.

DEFINITIO 25.

Poena Divina eſt actus Numinis malum infligentis creaturæ rationali, quando actum edit gloriam ipſius non illuſtrantem, atque hac ratione vel maxime invitam eo adigentis, ut gloriam ipſius illuſtret.

SCHOLION.

Creatura rationalis, edens actum gloriam Numinis obſcurantem, ſe Deum non habere pro ente perfectiſſimo, ſummo rerum Moderatore ac Domino potentiſſimo teſtatur. Eam igitur cum malis affligit Deus, quæ evitare neſcit, hoc ipſo ſummam Numinis perfectionem ac abſoluti-

ſſi-

tissimum in res omnes Dominium vel maxime invita agnoscere cogitur.

DEFINITIO 26.

Dominium s. Proprietas est facultas habendi aliquid ut suum, atque hinc de eo disponendi ad libitum eoque utendi ad suos usus. *Absolutum* dicimus hoc dominium, quando jus habendi aliquid ut suum Proprietarius habet a se ipso.

DEFINITIO 27.

Regimen est facultas agentis rationalis voluntatem obligandi, h. e. præmiis & pœnis ad obedientiam movendi, eosque, qui reguntur, actu præmiandi & puniendi.

DEFINITIO 28.

Obligatio duplici modo spectari potest, vel quatenus est aliquid in obligante, vel quatenus aliquid importat in obligato. Priori modo obligatio est actus superioris, quo pœnam statuit transgressoribus legum harumque rationem reddit. Posteriori autem est metus, quem sanctio pœnalis, & reverentia erga superiorem, quam expositio rationis legum producit.

COROLLARIUM. 1.

Natura igitur humana, h. e. essentia & conditio hominis, item beneficia Dei atque hominum in tantum nos obligant, in quantum ea subeunt vicem rationis actuum edendorum.

COROLLARIUM 2.

Ad id, ut quis alterum obligare possit, requiritur & potestas, & potentia in ipsum: *potestas* enim rationem legum, *potentia* sanctionem pœnalem validam reddit.

SCHOLION.

Equidem Icti definiunt obligationem, quod sit juris vinculum, quo quis adstringitur ad dandum aliquid vel faciendum. Vide Hoppium *ad Instit. Lib. 3. tit. 14. pag. 617. Nec male, cum iis tantum sit animus Definitionem nominis tradere, sive, quid per vocem obligationis intelligatur, definire. Nos igitur ipsis non contradicimus, quoniam in nostris definitionibus non nomina rerum, sed res ipsas per nomina denotatas juxta methodum* Illustris Autoris *Medicinæ Mentis part. 2. sect. 2. p. 67. 117. exponimus.*

DEFINITIO 29.

Lex est jussus superioris inferiori promulgatus eumque obligans.

SCHOLION.

Naturalis *dicitur, quando hic jussus ex ipsa superioris inferiorisque natura necessario fluit.*

DEFINITIO 30.

Virtus est potentia actiones suas ad finem lege naturali præscriptum dirigendi.

DEFINITIO 31.

Bonum (naturale scilicet) est, quod rei naturam statumque conservat & perficit.

SCHOLION.

Non confundendum est cum bono morali, quod convenientiam cum lege dicit.

CAPUT II.
Axiomata Recenset.

SCHOLION

Axiomata *vocamus tales propositiones, quarum veritas illico nobis patescit, quando definitiones, quas ingrediuntur, exhibentur. Has enim axiomatum numerum constituere, primus deduxit* Illustris Autor *Medicinæ Mentis part. 2. sect. 2. p. 22.*

AXIOMA 1.

De quibus conquerimur, eorum nos pœnitet.

AXIOMA 2.

Quod quis sapienter agit, id bene agit.

AXIOMA 3.

Quæ optime agimus, eorum nos pœnitere nequit.

SCHOLION.

Quando quempiam poenitet actionis moraliter bonæ; tunc eam pyhsice malam fuisse opinatur.

AXIOMA 4.

Qui de actionibus suis conqueri non habet opus, is se ipsum accusare, sibique ipsi indignari nequit.

AXIOMA 5.

Qui aliquem obligat ad finem quendam, obligat etiam eum ad omnia media, quæ sunt in potestate agentis & ad prosequendum finem requiruntur.

AXIO-

AXIOMA 6.

Si totum conſervatur atque perficitur, conſervantur etiam & perficiuntur omnes ipſius partes.

AXIOMA 7.

Quicquid res in mundo exiſtentes agunt, id per naturam ipſis conceſſam agunt.

CAPUT III.

Obſervationes exhibet.

SCHOLION.

Obſervationes *dicimus res iſtas, de quarum veritate nobis a poſteriori conſtat, per experientiam nimirum ſenſualem intellectu dirigente inſtitutam.*

OBSERVATIO 1.

Multis opus habemus ad conſervandam vitam noſtram.

COROLLARIUM 1.

Quoniam res omnes extra Deum exiſtentes nutu ipſius potenti exiſtunt, generantur & conſervantur, per Coroll. 1. def. 23. manifeſtum eſt, ea omnia, quæ ad vitam commode degendam requiruntur, Deo deberi.

COROLLARIUM 2.

Deus igitur eſt Benefactor noſter.

COROLLARIUM 3.

Adeoque homo eſt beneficiarius Dei.

OBSERVATIO 2.

Natura hominis abſolvitur intellectu, voluntate & corpore per def. 5. Unde natura ipſius per veritatis cognitionem, boni cogniti & ad proſequendum ipſi propoſiti proſecutionem, nec non omne id, quod ad conſervandam corporis ſanitatem atque integritatem facit, perficitur.

OBSERVATIO 3.

Nemo ſolus ſibi ſufficit ad naturam ſuam perficiendum inque perfectione acquiſita conſervandum.

OBSERVATIO 4.

Quando objectum aliquod in ſenſus agit, & ideam rei præſentis producit, eo ipſo tempore rerum etiam, quæ ante aliquando

cum dicta idea simul excitatæ fuerunt, aut quampiam cum ea similitudinem habent, ideæ in imaginatione producuntur.

OBSERVATIO 5.

Perceptio idearum & sensuum & imaginationis mentem ad eas contemplandas & ad judicium de iis ferendum obligat.

OBSERVATIO 6.

Quo tempore multa in sensus, & consequenter sensus atque imaginatio multum in mentem agunt, aut passiones eandem perturbant; eo non potest esse satis attenta.

OBSERVATIO 7.

Sæpius iteratæ actionis in casu simili mens recordatur.

OBSERVATIO 8.

Quas ideas sæpissime conjungimus, nec facile unquam disjunctas menti nostræ repræsentamus; earum neutra in ea excitatur quin simul altera recurrat.

CAPUT IV.

Propositiones demonstrativas jactis antea fundamentis superstruit.

PROPOSITIO 1. PROBLEMA 1.

Actiones suas per omnem vitam sapienter dirigere.

RESOLUTIO.

I. Constitue aliquem finem ultimum totius vitæ tuæ.
II. Alios fines eidem ita subordina, ut sint media certa finis ultimi.
III. Denique nullum constitue finem, qui non sit alicujus medii ad finem ultimum ducentis medium.

Hæc ubi feceris, actiones tuas per omnem vitam sapienter diriges. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Qui finem totius vitæ suæ ultimum constituit, is aliquod efficiendorum ultimum constituit, juxta def. 14. Coroll. Qui fini ultimo fines alios tanquam media, & his denuo alios tanquam mediorum media &c. subordinat, is fines actionum suarum ita sibi invicem

vicem ſubordinat, ut pulchre conſpirent ad efficiendum ultimum, adeoque actiones ſuas per omnem vitam ſapienter dirigit, vi def. 13. Q. E. D.

PROPOSITIO 2. THEOREMA 1.

Qui actiones ſuas per omnem vitam ſapienter dirigit, is de iis haud unquam conqueri poteſt.

DEMONSTRATIO.

Quicquid ſapienter agimus, id optime agimus, per ax. 2. adeoque ejus nos pœnitere nequit, per ax. 3. atque hinc de eo nunquam conqueri poterimus, per ax. 1. Ergo cum actiones noſtras per omnem vitam ſapienter dirigimus, de iis haud unquam conqueri poterimus. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Cum, qui de actionibus ſuis conqueri non habet opus, ſeipſum accuſare, ſibique ipſi indignari nequeat, per ax. 4. multum facit ad evitandas animi ægritudines ſapiens actionum ſuarum per omnem vitam directio.

COROLLARIUM 2.

Ergo problema primum, quod actiones ſuas per omnem vitam ſapienter dirigere docet, eſt medium ἀπαδείας, juxta defin. 15.

PROPOSITIO 3. PROBLEMA 2.

Data qualibet occaſione agendi quidpiam, cauſe ſe gerere, i. e. ſufficienter ſibi circumſpicere, ne quicquam agamus, quod nos ſcopo noſtro ultimo excidere facit.

I. Summo ſtudio inquire, utrum ſive immediate, ſive mediate ſcopum ultimum adjuvet actio, cujus edendæ occaſio ſuppeditatur, an eidem adverſetur.

II. Quodſi certo cognoveris, eſſe ipſam finem ultimum promoturam, eandem ſuſcipito.

III. Sin deprehenderis, eſſe ipſam fini ultimo adverſam, cave ſuſcipias eam.

IV. Ubi denique certus fieri haud potes, utrum fini ultimo ſubſerviat, an eidem adverſetur, eam quoque omittito. Sic caute te geres. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Qui data qualibet agendi occaſione, ſummo ſtudio inquirit,

an actio, quam edere poteſt, fini ultimo certo ſubſerviat, nec eam patrat, niſi certo ſubſervire cognoverit evidenter, hunc quicquam agere, quod fine ultimo excidere facit, impoſſibile eſt. Itaque caute ſe gerit, per hypotheſin. Q. E. D.

SCHOLION.

Cum inferius edocuerimus, quodnam ſit efficiendorum ultimum; in promptu erit via actionis cujuslibet cum ipſo relationem detegendi.

PROPOSITIO 4. PROBLEMA 3.

Fine quæſito ſemper potiri.

RESOLUTIO.

I. Cogita omnes caſus poſſibiles, h. e. accurate perpendito, & quot modis circumſtantiæ variare, & quotnam agenti impedimenta objici queant.

II. Pro ſingulis caſibus inveni media tum finem quæſitum certo producentia, tum impedimenta non minus certo tollentia. Sic fine quæſito non poteris non potiri. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Cum enim fine quæſito ſemper potiri ſit efficiendum ſemper certo efficere, per def. 14. evidens autem ſit, per def. 15. & 21. ad hoc, ut efficiendum efficiatur, requiri media & impedimentorum declinationem; ultro ſequitur, quod, qui pro ſingulis rei efficiendæ caſibus in promptu habet media, tum finem quæſitum certo producentia, tum impedimenta certo tollentia, is fine quæſito non poſſit non potiri. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Circumſtantiis aut impedimentis in infinitum variantibus, agens rationale finitum problema præſens ad praxin transferre nequit, adeoque ignorat, utrum fine quæſito ſit potiturum, nec ne.

COROLLARIUM 2.

Quodſi agens demonſtrare (ſumto vocabulo in ſenſu Geometris familiari) non noverit, haud plures poſſe dari caſus poſſibiles iis, quos animo concepit, mediaque inventa eſſe media vere talia; denuo dubitare debet, utrum fine quæſito potiri liceat nec ne.

COROLLARIUM. 3.

Siquidem, maxime in rebus arduis, circumſtantiæ & impedimenta quam ſæpiſſime in infinitum variant; inſuper pauciſſimi tanta

ta sunt ingenii sagacitate prædiți, ut, istis in infinitum haud variantibus, omnes casus possibiles accurate distinguere ac pro singulis media vere talia invenire valeant: & nullus hominum semper, & pauciſſimi interdum certi existere queunt, se fine quæsito potituros, utut universalis omnium actionum humanarum impedimenti, mortis inquam, rationem non habeamus, per Coroll. 1. & 2. prop. h.

SCHOLION 1.

Problematis hujus usus est non spernendus. Utut enim illius praxis sit impossibilis; hinc tamen 1) rationem de agendis consultandi, 2) consultationum atque decretorum nostrorum nullitatem, 3) dubios rerum humanarum eventus discimus.

SCHOLION 2.

Atque hæc incertitudo in negotiis humanis expediendis obvia mentem, quæ ipsam cogitat, multa inquietudine necessario turbat. Ex quo percipere datur, quanta vel ex hoc capite Atheorum & impiorum hominum sit miseria, quorum illi Deum & providentiam divinam negantes, hi Numine benigno non utentes, cui incertos rerum suarum eventus confidenter committant, minime habent. Præsens igitur problema, accuratiori mentis trutina examinatum, cupidinem inquirendi in existentiam Numinis, rerum omnium Productoris & Conservatoris, h.e. Domini, Rectoris & Benefactoris, nec non in medium hujus fruendi gratia instillat: quod ultimum cum ignoret Philosophia, ad Theologiam revelatam nos manu ducit, cujus adeo Philosophia sana non facit non insigne æstimium.

PROPOSITIO 5. THEOREMA 2.

Nemo hominum in omnibus est sapiens.

DEMONSTRATIO.

Cum enim sapiens sit is, qui omnes suas actiones ita dirigere novit, ut pulchre conspirent ad finem ultimum, per def. 13. nullus autem hominum suas actiones quascunque ad finem ultimum semper certo dirigere queat, per Coroll. 3. prop. 4. quin nemo hominum in omnibus sit sapiens, dubitari haud potest. Q.E.D.

COROLLARIUM 1.

Stultum igitur est, sibi soli aut unicuidam alteri in omnibus confidere.

CO-

COROLLARIUM 2.

Atque hinc prudenter agit, qui in re ardua non ſuo aut unius viri judicio acquieſcit, ſed cum multis de ea deliberat, modo rei agendæ natura id ferat, h. e. modo ſit iſtiusmodi, ut plures ejus conſcios eſſe tutum habeatur.

PROPOSITIO 6. PROBLEMA 4.

Data qualibet agendi occaſione determinare, quot modis circumſtantiæ variare queant, aut oſtendere, quod determinatio non ſit in noſtra poteſtate.

RESOLUTIO.

I. Circumſpecte conſidera naturam rei agendæ, h. e. ſollicite conquire omnes actus eam conſtituentes.

II. Summo cum ſtudio diſpice, quoſnam ad agentem & res circa agentem poſitas reſpectus habeant actus memorati, eos cum iſtis conjungendo.

III. Quodſi jam demonſtrare poteris, plures non dari poſſe reſpectus, quot modis circumſtantiæ variare queant, determinaſti; ſin minus, hoc ipſo oſtendis, determinationem non eſſe in tua poteſtate. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Cum circumſtantiæ rei agendæ ſint reſpectus ejusdem ad agentem & res circa eum poſitas, per def. 18. res autem agenda plures iſtiusmodi reſpectus habere nequeat, quam habent actus ſimplices eam conſtituentes, per def. 4. evidens hoc ipſo exiſtit, quod, qui horum actuum ſimplicium reſpectus omnes recenſuit, omnem circumſtantiarum variationem determinaverit; qui vero huic recenſioni vires ſuas non ſufficere experitur, is dictam circumſtantiarum determinationem in ſua poteſtate haud eſſe poſitam deprehendat. Q. E. D.

SCHOLION.

Illud tamen hic negligendum minime, quod, ſi agens utatur inſtrumentis, horum quoque reſpectus ad res in actione circa ipſa poſitas colligendi veniant.

PROPOSITIO 7. PROBLEMA 5.

Invenire media ad finem ducentia.

RE-

RESOLUTIO ET DEMONSTRATIO.

Resolutio actu continetur in def. 15. Etenim cum finis sit effectus agentis rationalis, quatenus est in intentione, per def. 14. adeoque actio libera, plerumque composita, quam inde plures simplices constituunt, per def. 4. media ad finem ducentia invenit, qui singulorum actuum causas efficientes conquirit, per Coroll. 1. def. 15. Q. E. F. & D.

SCHOLION.

Actiones humanæ necessariam inter se connexionem habent, ita ut non possis earum nominare unam, ad quam non illico se habeat altera ut effectus ad causam. Hanc actionum cohæsionem qui didicit, media ad finem ducentia quin inveniat dubitari nequit. Ut vero necessariam actionum connexionem perdiscas, & quæ inter intellectum atque voluntatem datur cohæsio, & quæ inter mentem & corpus intercedit unio cognoscenda.

PROPOSITIO 8. PROBLEMA 6.

Detegere Impedimenta.

RESOLUTIO.

I. Media ad finem ducentia, qua fieri potest, circumspectione considera.

II. Vel ratione, vel experientia observa, quænam actiones vel tuæ, vel objectorum extra te positorum concurrere possint ad actiones mediorum vicem sustinentes.

III. Attende, num hæ actiones mediis repugnent. Quæ enim repugnant, impedimenta erunt. Atque ita impedimenta detegis. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Cum enim impedimenta sint actiones objecti cujusque media, ne effectum producant, quem per naturam suam producere poterant, inhibentes, vi def. 21. qui media, h. e. actus finem causantes, juxta def. 15. sufficienter recenset, atque vel ex eorum natura a priori, vel per experientiam a posteriori omnes actus iis contrarios colligit, impedimenta omnino detegit. Q. E. D.

SCHOLION 1.

Natura mediorum cognita & experientia in partes vocata, latere sane amplius nequit, quibusnam rebus agens in prosequendo scopo

ſuo adjuvetur, atque hac ratione inſtrumenta invenire licet, vi def. 17.

SCHOLION 2.

Cum ingens rerum notitia ad trium præcedentium problematum ſolutionem in caſibus ſingularibus a priori inſtituendam requiratur, cognitio nempe haud proletaria tum Corporis, tum Mentis, tum hujus cum iſto conjunctionis, tum denique corporum naturalium & artificialium; ad promptitudinem ea reſolvendi conciliandam multum profecto confertur, ubi ad aliorum hominum, non minus eorum, qui prudentiæ, quam qui imprudentiæ fama gaudent, actiones diligenter attendimus & quibuſnam mediis ad proſequendum finem ſuum utantur, numque eodem potiantur, an vero excidant, ſedulo obſervamus. Quodſi fine fuerint potiti, aut eodem exciderint, ſcrutanda nobis eſt mediorum cum fine connexio, & ubi bona reperitur, impedimentorum oblatio eorumque tentata feliciter ſublatio. Sic enim ex alieno caſu diſces, quomodo unumquodque agendum. Elucet hinc lectionis hiſtoricæ utilitas, ſi ſcilicet quæ recenſentur facta ſuis cum circumſtantiis conferuntur.

PROPOSITIO 9. THEOREMA 3.

Deus in homines & res reliquas omnes dominium habet abſolutum.

DEMONSTRATIO.

Cum Deus omnia ex ſe ſolus produxerit, juſſu ipſius potenti omnia exiſtant & conſerventur, vi Coroll. 1. def. 23. omnia quoque abſolute ipſius ſunt, atque hinc ad libitum de iis diſponere poteſt, & idcirco iisdem uti ad ſuos, ſi qui dari poſſunt, uſus. Habet ergo dominium in omnia, idque abſolutum, per def. 26. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Ergo homo non eſt ſuus, ſed mancipium Dei.

COROLLARIUM 2.

Hac de cauſa vivere ipſi non licet ad libitum, ſed vivendum eſt ad nutum Dei.

PROPOSITIO 10. THEOREMA 4.

Deus eſt hominum Rector.

DEMONSTRATIO.

Etenim per prop. præced. de homine ad libitum diſponere poteſt.

poteſt. Quamobrem ipſum ad finem quendam proſequendum obligare vult. Cum ſit potentiſſimus, vi Coroll. 1. def. 23. eundem & præmiari poteſt, ſi debitum finem proſequitur, & punire, ſi non proſequitur. Regimen igitur in homines obtinet, per def. 27. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Homo eſt ſubditus Dei.

COROLLARIUM 2.

Debet adeo Numini obedientiam.

PROPOSITIO 11. THEOREMA 5.

Finis, quem Deus ſibi conſtituere poteſt, ultimus eſt Gloria ipſius.

DEMONSTRATIO.

I. Antequam extra Deum quicquam exiſteret, haud aliud agere poterat, quam ſummam intueri perfectionem ſuam, atque ob eam ſe maximi æſtimare. Quamobrem hoc ſui æſtimium erat finis ipſius ultimus, per Coroll. def. 14. atque hinc Gloria ejus erat finis ipſius ultimus, per def. 24.

II. Poſtquam res extra ſe eſſe vult, hoc ipſo, quod iis largitur eſſe, conſervari & operari, ſummam perfectionem ſuam, nempe omniſcientiam, ſapientiam, potentiam, bonitatem &c. agnoſcit, adeoque ſe rebus omnibus excellere judicat, ob hoc judicium iis ſe præfert. Unde denuo ultimum, quod Deus efficit adeoque & efficere intendit, eſt Gloria ipſius, juxta Def. 24. Quoniam igitur finis Dei ultimus neceſſario eſt Gloria ipſius, ſive res extra ipſum exiſtant, vi num. 1. ſive minus, vi num. 2. finem ultimum Dei unquam alium eſſe poſſe a gloria ipſius, concipi haud poteſt. Q. E. D.

PROPOSITIO 12. THEOREMA 6.

Deus omnia agit gloriæ ſuæ illuſtrandæ cauſa.

DEMONSTRATIO.

Eſt enim ſapientiſſimus, per Coroll. 1. def. 23. itaque omnia agit ob actionum ſuarum finem ultimum, vi Coroll. 1. def. 13. adeoque ob gloriam ſuam, vi prop. 11. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Ergo & mundum inque eo hominem creavit, conservat atque gubernat illustrandæ gloriæ suæ causa.

COROLLARIUM 2.

Quoniam autem suas demonstrando perfectiones gloriam suam illustrat, vi Coroll. def. 24. ut creatura eas cognoscendi capax ipsas agnoscat, atque hinc Deum pro ente perfectissimo habeat, omnibusque rebus reliquis anteferat, h. e. gloriam Divinam promoveat, vi Coroll. cit. necessario vult.

COROLLARIUM 3.

Itaque vult etiam, ut homo gloriam divinam promoveat, est enim & ipse capax cognitionis perfectionum divinarum; per def. 5. ejusque schol.

COROLLARIUM 4.

Immo Gloriæ divinæ illustratio est finis ultimus hominis, propterea quod ejus gratia producitur & conservatur, per Coroll. 1. prop. præs.

PROPOSITIO 13. THEOREMA 7.

Quodsi creatura intelligens & volens gloriam divinam promovere negligit, Deus eandem punire debet.

DEMONSTRATIO.

Quoniam Deus est sapientissimus, juxta Coroll. 1. def. 23. media vere talia eaque optima fini, quem sibi constituit, ultimo consequendo adhibet, vi def. 13. Quoniam idem potentissimus, per Coroll. cit. impedimenta, quæ omniscius novit, omnia tollere potest, per Coroll. def. 21. Ita impossibile est, Deum scopo suo excidere, vi prop. 4. Excideret vero nisi creaturam intelligentem ac volentem invitam adigeret ad gloriam divinam illustrandam, quando actus edit eam obscurantes, per Coroll. 2. prop. 12. Eam igitur punire debet, per def. 25. & ejus Schol. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Deus igitur est per essentiam gloriæ suæ tenacissimus contemtæque certissimus vindex.

COROL-

COROLLARIUM 2.

Cum etiam in numero creaturarum intelligentium & volentium habeatur homo, juxta def. 5. & ejus schol. ipsum Deus puniat necesse est, quando gloriam divinam illustrare negligit.

COROLLARIUM 3.

Ergo Deus hominem obligat ad edendos actus gloriam ipsius illustrantes, per def. 28. adeoque & ad non edendos contrarios.

SCHOLION.

Iam patet, ope solius rationis ex Dei hominisque natura deduci posse, quod ille hunc obliget ad edendos actus gloriam divinam illustrantes. Unde fluit

COROLLARIUM 4.

Propositionem hanc: Illustra Gloriam Numinis; esse legem homini a Deo datam, per def. 29. eamque naturalem, per Schol. def. cit.

PROPOSITIO 14. THEOREMA 8.

Homo debet tum Mentem seu intellectum & voluntatem, tum corpus, quantum fieri potest, perficere.

DEMONSTRATIO.

Deus hominem obligat ad edendos actus gloriam ipsius illustrantes & ad non edendos contrarios per Coroll. 3. prop. 13. Ergo intellectum ad cognitionem Numinis actuumque gloriam ipsius illustrantium, h. e. ad cognitionem veritatis, & voluntatem ad volendum, corpus denique ad exequendum istiusmodi actus obligat. Sed ut corpus tales actus exequatur, ipsius conservari debet sanitas & integritas. Itaque ad conservandam corporis sanitatem & integritatem homo quoque obligatur, juxta ax. 5. Quamobrem ad ea omnia, quæ naturam ipsius perficiunt, obligatur, per observ. 2. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Cum igitur Deus velit, ut naturam suam perficiat homo, vi prop. præs. omnem actum, quo natura humana citra Dei nutum deterioratur, esse actum gloriam divinam obscurantem clare hinc consequitur; qui enim ipsum edit, testatur, se Deum pro Domino & Rectore summo non habere, juxta Coroll. 2. prop. 9. & Coroll. 2.

prop. 10. Atque hinc actus istiusmodi fini hominis ultimo adversatur per Coroll. 4. prop. 12.

COROLLARIUM 2.

Quoniam ex Demonstratione prop. præs. patet, nos ad perficiendam naturam nostram ideo obligari, quia ad illustrationem gloriæ divinæ obligamur; conservationem & melioratione naturæ nostræ illustrationi gloriæ divinæ, tanquam medium fini, subordinandam esse, satis evidenter cognoscimus.

COROLLARIUM 3.

Unde porro consequitur, eandem non posse constitui finem hominis ultimum.

PROPOSITIO 15. THEOREMA 9.

Homo quærere debet perfectionem naturæ suæ bonum publicum promovendo, i. e. pro virili tales actus edendo, quæ ad naturam & statum reliquorum hominum juxta ipsum viventium perficiendum faciunt.

DEMONSTRATIO.

Cum nemo ad hoc negotium solus sibi sufficiat, ut scilicet naturam & conditionem suam perficiat, sed unusquisque plurimorum opera indigeat, vi observ. 3. palam est, quod, si unusquisque tantum ad conservationem & perfectionem hominum juxta se viventium conferat, quantum potest, singulos iri conservatum, atque perfectum, vi ax. 6. Adeoque omnes homines perfectionem naturæ suæ obtinere possunt bonum publicum promovendo. Debet autem quilibet naturæ suæ perfectionem quærere, per prop. præced. Ergo, cum alia via ad eandem pertingere non possit, quærere ipsam debet bonum publicum promovendo, per ax. 5. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Quoniam per prop. nostram homo perfectionem suam bonum publicum promovendo quærere debet; consequitur hinc, bonum privatum immediate non posse intendi,

COROLLARIUM 2.

Nequit etiam bonum privatum absolute intendi, quoniam propter Gloriam Dei intendi debet, per Corollar. 2. prop. 14. & propter bonum publicum, quod quivis pro virili per prop. præs. promovere tenetur, promovere autem sine debita sui ipsius perfectione & conservatione nequit.

COROL-

COROLLARIUM 3.

Cum igitur Deus, tanquam Rector hujus universi, per prop. 10. velit, ut quilibet, quantum potest, ad bonum publicum conferat, juxta prop. præs. consequitur hinc, esse actum gloriam Numinis obscurantem, quicunque bono publico adversatur.

COROLLARIUM 4.

Obligamur ergo ad edendos actus publico bono deservientes & iis contrarios omittendos, quia obligamur ad actus gloriam Dei illustrantes edendos iisque contrarios omittendos, juxta Coroll. 3. prop. 13.

COROLLARIUM 5.

Inde porro fluit, bonum publicum gloriæ divinæ subordinandum esse, adeoque

COROLLARIUM 6.

Non posse constitui finem actionum humanarum ultimum.

COROLLARIUM 7.

Quia propositio: *Illustra Gloriam Dei*, est lex naturalis, per prop. 13. Coroll. 4. hæc vero altera: *Deserui bono publico eique deserviendo quære perfectionem naturæ tuæ*, per Coroll. 4. prop. præs. in ista continetur; eandem quoque legem naturalem esse oportet.

PROPOSITIO 16. PROBLEMA 7.

Naturæ humanæ convenienter, h. e. vitam hominis vivere.

RESOLUTIO.

I. Constitue finem ultimum totius vitæ tuæ illustrationem gloriæ Dei.

II. Ei subordina bonum publicum, huicque bonum privatum.

III. Denique nullum tibi constitue finem, qui non habeat rationem medii ad finem ultimum sive immediate, sive mediate, per bonum scilicet publicum atque privatum. Sic sane naturæ tuæ convenienter vives. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Duo hic demonstranda sunt, 1) hominem obligari ad ea, quæ in resolutione problematis continentur, 2) ea observando naturæ suæ convenienter vivere.

I. Quoniam homo est subditus Dei, per Coroll. 1. prop. 10. atque adeo eidem obedientiam debet, per Coroll. 2. prop. cit. Deus insuper

insuper ipsum ad illustrandam gloriam divinam obliget, per Coroll. 3. prop. 13. hancque illustrationem finem ipsius ultimum esse velit, per Coroll. 4. prop. 12. sequitur hinc, hominem debere hunc finem totius vitæ ultimum constituere. Atqui propter hunc ipsum finem obligatur etiam ad quærendum bonum privatum, per prop. 14. deserviendo bono publico, per prop. 15. Ergo tum bonum privatum, per Coroll. 2. prop. 14. tum publicum, per Coroll. 5. prop. 15. gloriæ Dei, immo & per Coroll. 2. prop. cit. publico privatum subordinare debet. Quoniam vero obligatur porro ad actus gloriæ divinæ, bono publico privatoque & boni publici atque privati ad gloriam divinam respectui contrarios omittendos, per Coroll. 3. prop. 13. Coroll. 1. prop. 14. Coroll 4. prop. 15. liquido constat, nullum posse constitui finem, qui rationem medii ad finem ultimum sive immediate, sive mediate, per bonum scilicet publicum atque privatum, non habeat. Unde jam liquet, esse homini ita vivendum, prout resolutio problematis præcipit. Quod erat unum.

II. Enimvero hæc vivendi ratio ex relatione, quam vi naturæ suæ ad Deum habet homo, deducta fuit, per Coroll. 1. & 2. prop. 9. itemque Coroll. 1. & 2. prop. 10. &c. Ergo ita vivens naturæ suæ convenienter vivit. Quod erat alterum.

COROLLARIUM 1.

Homo igitur non sibi vivit, sed Deo, & propter Deum publico, h. e. vim suam aliquid cognoscendi atque volendi, omnesque corporis motus nutui mentis subjectos non honori, non divitiis, non voluptati suæ, sed gloriæ divinæ & publico bono impendere debet, per def. 6.

COROLLARIUM 2.

Habemus igitur nunc regulam, juxta quam actionis humanæ honestas dijudicari potest. Ea scilicet honesta est, cujus effectus necessarius illustratio gloriæ divinæ & bonum publicum cum relatione ad gloriam divinam spectatum, tandemque conservatio & melioratio naturæ nostræ cum relatione ad utrumque considerata. Inhonesta contra, quæ 1) illustrationi gloriæ divinæ, bono publico atque perfectioni & meliorationi naturæ nostræ adversatur; 2) bono publico deservit tanquam fini ultimo; 3) bonum privatum unice

&

& absolute, citra relationem ad gloriam Numinis aut bonum publicum respicit.

COROLLARIUM 3.

Imo habemus etiam regulam gradus honestatis investigandi: Quo magis enim actio gloriam Dei illustrat, bonum publicum auget, naturam edentis perficit, eo majorem laudem meretur.

SCHOLION 1.

Tentemus applicationem regulæ in aliquo exemplo, e. gr. Vera erit eruditio, quæ intellectum & voluntatem mentis motusque corporis voluntati subjectos ita perficit, ut eruditus prompte ac expedite gloriam divinam illustret bonumque publicum promoveat. Contra falsi nominis est eruditio, quæ cum hac perfectione non conjungitur. Quamobrem Dn. Descartes part. 1. epist. 7. ad Elisabetham, Princ. Palat. cognitionem veritatis commendaturus laudat 1) cognitionem Dei, 2) mentis nostræ ac corporis nostri; 3) huius universi, 4) societatis humanæ nostri æque ad ipsam relationis, tanquam partis ad totum, 5) veri bonorum valoris & 6) morum in locis, ubi degimus suetorum. Atque hinc Cicero de Philosophia veriori sane judicat Lib. 1. de Legibus: Philosophia nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. Hæc enim una nos cum cæteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmetipsos nosceremus. Cum quibus verbis homo Christianus opportune jungit ista apud Backerum in Methodo Theolog. Christ. part. 1. c. 4. §. 141. fol. 152. Sapientiæ pars minima non est, res maximas & maxime necessarias prima & maxima diligentia studendas eligere, & potius plurima Philosophica ignorare, quam vel unicum fidei articulum, & omnibus naturalibus ita solum studere, ut Dei gloriæ & saluti animarum & bono publico, ut media vere adaptata, ea subserviant; & omnia sanctificentur, ad sanctitatem & salutem nostram promovendum.

SCHOLION 2.

Ex regula allata in Coroll. 2. omnia hominis officia tum erga Deum, tum erga seipsum, tum denique erga homines alios, itemque ipsius officia in certa quadam societate spectati deduci possent, nisi hæc deductio Philosophiæ practicæ universalis limites transcenderet, vi def. 1.

COROLLARIUM 4.

Hinc quoque distinguere datur inter bona necessario expetenda, & non necessario expetenda: itemque inter mala necessario fugienda, & non necessario fugienda. Bona scilicet primi generis sunt, sine quibus finis ultimus non attingitur: Mala vero istis opposita, quæ illum intervertunt; contra bona secundi generis sunt, sine quibus finem ultimum assequi licet: Mala vero his opposita, quæ, quo minus ipsum consequaris, non impediunt.

COROLLARIM 5.

Cum igitur sapientia Mentem instruat, quomodo actiones omnes ad finem ultimum certo assequendum dirigendæ per def. 13. cognitio autem veritatis eam inesse suo, facultas veritatem per proprias meditationes detegendi in excellentiori gradu ponat; Sapientia cum veritatis cognitione & facultate ipsam inveniendi inter bona primi generis referri debet: adeoque ignorantia est malum primi generis.

COROLLARIUM 6.

Quoniam porro virtutis est actu consectari finem ultimum per def. 30. nec ea ex numero bonorum primi generis excludenda venit. Quo ipso simul patet, quod vitium sit malum primi generis.

COROLLARIUM 7.

Denique beatitudo quoque & voluptas animi locum sibi vindicat inter bona primi generis. Nam cum sine virtute finem ultimum non assequamur per def. 30. beatitudo autem & voluptas animi a virtute separari nequeat, per prop. 19. & 20. nec a consecutione finis ultimi separari potest, adeoque bonum primi generis est, per Coroll. 4. prop. præf. & inquietus animi status malum primi generis.

COROLLARIUM 8.

Contra quia sine divitiis, honoribus & delectationibus sensualibus, item sine pulchritudine, robore & sanitate, scopo ultimo potiri licet; sequitur hæc bona tantum esse secundi generis, per Coroll. 4. prop. præf. Unde porro consequitur, paupertatem, statum obscurum, carentiam delectationum sensualium esse mala secundi generis.

COROL-

COROLLARIUM 9.

Siquidem Sapientia & Virtus, atque ex his exoriens Beatitudo animique voluptas ſunt bona Mentis; Pulchritudo, Robur, Sanitas & delectationes ſenſuales bona Corporis; Divitiæ & honor bona fortunæ; palam eſt ex Coroll. præcedd. quod bona primi generis in mentem ſolam cadant.

COROLLARIUM 10.

Cum bona Mentis ſola ſint neceſſario expetenda, hæc quoque reliquis omnibus præferenda, & præ iſtis appetenda per prop. 16.

PROPOSITIO 17. PROBLEMA 8.

Bonis ſecundi generis rite uti.

RESOLUTIO.

Fac ea inſtrumenta bonorum primi generis. Sic factum eſt, quod petebatur.

DEMONSTRATIO.

Etenim quia omnia noſtra molimina ad ſcopum ultimum tendere debent, juxta prop. 16. uſus quoque bonorum ſecundi generis eundem intendat neceſſe eſt. Ism vero bona primi generis tendunt ad finem ultimum, per Coroll. 4. prop. cit. & inſtrumenta ipſorum tendentiam ad eundem adjuvant, per def. 17. Ergo ſi bona ſecundi generis bonorum primi generis inſtrumenta fiant, uſus ipſorum finem hominis ultimum intendit. Q. E. D.

PROPOSITIO 18. PROBLEMA 9.

Invenire cohæſionem actionis edendæ cum fine ultimo, i. e. an ea quicquam conferat ad proſequendum finem ultimum, an vero eidem adverſetur, detegere.

RESOLUTIO ET DEMONSTRATIO.

Quoniam per Coroll. 2. prop. 16. honeſtas actionis ex connexione ipſius cum fine ultimo judicatur; clarum eſt, quod problemati huic ſatisfiat per nudam corollarii citati applicationem. Q. E. I. & D.

PROPOSITIO 19. THEOREMA 10.

Elevare mentis aciem ad hunc gradum, ut objecti appetibilis cujuscunque in vita obvii cum fine ultimo cohæſionem perſpiciat.

RESOLUTIO.

I. Divide res omnes in certa genera & ſubdividendo perge, donec nova diviſio in res ſingulares inſtitueretur.

II. Divide fines ultimo similiter, illustrationi scilicet divinæ, subordinatos, nempe bonum publicum & privatum in sua genera.

III. Ex natura rerum in sua genera distributarum deduc ipsarum respectum vel ad illustrationem gloriæ divinæ, vel ad genus aliquod boni publici privatique.

IV. Iudicia hæc universalia juxta respectum rerum ad illustrationem gloriæ divinæ & bonum publicum privatumque formata memoriæ tuæ firmiter infige. Et ad gradum desideratum mentis aciem elevabis. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Objecti cujuscunque obvii cum fine ultimo cohæsionem perspecturus nosse debet, quid unumquodque ad illustrationem gloriæ divinæ, huicque necessario subordinatum bonum publicum privatumque conferat, juxta Coroll. 2. prop. 16. nosse igitur quoque debet tum genera rerum omnium, tum genera boni publici privatique, & cum res, qnicquid agunt, per naturam ipsis concessam agant, vi ax. 7. singulorum generum naturam. Ea vero qui tenet; judicia de rebus omnibus universalia formare potest: quæ crebra meditatione memoriæ infixa ad conspectum objectorum sub hoc isto ve genere comprehensorum menti repræsentantur, juxta observ. 7. Mentis ergo acies ad hunc gradum elevata, ut objecti cujuscunque obvii cum fine ultimo cohæsionem perspiciat. Q. E. D.

SCHOLION 1.

Praxis equidem hujus problematis non solum difficillima, sed, quia de objecto quocunque obvio intelligitur, plane impossibilis, cum non unius hominis, nec seculi unius labor rerum omnium naturam explorare, adeoque mens circa multa necessario cæcutiat; in multis tamen succedit, nostro imprimis tempore, quo studium Mathematicum & Physicum ad insigne fastigium videas evectum.

SCHOLION 2.

Iudicia ista universalia actu format Philosophia Practica specialis: unde a foro nostro hæc opera exulat.

PROPOSITIO 20. THEOREMA 10.

Deo & propter Deum publico vitam consecrans vitam vivit beatam.

DE-

DEMONSTRATIO.

Qui enim Deo & propter Deum publico vivere desiderat, nec suum expetit commodum, nisi quatenus id fines dicti priores requirunt, is vota sua ex ratione ordinat, per prop. 16. Actu igitur hanc vivendi rationem iniens, votis suis ex ratione ordinatis fruitur, adeoque vitam vivit beatam, per def. 12. Q.E.D.

SCHOLION.

Imo vitam suam Deo & propter Deum publico consecrans non potest non summa animi tranquillitate frui, adeoque beate vivere, per schol. def. 12. Abest enim omnis metus Numinis vindicis, per Coroll. 1. prop. 13. & sensus poenæ, per Coroll. 2. prop. cit. malevolentiæ item aliorum promeritæ. Adest sensus tenerrimus amoris, quo erga Deum, erga Publicum, erga se denique ipsum naturæ suæ convenienter flagrat, qui voluptatem Mentis constituit juxta def. 11. adest etiam gaudium, quod ex aliorum benevolentia percipit. Contra hic sensus abest & metus cum sensu poenæ & malevolentiæ aliorum promeritæ adest, ubi quis vel ad publicum, vel ad seipsum omnes suas refert actiones: adeoque alterutrum horum finium sibi constituens ultimum vitam vivere nequit beatam.

PROPOSITIO 21. THEOREMA 11.

Deo & propter Deum publico ex scientia quæ vivitur vita, summa cum voluptate semper conjungitur.

DEMONSTRATIO.

Qui enim ex scientia Deo & propter Deum publico vivit, is omnino scit, hanc vivendi rationem naturæ humanæ convenire, per prop. 16. adeoque voluptatem ex ea percipit, per def. 11. Et cum per ipsam Dei hominumque naturam evidens sit, convenire illam omnium maxime naturæ humanæ, per schol. prop. 13. consequitur hinc, voluptatem hanc esse maximam, per Coroll. 2. def. 11. Quoniam tandem propter immutabilem Dei hominisque naturam hæc ipsa quoque vivendi ratio immutabilis, & ita simul judicium de ipsius cum natura hominis convenientia summa immutabile, quæ ex ista percipitur voluptas constantissima erit & immutabilis, per Corollar. 3. & 4 def. cit. Deo igitur & propter Deum publico ex scientia &c. Q. E. D.

SCHOLION 1.

Quoniam experimur, per virium noſtrarum imbecillitatem haud ſemper nobis concedi actus honeſtos edere, voluptatem noſtram per tædium ex actibus inhoneſtis proveniens non nunquam turbari, facile patet. Unde ſimul diſcimus, quod, quo magis actus inhoneſtos devitamus, eo fortius voluptatis, qua mens delectatur, conſtantiam tueamur.

SCHOLION 2.

Illud quoque negligi non debet, quod noſtra multum intendatur voluptas, dum actus gloriam Dei illuſtrantes & bono publico deſervientes perfectionis noſtræ indices eſſe ac cauſas experimur, vi Coroll. 5. def. 11. Quæ ipſa cogitatio motivi etiam rationem habet, vi def. 22.

PROPOSITIO 22. PROBLEMA 11.

Excitare in ſe ardorem vehementem nil quicquam faciendi, niſi quod fini totius vitæ tuæ ultimo inſervire certo cognoverimus.

RESOLUTIO.

I. Cognoſce obligationem tuam hujusque obligationis fundamentum, juxta prop. 9. & ſeqq.

II. Convince mentem tuam, quod in obligationis hujus præſtatione vita naturæ humanæ conveniens juxtimque vera beatitudo & conſtans ſummaque voluptas unice contineatur, per prop. 16. 19. & 20. Sic enim ardor vehemens nil quicquam faciendi, quod fini ultimo adverſetur, in mente ſuborietur. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Cum ardor ſuboriatur, quoties Mens rem quampiam abſentem ſibi ut maximæ convenientem & proficuam repræſentat, juxta def. 10. evidens omnino eſt, ad vehementem honeſte vivendi ardorem certo ſuſcitandum ſufficere, ut mens convincatur, quod vita honeſta naturæ humanæ omnium maxime conveniat, quodque in eadem vera beatitudo & conſtans ſummaque voluptas unice contineatur. Q. E. D.

SCHOLION.

Prudentiam requirit praxis, cujus vero regulas expendit Philoſophia Practica Specialis. Nimirum applicationem præceptorum univerſalium ad caſus ſingulares horum variatio variat. Unde Ethicus atque Politicus officio ſuo ſatisfacturus id agere debet, ut Philoſophiam Practicam Univerſalem ad caſus ſpecialiores applicaturus varias formet

met hypotheſes tot quidem numero, quot circumſtantiarum variatio admittit, ſinguliſque hypotheſibus ſingula deſtinet problemata: quemadmodum id Mathematicis ſolenne eſt, quotiescunque in praxi verſantur.

PROPOSITIO 23. PROBLEMA 12.

Eam acquirere mentis perfectionem, ut ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis de ipſius cum fine ultimo connexione cogitet.

RESOLUTIO.

I. Excita in te ardorem nil quicquam faciendi, niſi quod ſcopo totius vitæ ultimo inſervire certo cognoveris, juxta prop. præced.

II. Singulis diebus expergefactus mane actionum per diem neceſſario edendarum numerum inito, ac quænam fortuito has comitari poſſint, diſquirito.

III. Harum actionum cum fine ultimo connexionem detegere allabora juxta prop. 18.

IV. Quamcunque actionem editam denuo juxta regulam honeſtatis in Coroll. 2. prop. 16. traditam examina.

V. Cubitum iturus actionum per diem commiſſarum recordare, & quid earum ope in proſequendo fine ultimo profeceris, perpende.

VI. Hunc laborem non interrupta ſerie continua. Sic enim commemoratam in problemate perfectionem acquires. Q.E.F.

DEMONSTRATIO.

Qui ardore vehementi nil quicquam faciendi, niſi quod fini ultimo convenire certo noverit, flagrat; is ſane ad conſpectum objecti cujuscunque de ipſius cum fine ultimo connexione cogitare optabit, atque ſibi proponet. Ut vero actu cogitet, laborem hunc quam ſæpiſſime iteret opus eſt, vi obſervat. 7. Quoniam igitur cogitatio hæc ſæpiſſime iteratur, ſi mentem ſubit hominis non ſurgentis ſolum & cubitum euntis, ſed etiam actionem patrantis & a patrata ceſſantis per ſingula fere diei momenta; hoc ipſo evidenter admodum aſſequimur, quod laborem huncce per dies longe plurimos continuans hac tandem mentis perfectione ſit protiturus, ut nullum conſpiciat objectum, quin ipſius connexionem cum fine ultimo inveſtigandam cogitet. Q. E. D.

SCHO-

SCHOLION.

Ut per diem integrum recorderis ad conſpectum objecti cujuscunque de ipſius cum fine ultimo connexione cogitandum eſſe, antequam appetatur; verba hæc, quid agis? parietibus conclavis tui ſingulis adſcribito, donec facta fuerint tam familiaria, ut ſponte ſuccurrant. Quarum enim rerum ideas ſæpiſſime conjungimus, earum neutra in mente excitatur, quin ſimul recurrat altera cum ipſa ſæpius conjuncta, juxta obſervat. 8. Hanc ſane philoſophiam capiebat naſcens Eccleſia, quæ per omnem diem ſigno crucis ſæpiſſime utebatur, ne obliviſceretur illius Pauli: Chriſto in Crucem acto vivendum eſſe, 2 Cor. V, 13. Cave im erſten Chriſtenthum part. 1. c. 9. pag. 275-277.

PROPOSITIO 24. THEOREMA 12.

Impedimentum, quo minus naturæ noſtræ convenienter vivamus, eſt actio ſenſuum, idearum imaginationis & paſſionum mentis ſeu affectuum.

DEMONSTRATIO.

Cum impedimentum ſit actio rei cujuscunque actionem agentis rationalis inhibens, vi def. 21. demonſtrandum nobis eſt, actionem ſenſuum, idearum imaginationis & affectuum actus naturæ noſtræ congruos inhibere. Quod facimus in hunc modum:

Quando objectum aliquod in ſenſus agit, motusque impreſſio ad cerebrum uſque continuatur, eo ipſo quoque in imaginatione ſurgunt ideæ rerum abſentium, per obſerv. 4. Ideas ſenſuum & imaginationis, cum mens percipit, eas contemplatur & de iis judicium format, per obſerv. 5. Quodſi jam res, cujus ſunt ideæ, ipſi videantur naturæ humanæ vel prodeſſe, vel nocere, vel alio modo ad illam ſpectare, affectus in corpore excitantur, per def. 9. Cum igitur tum perceptio idearum ſenſus & imaginationis, tum affectus attentionem mentis impediant, vi obſerv. 6. ut regulam honeſtatis meminiſſe nequeat, aut ſi ejus recordetur, eo ipſo efficiant, ut vel in applicatione aberret, vel ad alias cogitationes ſtatim avocetur; hoc ipſo clarum exiſtit, quod hominem impediant, quos minus congruos naturæ ſuæ actus edat. Q. E. D.

COROLLARIUM 1.

Cum ſenſus, imaginatio & affectus impediant, quo minus quis actionem juxta regulam honeſtatis dijudicet; multo magis eum, qui regu-

regulam honestatis prorsus ignorat, ad perversa judicia & actus his conformes seducent.

COROLLARIUM 2.

Quoniam vero ex superioribus abunde constat, regulam honesti ac inhonesti ex ipsa Dei hominisque natura deduci debere; consequitur hinc, quod vitæ honestæ nil magis adversetur, quam ignorantia naturæ divinæ atque humanæ, quæque inter utramque intercedunt, relationum.

PROPOSITIO 25. THEOREMA 13.

Tollitur impedimentum vitæ honestæ per imperium in sensus, imaginationem & affectus, h. e. potentiam actioni sensuum, imaginationis & affectuum resistendi.

DEMONSTRATIO.

Quoniam sensus, imaginatio atque affectus vitam honestam actione sua in mentem impediant, per prop. præced. evidens est, quod, qui resistit actioni sensuum, imaginationis atque effectuum, is impedimentum vitæ honestæ tollat, per Coroll. def. 21. Ergo potentia memoratæ actioni resistendi removet impedimentum vitæ honestæ. Q. E. D.

PROPOSITIO 26. PROBLEMA 11.

Obtinere imperium in sensus & imaginationem.

RESOLUTIO.

I. Excita in te ardorem vehementem naturæ tuæ convenienter vivendi, juxta prop. 22.

II. Ad hunc acuminis gradum eleva mentis aciem, ut objecti cujuscunque obvii cohæsionem cum fine ultimo perspicias, juxta prop. 19.

III. Adsuesce ad conspectum objecti cujuscunque appetibilis de ipsius connexione cum fine ultimo constare, juxta prop. 23. Atque tum sensibus & imaginationi imperabis. Q. E. F.

DEMONSTRATIO.

Quoniam sensus & imaginatio duplici modo mentem impediunt, quo minus honesta velit, eam sc. 1) ab attentione avocando, ne regulam honestatis cogitare & ad præsens negotium rite applicare queat; 2) ad falsa judicia seducendo, juxta demonstrationem prop. 24. & ej. Coroll. 1. demonstrandum nobis est, regulas in

reſolutione præſcriptas mentis attentionem conſervare, nec minus eandem adverſus falſa judicia munire.

Cum igitur, qui vehementi honeſte vivendi ardore flagrat, non poſſit quicquam appetere, quod ſcopo vitæ hominis ultimo adverſatur, per Coroll. 1. prop. 16. is vero, qui ad conſpectum objecti cujuscunque appetibilis de ipſius cum dicto fine connexione cogitat, eandemque perſpicit, quid eidem conveniat, quid adverſetur, deprehendat; quin hac ratione mentis conſervetur attentio ipſaque adverſus falſa judicia muniatur, dubitari nequit. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Quandoquidem perverſa de rebus ſenſu & imaginatione perceptis judicia pravorum cauſa exiſtunt affectuum, iuxta def. 9. qui ſenſibus & imaginationi vi prop. præſ. imperat, affectibus quoque imperat.

SCHOLION.

Diſcimus ex Demonſtratione prop. præſ. omnem rei cardinem in eo verſari, ut actionis cujuscunque cum fine ultimo connexionem accurate cognoſcas, adeoque verum rei cujuſvis valorem determinandi habitu polleas. Quamobrem prima ſit cura, ut intellectus erudiatur, & mens ſana judicia formet, multaque ſit in formatis volvendis ac iterum iterumque revolvendis.

PROPOSITIO 27. PROBLEMA 12.

Eo adducere hominem, ut naturæ ſuæ convenienter vivat.

RESOLUTIO.

I. Doce ipſum Dei hominisque naturam, quantum relationibus Dei ad hominem & hominis ad Deum cognoſcendis ſufficit, iuxta deff. 5, 23. prop. 9. ej. Coroll. 1. prop. 10. ej. Coroll. 1.

II. Iunge huic notitiæ doctrinam de obligatione hominis ad edendos actus gloriam Dei illuſtrantes hisque ſubſervientes, iuxta Coroll. 3. prop. 13. & prop. 14. ac 15.

III. Exhibe ipſi regulam actus honeſtos ab inhoneſtis diſtinguendi, ex Coroll. 2. prop. 16.

IV. Excita in eo ardorem honeſte vivendi, iuxta prop. 22.

V. Doce ipſum impedimentum princeps iuxta prop. 24. nec minus.

VI. Quomodo iſtud tollatur, per prop. 25. & 26. Sic enim ipſum eo adduces, ut naturæ ſuæ convenienter vivat. Q. E. F.

DE-

DEMONSTRATIO.

Evidens eſt, quod, qui naturæ ſuæ convenienter vivere debet, teneatur 1) noſſe, quo pacto honeſte vivatur, 2) velle honeſte vivere, 3) hanc voluntatem opere ipſo exequi. Sed primum obtinetur per num. 1. 2. & 3. alterum per num. 4. tertium denique per num. 5. & 6. reſolutionis. Ergo has regulas iunctim ſumtas ad praxin transferens eo adducit alterum, ut naturæ ſuæ convenienter vivat. Q. E. D.

Num. II.

Diſſertatio prior de Rotis Dentatis,

quam pro Loco in Facultate Philoſophica obtinendo, gratioſo ipſius indultu, d. xx. Octob. Anni M.DCCIII. horis ante & pomeridianis publice ventilandam proponit *M. Chriſtianus Wolfius*, Vratislavienſis.

Lipſiæ, Literis Chriſtiani Gœzii.

Præloquium.

Lectori benevolo Salutem.

Matheſeos præſtantia, inprimis etiam Mechanicæ.

Recte omnino Cl. Weigelius in Præf. Philoſophiæ Mathematicæ præmiſſa: Ipſa ſalus hæcce terrena Matheſi eſt ſuperſtructa. *Quemadmodum vero hominis eſſentia ex Mente & Corpore organico componitur; ita quoque alia erit ſalus Mentis, alia Corporis. Salus Mentis in Perfectione Facultatum ipſius, Intellectus ſcilicet puri, Imaginationis & Voluntatis conſiſtit: Salus contra Corporis requirit, ut non ſolum vivamus, ſed & ut commode vivamus. Ecquis dubitaverit, mentem humanam inſigniter perfici per Matheſin? Ipſa enim eſt, quæ judicium acuit, imaginationem extendit, mentem ad de-*

tegendas veritates incognitas disponit, & ad veritates cognitas aliis ordine, distincte & perspicue proponendas aptam reddit, voluntatem denique ad virtutes colendas, vitia fugienda suaviter flectit. Miraris forte hæc de Matheſi præconia? utinam nobis liceret esse prolixioribus, nil sane facilius foret quam dictis fidem facere abundantem. Illustris certe Autor Medicinæ Mentis part. 2. sect. 1. p. 43. & 44. *sufficienter ostendit, verum a falso, probabile a minus probabili discreturo intellectus puri conceptus ab imaginationis perceptionibus distinguendos esse. Cum itaque, quicquid in Matheſi exponitur, vel ad hoc, quod potest concipi, vel ad hoc, quod nequit concipi, redigatur; quin in Matheſi multum versatus istum discernendi habitum sibi acquirat, non est, qui jure dubitet. Divina porro Matheſis a Meditationibus levissimis ad abstrusissimas sensim sensimque suos deducit cultores, ut profundissimis meditationibus sine tædio indulgere valeant. Et quoniam Arithmetica, Trigonometria & Algebra sunt methodi veritatem quæsitam in suo genere infallibiliter detegendi; evidens est, quod regulas ipsis propriàs ad universales revocans, methodum universalem inveniendi veritatem efformet, ut DNN.* des Cartes, de Tschirnhausen, Malebranche & Weigelii *præstantissima in hoc genere scripta luculenter testantur. De ordine veritatem proponendi Mathematicis consueto non est, quod disseram, tum quia ex ipsa dissertatione nostra elucet, tum quia ejus præstantia non habet osorem, nisi minime gnarum talium. Postquam vero evicimus, quod Matheſis insigniter acuat judicium; in aprico etiam positum esse censeo, quod ipsius Cultores genuinum rei cujusque, sive bonorum, valorem investigare valeant, quod a sensibus abducantur ad conceptus magis intellectus, quam perceptiones imaginationis attendentes, adeoque imperium in sensus, imaginationis atque affectus feliciter tandem obtinentes. Longe plura recenseri deberent, nisi præloquii limites excederet prolixitas. Agedum itaque paucas saltem adhuc ducamus lineas de salute Corporis Matheſi superstructa. Hanc cum vel imperitus advertat ruricola, tria sufficere poterunt verba. Loquatur rursus pro me* Weigelius, *cujus sententiam calculo suo nuper admodum approbavit* Gobertus *in discursu de studii Mathematici utilitate & necessitate indispensabili Tractatui Gallico de viribus motricibus præmisso.* Præsentis, *inquit*, seculi felicitatem adeo alligavit Deus Artibus Mathematicis, ut eam solum Remp. florere & bonis omni-

omnibus abundare faciat, in qua major est artium hunc in finem ab ipso nobis concessarum cultura: id quod omnium seculorum & omnium Rerump. historia reddit manifestissimum. *Imprimis hic sese nobis commendat Mechanica, cujus feracissimis inventionibus non agricultura solum, sed & opificia omnia, mercatura denique ipsa suam debent originem, sua debent incrementa & fulcimenta. Quoniam vero nulla machinarum simplicium usum admittit ampliorem, quam Rotæ dentatæ; non inutilem operam nos præstitisse confidimus, dum earum theoriam & praxin paulo copiosius & distinctius, quam Autores reliqui, explicavimns: de usu harum infinito potiora alio forte, si Deus voluerit, tempore delibaturi. Vale interea Lector Benevole, & conatibus nostris tenuibus fave.*

DEFINITIONES.

1. Per *Rotam dentatam* intelligo Rotam axe fixo dentibusque instructam atque una cum axe circa hujus centrum mobilem.

2. *Centrum gravitatis* est punctum corporis, ex quo si suspenditur, omnes ejus partes quaqua versum æquiponderant.

3. *Centrum magnitudinis* est punctum corporis, per quod si ducitur planum, illud in duas partes ejusdem prorsus molis dividitur.

4. *Centrum motus* est punctum Machinæ, circa quod ea moveri, & in quo motus ipsius sisti potest.

COROLLARIUM.

In rotis dentatis centrum motus coincidit cum centro Axis & rotæ, per def. 1.

5. *Lineam directionis* apello, juxta quam corpus grave deorsum tendit.

6. Pet *Potentiam* intelligo vires, quæ corpus grave movere aut suspendere valent.

7. *Distantia* est mihi linea recta ex centro motus in lineam directionis ponderis & potentiæ perpendicularis.

8. *Spatium Potentiæ* voco, per quod Potentia machinæ applicata movetur.

9. *Spatium ponderis* dico, per quod Pondus ope machinæ trahitur.

AXIOMATA.

1. In corporibus homogeneis centrum gravitatis idem est cum centro magnitudinis.

COROLLARIUM.

Si igitur corpus homogeneum ex centro magnitudinis suspenditur, partes ipsius utique æquiponderant, adeoque corpus ipsum situm obtinet Horizonti parallelum, aut ad Horizontem perpendicularem.

SCHOLION.

Veritas axiomatis manifesta est, modo cogitemus, corpus homogeneum vocari, cujus partes sub æquali mole pondus æquale possident.

2. Si loco Potentiæ applicatur pondus isti æquale, lineaque directionis manet invariata, effectus quoque manet invariatus.

SCHOLION.

Axioma hoc nulla difficultate laborat: Quantitatem enim Potentiæ ex quantitate ponderis, quod suspendit, æstimamus: seu, ut accuratius loquar, gravitatis suæ communem mensuram agnoscunt Potentia atque Pondus.

3. Si Potentia, quæ pondus suspendit, quacunque virium accessione augetur, idem movebit, saltem ei movendo par erit.

4. Pondus tanto spatio attollitur, quantum funus Axi, quo trahitur, circumvolvitur.

COROLLARIUM.

Ergo axe semel circumvoluto, spatium, quod pondus emensum est, æquatur peripheriæ axis.

5. Peripheria rotæ, cui applicatur Potentia, æquatur spatio, quod ipsa decurrit, dum ista semel circumvolvitur.

SUPPOSITIONES.

1. Mutata corporis gravis figura, ut tamen moli nec decedat, nec accedat quicquam, gravitas ipsius manet invariata.

2. Duo plurave corpora, quacunque ratione inter se juncta, commune nanciscuntur centrum gravitatis.

COROLLARIUM.

Recte igitur quoad gravitationem pro uno corpore habentur.

SCHOLION.

Has duas propositiones inter axiomata referre religioni nobis fuit, cum

cum axiomatum naturam minime habeant. Vocavimus itaque suppositiones, quia eas aliunde notas facile supponere possumus. Ipsarum sane veritatem confirmat experientia.

PROPOSITIONES DEMONSTRATIVÆ.

PROPOSITIO 1. LEMMA 1.

Si nomina datarum rationum in se ducuntur, unitas est ad productum in ratione composita earundem.

DEMONSTRATIO.

Sint rationes datæ *a. ea, b. ib, c. oc, d. ud* &c. Multiplicentur per se earum nomina *e, i, o, u,* ut prodeat factum *e i o u.* Ex ipsis igitur terminis manifestum est 1. esse ad *eiou* in ratione composita *a. ea, b. ib, c. oc, d. ud,* per def. 5. Elem. VII. q.e.d.

PROPOSITIO 2. LEMMA 2.

Si Potentia aliqua alteri vectis extremo ita applicatur, ut linea directionis constituat cum vecte angulum rectum, habet vero ad pondus rationem reciprocam distantiarum, pondus suspendit. Vide Fig. 1.

ἔκθεσις.

Sit vectis AB, centrum motus C, linea directionis ponderis AB, linea vero directionis Potentiæ in B applicatæ BE. Habeat Potentia ad pondus B rationem reciprocam ipsius AC ad BC, quæ sunt distantiæ ponderis atque potentiæ, per def. 7. Sit v. gr. AC 1′, BC 4′ & pondus 8 ℔, Potentia 2 ℔. Dico, Potentiam suspendere Pondus D.

PRÆPARATIO.

Produc brachium BC in K, ut sit BK = AC, & AC in L, donec AL = BC, adeoque CL = CK.

DEMONSTRATIO.

Quod si jam concipiamus loco Potentiæ in B applicatæ appendi pondus E ipsi æquale, & utrumque pondus D & E mutari, istud in cylindrum GH, hoc in cylindrum GI, ita ut uterque ejusdem sit spissitudinis, unum vero pondo adæquet longitudinem distantiæ AC; evidens erit, effectum non mutari, per ax. 2. & 3, ac longitudinem cylindri GH duplam esse distantiæ CB, per ἔκθ. ut adeo GH = L2 & GI = K2. Cum igitur duo cylindri GH & GI

pro

pro uno habeantur, per coroll. ſupp. 2. & homogenei ſint, per hypotheſ. centrum gravitatis cum centro magnitudinis idem erit, per ax. 1. Iam vero quoniam HI = KL, per jam demonſtrata, KC = CL, per præp. & punctum C verticaliter imminet puncto F, per hypotheſ. erit quoque HF = FI, adeoque F centrum magnitudinis, per def. 3. conſequenter centrum gravitatis, per jam demonſtr. Cum itaque duo hæc pondera ex centro gravitatis F vel C ſuſpendantur, æquiponderant, h. e. ſi ponderi E rurſus ſubſtituitur potentia, hæc pondus D ſuſpendit. q. e. d.

COROLLARIA.

1. Si diſtantia ponderis æquatur diſtantiæ Potentiæ, Pondus & Potentia inter ſe æquantur.

2. Quoniam in vecte incurvato diſtantiæ ſunt rectæ AC & CD, per def. 7. pondus in A habebit ſe ad Potentiam in B, ut CD ad AC, adeoque effectus manet immutatus, in quocunque demum lineæ directionis puncto Potentia applicetur. Vide Fig. 2.

PROPOSITIO 3. THEOREMA 1.

Si potentia ope rotæ dentatæ pondus ſuſpendit, ita ut linea directionis ſit tangens peripheriæ rotæ, erit ea ad pondus ut radius axis ad radium rotæ. Vide Fig. 3.

ἔκθεσις.

Sit rota dendata I *b* B, pondus E, ejus linea directionis EF. Potentia applicetur in B, ita ut linea directionis BD ſit tangens peripheriæ rotæ; dico, eam eſſe ad pondus ut FC ad CB.

DEMONSTRATIO.

Quodſi partes machinæ ſuperfluæ removeantur, remanet ſaltem linea FB, quæ vectem exhibet, cujus centrum motus in C, per Coroll. def. 4. Erit itaque potentia in B applicata ad pondus E, ut FC ad BC, per prop. præc. q. e. d.

COROLLARIA.

1. Cum peripheriæ ſint inter ſe, uti diametri circulorum; erit quoque Potentia ad pondus, uti peripheria axis ad peripheriam rotæ.

2. Quo majorem radius rotæ ad radium axis habet rationem, eo major Potentiæ eſt efficacia.

PRO-

PROPOSITIO 3. THEOREMA 2.

Si potentia ope alicujus Rotæ dentatæ ſuſpendit pondus, ita ut linea directionis ſecet peripheriam rotæ, erit ad pondus ut radius axis ad partem radii rotæ inter centrum motus & lineam directionis Potentiæ interceptam.

ἔκθεσις.

Sit denuo rota dentata I*b*B, pondus E, ejus linea directionis EF. Sed Potentia applicetur in *b*, ita ut linea directionis *bd* ſecet peripheriam rotæ; dico, Potentiam eſſe ad pondus E ut FC ad CG.

DEMONSTRATIO.

Tolle enim partes ſuperfluas, & remanebit vectis incurvatus FC*b*, cujus centrum motus in C, per coroll. def. 4. Erit adeo Potentia in *b* applicata ad pondus E ut FC ad CG, per coroll. 2. prop. 2. Q. e. d.

COROLLARIA.

1. Si Potentia in I applicatur, eſtque directionis linea IK, erit ea ad pondus E ut FC ad CL, adeoque pondere major.

2. Quo minorem itaque linea directionis Potentiæ cum radio rotæ angulum facit; eo minor eſt Potentiæ efficacia.

3. Quoniam vero linea directionis Potentiæ cum radio rotæ majorem recto facere nequit; ſequitur, quod in hoc caſu maxima ſit ipſius efficacia.

4. Quodſi fune axi circumvolvendo levatur pondus, evidens eſt, quod, quo altius attollitur pondus, eo magis circa axem convolvatur funis, adeoque ipſius diameter creſcat, conſequenter efficacia Potentiæ minuatur.

5. Conſultum igitur eſt, funes adhibere tenuiſſimos, modo gravitati ponderis ſint proportionatæ.

SCHOLION.

Probe hic obſeruanda ſunt, quæ monet Walliſius in ſchol. prop. 2. cap. 7. part. 3. p. 615. Curandum eſſe, ut omnia, vi & ponderi intermedia, ſint pro ſuis reſpective oneribus ſuſtinendis ſatis firma: ſecus rumpi ipſam machinam.

PROPOSITIO 5. PROBLEMA 1.

Data ratione radii axis ad radium rotæ, datoque pondere, invenire Potentiam, quæ illud ſuſpendit.

RESOLUTIO.

Infer *vi propos. 3.* ut radius rotæ ad radium axis, sic pondus ad Potentiam, per regulam Trium inveniendam.

COROLLARIUM.

Potentia *per prop. præs.* inventa si paululum augeatur, pondus movebit, per ax. 3.

SCHOLION

Quodsi radius axis ad radium rotæ fuerit ut unitas ad numerum integrum, unitati subscribitur numerus integer, fractio emergens indicabit, quotæ ponderis parti æqualis esse debeat Potentia.

PROPOSITIO 6. PROBLEMA 2.

Data ratione radii axis ad radium rotæ, invenire pondus, quod data Potentia suspendit.

RESOLUTIO.

Infer vi prop. 3. ut radius axis ad radium rotæ sic Potentia data ad pondus quæsitum, per regulam Trium inveniendum.

COROLLARIUM.

Quodsi pondus per prop. præs. inventum vel tantillo minuatur, Potentia ipsum elevabit, per ax. 3.

SCHOLION.

Si radius axis ad radium rotæ fuerit ut unitas ad numerum integrum, data Potentia multiplicatur per numerum istum integrum, sic prodit pondus, quod suspendere valet.

PROPOSITIO 7. PROBLEMA 3.

Data Potentia una cum pondere invenire rationem radii axis ad radium rotæ, cui Potentia applicata pondus datum movere valet.

RESOLUTIO.

1) Divide pondus datum per Potentiam datam. 2) Quotum auge unitate. Dico, ut unitas ad quotum unitate actum, sic esse debere radium axis ad radium rotæ. Q. e. i.

DEMONSTRATIO.

Cum pondere per Potentiam diviso unitas sit ad quotum ut Potentia ad pondus, per def. 15. Elem. 7. unitas radio axis, quotus radio rotæ respondebit, cui Potentia applicata pondus de axe pendens suspendere valet, per prop. 3. Quodsi jam quotus unitate augetur, radius rotæ fit longior, adeoque Potentia suspendens minor

erit

erit data, per prop. 5. consequenter data pondus movebit, per ax. 3. Q e. d.

SCHOLION.

Quodsi radius rotæ in immensum excrescit, rotæ plures dentatæ conjungendæ veniunt: ut in sequentibus docetur.

PROPOSITIO 8. THEOREMA 3.

Si pluribus rotis dentatis Potentia aliqua, cujus linea directionis est tangens peripheriæ ultimæ rotæ, suspendit pondus; habebit ad hoc rationem compositam omnium earum, quas habent radii axium ad radios rotarum. Vid. Fig. 4.

ἔκθεσις.

Sint datæ tres rotæ MM, NN, OO, ita ut dentes infimæ MM occurrant dentibus axis FD alterius rotæ NN, dentes vero rotæ mediæ NN occurrant dentibus axis GI rotæ tertiæ OO. Potentia applicetur in K, ita ut linea directionis KL sit tangens peripheriæ rotæ OO & suspendat pondus A. Dico, Potentiam habere ad pondus rationem compositam CB. CD, EF EG, HI. HK.

DEMONSTRATIO.

Sit pondus $= d$, habeat se CB ad CD ut a ad ea, EF ad EG ut b ad ib, HI ad HK ut c ad oc. Quodsi jam concipiamus, Potentiam applicari in D, erit ea ad pondus ut $\frac{d}{e}$ ad d, per prop. 5. adeoque DF axis rotæ mediæ NN tantopere gravatur, ac si pondus $= \frac{d}{e}$ ex ipso penderet. Concipiamus itaque nobis porro, Potentiam quandam applicari in G, quæ suspendat pondus $\frac{d}{e}$, invenietur illa $= \frac{d}{ei}$, per prop. cit. ut adeo axis GI rotæ tertiæ OO tantopere gravetur, ac si a pondere $= \frac{d}{ei}$ traheretur. Quodsi jam per prop. cit. quæratur Potentia in K, quæ pondus $\frac{d}{ei}$ suspendat; re-

perietur $= \frac{d}{eio}$. Cum vero evidens sit, quod hæc potentia $\frac{d}{eio}$ quæ ope tertiæ rotæ solius pondus $\frac{d}{ei}$ suspendit ope trium rotarum OO, NN, MM suspendat pondus d, erit ea ad hoc ut $\frac{d}{eio}$ ad d, h. e. ut d ad $eiod$, per 17. VII. Q. E. D.

COROLLARIA.

1. Si pondus $= d$, Potentia $= \frac{d}{eio}$; si potentia $= d$, Pondus $= eiod$.

2. Cum radii sint inter se uti peripheriæ, Potentia & pondus erunt in ratione composita peripheriarum axium & rotarum.

SCHOLION.

Loco ultimæ rotæ praxi accommodatius est manubrium ACBDE, ubi A radium axis BD rotæ radium exhibet. Vid. Fig. 5.

PROPOSITIO 9. PROBLEMA 4.

Dato rotarum numero cum ratione radii axis ad radium rotæ uniuscujusque, invenire Potentiam, quæ peripheriæ ultimæ rotæ applicata pondus datum suspendit

RESOLUTIO.

I. Duc in se nomina omnium rationum datarum.

II. Per factum divide pondus datum. Dico quotum esse Potentiam quæsitam. Q. E. I.

DEMONSTRATIO.

Pondere enim per factum ex nominibus datarum rationum in se invicem diviso, quotus se habet ad istud ut 1 ad factum ex nominibus datarum rationum in se invicem, per def. 17. Elem. VII. consequenter rationem compositam datarum, per prop. 1. Æquivalet itaque Potentiæ, quæ peripheriæ ultimæ rotæ applicata pondus datum suspendit, per prop. præced. Q. E. D.

SCHO-

SCHOLION.

Resolutio hujus problematis actu continetur in coroll. 4. prop. præc. vi cujus potentia est d, posito pondere d.

---

eio

PROPOSITIO 10. PROBLEMA 5.

Dato rotarum numero cum ratione radii axis ad radium rotæ uniuscujusque invenire pondus, quod data Potentia peripheriæ rotæ ultimæ applicata sustendit.

RESOLUTIO.

I) Duc in se nomina omnium rationum datarum. II) Productum huc denuo in Potentiam datam: Quod prodibit, erit pondus quæsitum. Q. E. I.

DEMONSTRATIO.

Cum, ductis in se nominibus rationum datarum, unitas ad productum habeat rationem compositam datarum, per prop. 1. hoc autem producto per Potentiam multiplicato, unitas sit ad productum prius ut Potentia ad productum novum per def. 17. Elem. VII. consequitur hinc, productum novum esse pondus, per prop. 8. Q. E. D.

SCHOLION.

Hujus quoque problematis resolutio actu continetur in Coroll. 1. prop. 8. vi cujus pondus est eiod, posita potentia d.

PROPOSITIO 11. PROBLEMA 6.

Data Potentia datoque pondere, invenire numerum rotarum & in unaquaque rationem radii axis ad radium rotæ, ita ut Potentia peripheriæ rotæ ultimæ applicata pondus datum sustendat.

RESOLUTIO.

I) Pondus per Potentiam divide. II) Quotum disperge in tot factores, in quot commode eundem dispergere licet. Dico, numerum factorum indicare numerum rotarum, radiosque axium se habere ad radios rotarum ut unitatem ad factores singulos. Q. E. I.

DEMONSTRATIO.

Vi prop. 8. demonstrandum, Potentiam ad pondus habere rationem compositam radiorum axium ad radios rotarum. Iam vero

pondere per Potentiam diviſo, quotus eſt nomen rationis, quam habet Potentia ad pondus. Quodſi itaque is diſpergitur in ſuos factores; neceſſe eſt, ut Potentia ad Pondus ſit in ratione compoſita earum, quæ per unitatem ad ſingulos factores conſtituuntur. Quamobrem aſſumta unitate pro radiis axium, factoribus autem aſſumtis pro radiis rotarum; Potentia ad pondus eſt in ratione compoſita radiorum axium ad radios rotarum. Q. E. D.

SCHOLION.

Quoniam hic in exceſſu nunquam peccatur, conſultum eſt, ubi Potentia non exacte dividit pondus, quotum unitate majorem aſſumere. Similiter unam, immo aliquot unitates addere licet quoto, ſi in factores diſpergi vix commode poteſt.

PROPOSITIO 12. THEOREMA 4.

Numerus dentium axis eſt ad numerum dentium rotæ, cui occurrit, ut peripheria axis ad peripheriam rotæ.

DEMONSTRATIO.

Cum enim dentes axis occurrant dentibus rotæ, evidens eſt iſtos his magnitudine æquales eſſe debere. Toties itaque peripheria axis in peripheria rotæ contineri debet, quoties numerus dentium axis in numero dentium rotæ continetur. Sunt igitur dentes in ratione peripheriarum. Q. E. D.

PROPOSITIO 13. THEOREMA 5.

Si axis dentatus occurrit dentibus alicujus rotæ, revolutiones erunt in ratione dentium reciproca. Vid. Fig. 4.

DEMONSTRATIO.

Illud per ſe patet, omnes dentes rotæ MM per dentes axis rotari debere, antequam ea ſemel convertitur. Axis igitur dentatus toties convolvatur neceſſe eſt, quoties dentes ipſius in dentibus rotæ MM continentur, antequam omnes rotæ dentes per dentes axis rotantur. Quodſi jam dentes rotæ dividantur per dentes axis, quotus indicabit, quoties rota cum axe dentato convertatur, dum rota tardius mota circuitum abſolvit. Quoniam vero unitas ad hunc quotum, uti dentes axis ad dentes rotæ, per def. 17. Elem. VII. revolutiones rotarum ſunt inter ſe in ratione dentium axis atque rotæ reciproca. Q. E. D.

COROL-

COROLLARIUM.

Cum dentes rationem peripheriarum habeant, per prop. præc. revolutiones rotarum sunt quoque in ratione peripheriarum axis atque rotæ reciproca, consequenter & radiorum.

PROPOSITIO 14. THEOREMA 6.

Si plures conjunctæ fuerint rotæ dentatæ, revolutiones omnium velocissime motæ habebunt ad revolutiones omnium tardissime motæ rationem compositam dentium in axibus ad dentes in peripheriis rotarum istis occurentium. Vide Fig. eandem.

DEMONSTRATIO.

Sint tres rotæ MM, NN, OO, dentes axis FD ad dentes rotæ MM *b. eb*, dentes axis GH ad dentes rotæ NN *c. ic.* Iam revolutiones rotæ MM sunt ad revolutiones rotæ NN ut *b. eb*, per prop. præc. & revolutiones rotæ OO ut *eb. eib*, per prop. cit. Erunt itaque revolutiones rotæ MM ad revolutiones rotæ OO ut *b. eib*, adeoque in ratione composita dentium in axibus ad dentes in peripheriis rotarum istis occurrentium, per prop. 1. Q. E. D.

COROLLARIA.

1. Quoniam numeri dentium sunt in ratione peripheriarum per prop. 12. revolutiones rotæ MM erunt ad revolutiones rotæ OO in ratione composita peripheriarum MDM. PFQ & NGN. RGS.

2. Et quia peripheriæ sunt ut radii, erunt quoque revolutiones rotæ MM ad revolutiones rotæ OO in ratione composita CD. DE, EG. GH.

SCHOLION.

Quod valet de tribus rotis, idem quoque valere de reliquis omnibus, quotcunque numero fuerint, haud difficulter patet. Nam ex ipsis terminis manifestum est, quantitatem revolutionum rotæ ultimæ haberi, si primæ ducantur in singula nomina rationum, quas habent dentes axium ad dentes rotarum.

PROPOSITIO 15. PROBLEMA 7.

Dato numero dentium in axibus & rotis istis occurrentibus, determinare, quot revolutiones rota omnium velocissime mota absolvat, antequam tardissime mota semel circumit.

RESO-

RESOLUTIO.

I) Per dentes axis uniuscujusque divide dentes rotæ isti occurrentis. II) Quotos omnes duc in se: dico, factum indicare, quot revolutiones rota velocissime mota absolvit, dum tardissime mota semel circumit. Q. E. I.

DEMONSTRATIO.

Dentibus enim rotarum per dentes axium sigillatim divisis, quoti sunt nomina rationum, quas habent dentes axium ad dentes rotarum. Quodsi vero rationum nomina in se duxeris, unitas habebit ad factum rationem compositam dictarum, per prop. 1. Cum igitur revolutiones rotæ tardissime motæ ad revolutiones rotæ velocissime motæ earundem rationum compositam habeant, per prop. 14. evidens est, revolutionem unam rotæ tardius motæ esse ad revolutiones velocissime motæ interea absolutas, ut unitatem ad factum memoratum. Q. E. D.

SCHOLION.

Immo poterat resolutio hujus problematis instar corollarii subsumi ad prop. 14. quoniam in demonstratione expresse habetur, revolutiones rotæ tardissime motæ esse ad revolutiones velocissime motæ ut b ad eib, h. e. ut 1 ad ei per 17. Elem. VII. Q. E. D.

PROPOSITIO 16. PROBLEMA 8.

Datis revolutionibus rotæ velocissime actæ, interea absolutis, dum tardissime mota semel in orbem redit; invenire dentium in axibus & peripheriis rotarum numerum.

RESOLUTIO.

I) Disperge numerum datarum revolutionum in suos factores. II) Pro arbitrio assumtum in axibus dentium numerum duc sigillatim in singulos factores. Dico facta exhibere numerum dentium pro singulis peripheriis rotarum. Q. E. I.

DEMONSTRATIO.

Si enim facta ex factoribus, in quos dispersus est numerus datarum revolutionum, in numerum dentium axibus competentium pro arbitrio assumtum habeantur pro numero dentium in peripheriis rotarum; dicti factores sunt nomina rationum inter dentes axium & dentes rotarum intercedentium. Unde porro liquet, revolutionem unam rotæ tardissime motæ esse ad revolutiones plures velocissime

motæ

motæ interea absolutas in ratione composita earum quas habent dentes axium ad dentes rotarum. Numerus igitur dentium pro rotis rite determinatus, per prop. 14. Q. E. D.

SCHOLIA.

1) *Quodsi numerus dentium pro axibus detur, is sigillatim ducitur in singulos factores, in quos numerus datarum revolutionum rotæ velocissime circumactæ dispersus fuit, ut obtineatur numerus dentium pro singulis rotis.*

2) *Factores, in quos numerus datarum revolutionum rotæ velocissime circumactæ dispersus fuit, indicant, quoties axis convertatur, dum rota ipsi occurrens semel in orbem redit. Quamobrem magis adhuc liquet, quod multiplicari debeant per numerum dentium axibus competentium, vel datum, vel pro arbitrio assumtum, ut obtineatur numerus dentium pro rotis, per prop. 13.*

3) *Dispergitur autem numerus quicunque datus in suos factores, si per mensuram aliquam dividitur & quotus denuo per mensuram sui: Quotus enim secundus cum duobus divisoribus constituunt factores quæsitos. Notandum tamen, quod divisor non facile denarium excedere debeat.*

4) *Patet quoque ex propositione præsenti, qua ratione motus in gyrum retardari queat.*

PROPOSITIO 17. THEOREMA 7.

Si rota aliqua dentata Potentia movet pondus, spatium ponderis habet ad spatium Potentiæ rationem paulo minorem, quam Potentia ad pondus.

DEMONSTRATIO.

Cum enim, axe semel circumvoluto, spatium ponderis æquetur peripheriæ axis, per coroll. ax. 4. spatium vero Potentiæ peripheriæ rotæ per ax. 5. erunt hæc spatia inter se in ratione reciproca Potentiæ suspendentis atque ponderis, per Coroll. 1. prop. 3. Iam vero Potentia suspendenti major est movens, per ax. 3. habet itaque spatium ponderis ad spatium Potentiæ rationem paulo minorem, quam Potentia ad pondus, per 8. Elem. V. Q. E. D.

PROPOSITIO 18. THEOREMA 8.

Si pluribus rotis dentatis Potentia movet pondus, habet quoque spatium ponderis ad spatium Potentiæ rationem paulo minorem, quam Potentia ad Pondus. Vide Fig. 4.

DEMONSTRATIO.

Si Potentia applicatur rotæ MM in D, ſpatium ponderis eſt ad ſpatium Potentiæ ut CB ad CD, per prop. 17. & 3. Quodſi concipiamus, Potentiam applicari rotæ NN in G, pondus periphæriæ rotulæ PFQ, erunt Spatia Ponderis & Potentiæ ut DE ad EG, per. propp. citt. Sit autem CB ad CD ut *a* ad *ea*, & DE ad EG, ut *b* ad *ib*. Applicetur jam Potentia rotæ NN & pondus pendeat ex axe CB; tunc pro ſpatio, quod percurrit rotula PFQ, dum pondus promovetur per Spatium peripheriæ axis CB æquale aſſumi poteſt peripheria MDM=*ea*, cum peripheriæ ſint in ratione radiorum. Rotula vero PFQ dum abſolvit Spatium ea, Potentia percurrit Spatium, quod æquatur peripheriæ NGN toties ſibi additæ, quoties peripheria PFQ continetur in peripheria MDM, ut adeo ſit quemadmodum peripheria PFQ=*b* ad ſpatium rotulæ cognominis =*ea*, ſic peripheria NGN=*ib* ad ſpatium Potentiæ, quod reperietur =*eia*. Cum itaque peripheria CB ſit =*a*, per hypotheſ. quæ ſpatio ponderis æquatur, per coroll. ax. 4. erit ſpatium ponderis ad ſpatium Potentiæ, *a. eia*, adeoque in ratione compoſita CB ad CD & DE ad EG, per prop. 1. Iam vero in eadem eſt quoque ſuſpendens Potentia ad Pondus, per prop. 14. Ergo quoniam ſuſpendenti major eſt movens, per ax. 3. ſpatium ponderis ad ſpatium Potentiæ minorem habebit rationem, quam Potentia ad pondus, per 8. Elem. V. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Quo Potentia eſt major, eo motus ponderis velocior: quo iſta minor, eo hic tardior.

SCHOLION.

Plurimi dicunt, ſpatia ponderis atque Potentiæ eſſe in ratione reciproca Ponderis atque Potentiæ; ſed quod a vero aberrent, evidenter ſatis per demonſtrationes duarum præcedentium propoſitionum patet. Error autem inde, quod cum movente Potentia confundant ſuſpendentem. Sunt enim per demonſtrata ſpatia Ponderis atque Potentiæ moventis in ratione reciproca Potentiæ ſuſpendentis & Ponderis. Quodſi dicas, Autores iſtos, qui aſſerunt, ſpatia ponderis & Potentiæ eſſe in ratione reciproca Potentiæ atque ponderis, verba ſua accipere de Potentia

tia ſuſpendenti; tunc ab errore quidem eos in ratiocinando, minime autem in dicendo aut ſcribendo liberas.

PROPOSITIO 19. PROBLEMA 9.

Data peripheria axis trahentis pondus & ratione Potentiæ ſuſpendentis ad Pondus, invenire ſpatium, quod percurrit Potentia, dum pondus emetitur ſpatium peripheriæ axis datæ æquale.

RESOLUTIO.

Infer: Ut datum pondus ad Potentiam datam, ſic peripheria data ad ſpatium Potentiæ quæſitum, per regulam Trium inveniendum.

DEMONSTRATIO.

Cum enim axe ſemel convoluto ſpatium ponderis æquetur peripheriæ axis, per coroll. ax. 4. idem vero habeat ad ſpatium Potentiæ moventis rationem reciprocam Potentiæ ſuſpendentis ad pondus, per ſchol. prop. 18. liquet inde, ſpatium, quod Potentia decurrit, dum axis pondus trahens ſemel in orbem redit, eſſe quartum proportionale quantum ad pondus, Potentiam ſuſpendentem & axis pondus trahentis peripheriam. Q. e. d.

SCHOLION.

Quodſi Potentia movens daretur, ea foret minuenda, ut haberetur ſuſpendens, per ax 3.

PROPOSITIO 20. PROBLEMA 10.

Data ratione radiorum rotarum ad radios axium iſtis occurrentium, invenire revolutiones rotæ velociſſime motæ interea abſolvendas, dum rota tardiſſime mota circuitus datos abſolvit.

RESOLUTIO ET DEMONSTRATIO.

1) Nomina rationum duc in ſe. 2) Per factum multiplica revolutiones rotæ tardiſſime motæ. Quod producitur, erit numerus revolutionum rotæ velociſſime motæ, per coroll. 2. prop. 14. Q. e. i. & d.

COROLLARIUM.

Dum radii ſint inter ſe ut peripheriæ, peripheriæ autem ut dentes, per prop. 12. idem problema ex datis dentium numeris ſolvere licebit.

PROPOSITIO 21. THEOREMA 9.

Spatia ponderis atque Potentiæ ſunt in ratione compoſita revolutionum rotæ tardiſſime motæ ad revolutiones rotæ velociſſime motæ & peripheriæ axis iſtius ad peripheriam hujus.

DEMONSTRATIO.

Sint revolutiones rotæ tardiſſime motæ ad revolutiones velociſſime motæ ut *c* ad *ic*; peripheria axis iſtius ad peripheriam hujus ut *g* ad *yg*. Erunt itaque ſpatia ut *gc* ad *yigc*, h. e. ut *i* ad *iy*, per 17. Elem. VII. adeoque in ratione compoſita *c. ic*, *g. yg*, per prop. 1. Q. e. d.

COROLLARIUM.

Cum ſpatia ponderis atque Potentiæ moventis habeant rationem reciprocam Potentiæ ſuſpendentis atque ponderis per ſchol. prop. 18. Potentia ſuſpendens erit quoque ad pondus in ratione compoſita revolutionum rotæ tardiſſime motæ ad revolutiones velociſſime motæ & peripheriæ axis iſtius ad peripheriam hujus.

PROPOSITIO 22. PROBLEMA 11.

Data peripheria axis rotæ tardiſſime motæ cum peripheria rotæ velociſſime motæ, & ratione revolutionum rotæ iſtius ad revolutiones hujus, invenire ſpatium, quod Potentia decurrit, donec pondus emetiatur ſpatium peripheriæ axis, cui alligatur, æquale.

RESOLUTIO.

1) Divide peripheriam rotæ per peripheriam axis. 2) Quotum duc in nomen datarum revolutionum. 3) Per factum multiplica peripheriam axis. Dico, productum eſſe ſpatium Potentiæ. Q. e. i.

DEMONSTRATIO.

Demonſtrandum eſt, peripheriam axis habere ad hoc productum rationem compoſitam ſui ipſius ad peripheriam rotæ datam & revolutionum datarum, vi prop. 21. Quoniam itaque peripheria rotæ per peripheriam axis diviſa, quotus eſt nomen rationis inter dictas peripherias intercedentis; hic in nomen rationis datarum revolutionum ductus fiſtit nomen rationis compoſitæ. Iam vero ſpatium ponderis æquatur peripheriæ axis datæ, per hypoth. Ergo ſi eadem per nomen rationis compoſitæ modo dictum multiplicetur, productum erit ad ſpatium ponderis in ratione compoſita revolutionum

tionum & peripheriarum datarum, consequenter spatium Potentiæ. Q. e. d.

SCHOLION.

Si spatium ponderis aliquoties peripheriæ axis, cui alligatur, æquatur, ea toties sibi additur, & summa multiplicatur per nomen rationis compositæ juxta n. 1 atque 2. resolut inventum.

PROPOSITIO 23. PROBLEMA 12.

Datis iisdem, quæ in problemate præcedenti data sunt, ac præterea Pondere, invenire Potentiam moventem.

RESOLUTIO.

1) Divide peripheriam rotæ per peripheriam axis. 2) Quotum duc in nomen datarum revolutionum, ut in problemate præcedenti. 3) Per factum divide Pondus. 4) Quotum novum unitate vel aliquot unitatibus adauge. Sic emerget Potentia. Q. e. i.

DEMONSTRATIO.

Peripheria rotæ per peripheriam axis divisa, quotus est nomen rationis inter utramque intercedentis. Multiplicatus itaque per nomen rationis datarum revolutionum in nomen rationis compositæ evadit. Quodsi jam per hoc dividatur pondus, erit quotus ad illud, ut unitas ad nomen rationis compositæ per def. 14. Elem. 7. adeoque in ratione composita peripheriarum & revolutionum datarum, consequenter Potentia suspendens, per coroll. prop. 21. Idem igitur auctus unitate vel unitatibus aliquot sistet Potentiam moventem, per ax. 3. Q. e. d.

SCHOLION.

Facile patet, quod, si loco Ponderis, detur Potentia, Pondus habeatur multiplicando Potentiam per nomen rationis compositæ juxta n. 1. atque 2. resolut. inventum, & productum unitate vel unitatibus aliquot minuendo.

PROPOSITIO 24. PROBLEMA 13.

Datis revolutionibus rotæ velocissime motæ interea absolvendis, dum tardissime mota semel in orbem redit, datoque spatio, per quod pondus elevari debet, invenire tempus elevationi quæsitæ insumendum.

RESOLUTIO

1) Infer: Ut peripheria axis rotæ velocissime motæ ad spatium ponderis datum, sic revolutiones rotæ velocissime motæ datæ ad

quartum proportionalem numerum, per regulam Trium inveniendum. 2) Per experientiam determina numerum revolutionum intra unius horæ ſpatium abſolvendarum, & 3) per hunc divide quartum proportionalem paulo ante inventum. Dico, quotum eſſe tempus elevationi ponderis quæſitæ inſumendum. Q. e. i.

DEMONSTRATIO.

Cum una revolutio rotæ tardiſſime motæ habeat ad revolutiones ejusdem interea abſolvendas, dum pondus datum ſpatium percurrit, ut peripheria axis ad ſpatium ponderis datum; ſint vero porro ut una revolutio rotæ tardiſſime motæ ad revolutiones ejus dictas, ſic revolutiones rotæ velociſſime motæ interea abſolutæ, dum tardiſſime mota ſemel in orbem rediit, ad revolutiones ejusdem interea peractas, dum pondus emenſum eſt ſpatium datum; hoc ipſo evidens exiſtit, quartum proportionalem numerum, per n. 1. reſolut. inventum, reſpondere revolutionibus ultimis. Quodſi itaque is per numerum revolutionum intra horam abſolvendarum diviſus fuerit, quotus non poteſt non indicare tempus elevationi ponderis quæſitæ impendendum. Q. e. d.

SCHOLIA.

1) *Pro magnitudine peripheriæ rotæ omnium velociſſime motæ plures paucioresve intra horam fiunt revolutiones.* Stewinus (*notante* Sturmio in Mech. ſect. 2. cap. 5. quæſt. 6.) *hora una 4000, ipſe* Sturmius 10000. *fieri poſſe autumat.*

2) *Cæterum per prop. 9. experiri licet, compoſitionem rotarum dentatarum in immenſum augere vires moventis, ita ut bene obſervet* Dechales in Mundo Mathematico, *formicæ vires ſufficere ad totam molem hujus Univerſi a centro Telluris uſque ad Fixas extenſam loco movendam, utut ſingulæ partes arenæ gravitatem habere ſupponantur, ſi machinæ ex 30 rotis dentatis compoſitæ, quarum radii habeant ad radios axium rationem decuplam, applicentur.*

3) *Interim tamen id quoque tentanti ad oculum patebit, ubi virium in infinitum augetur efficacia, temporis quoque quantitatem in infinitum accreſcere. Ut adeo Mechanica demonſtret, impoſſibile eſſe, ut creatura ulla ex parte ſit omnipotens.*

4) *Cum*

4) *Cum omnem motum metiatur aliqua linea, ut ſuperius motum Potentiæ peripheria rotæ; motum ponderis peripheria axis, cogitationum vero noſtrarum nulla poſsit fingi linea; eæ non ſunt tenuiſsimæ cujusdam materiæ motus, conſequenter materia nequit donari vi cogitandi.*

5) *Quoniam leges mechanicæ habentur pro veritate immutabili, quia eas concipimus; quicquid poſſumus concipere, illud erit veritatis immutabilis. Sunt autem dictæ leges, quemadmodum veritates omnes reliquæ, tantæ neceſsitatis, ut nec a Deo immutari queant. Quoniam vero non minus Dei ipſius, quam veritatum cujuscunque generis natura eſt immutabilis; diſtincte quoque concipimus, eas ſemper in Deo fuiſſe. Ut adeo erret* Poiret Oecon. divin. Tom. 1. cap. 4. pag. 73. & ſeqq. *ſtatuens, ideas rerum ex arbitrario Dei decreto enatas eſſe occaſione generationis æternæ Filii ſui.*

6) *Epilogi tandem loco ſubnectere libet curioſam rationem indagandi centrum gravitatis in acu. Cudi ſcilicet curetur virgula chalybea cylindracea, cujus alterum extremum in cuſpidem deſinat, candensque refrigatur in aqua; mox in acu hinc inde promoveatur, donec eam attrahat & ſuſpendat. Ex quo puncto enim ipſam ſuſpendit, illud eſt centrum gravitatis, vi def. 2.* Vide Fig. 6.

7) *Cauſam phoenomeni habet* Cl. Rohault in Tract. Phyſ. part. 3. c. 8. §. 37. pag. m. 383. *Particulæ ſc. ſtriatæ inflectunt flexiles chalybis candentis particulas ſuoque tranſitui commodos efficiunt poros, qui, chalybe ſubito refrigerata, permanent, ut hinc mirum videri non debeat, cur vim Magneticam acquirat chalybs, cum poros Magneticos acquiſiverit, adeoque particulis ſtriatis æque ac Magnes tranſitum concedat.*

Num.

Num. III.

Diſquiſitio Philoſophica de Loquela,

quam ampliſſimæ Facult. Philoſophicæ gratioſo indultu A. O. M. MDCCIII. die 20. Decembris Horas locoque conſuetis, ſub Præſidio Dn. *M. Chriſtiani Wolfii*, Uratislavienſis, Præceptoris atque Fautoris ſui maximoque colendi, Placido Eruditorum Examini ſubmittit *Joannes Juſtus Gravius*, Spangenberga Haſſus Caſſelan. Philoſ. & Medic. Studioſus.

Lipſiæ, Litteris Chriſtiani Gözii.

Disquiſitio Philoſophica de Loquela.

§. 1. 2. *Loquela quid.*
§. 3. *eſſe actum mentis.*
§. 4. *Mentis operatio.*
§. 5. *Mens ex natura Creatoris explicanda. Attentio.*
§. 6. *Cogitationes.*
§. 7. *Signa eorumque conditiones.*
§. 8. *Uſus ſimilitudinum.*
§. 13. *Actio ſpiritus in ſpiritum.*
§. 14. 15. *Leges motus.*
§. 17. *Actio mentis in corpus.*
§. 19. *Concurſus organorum.*
§. 21. *Steganographia.*
§. 23. *Sonus unde. ſeqq.*
§. 27. *Vocum propagatio.*
§. 30. *ſeqq. uſus vocum.*
§. 36. *Meditatio ſine verbis.*
§. 37. *Machina loquens.*

§. 1.

Mathematice h. e. ordine, diſtincte ac ſolide philoſophaturis verba a rebus diſtinguenda ſunt, illorumque definitiones in primo ſtatim limine excutiendæ, ne æquivocationes tum proprios, tum aliorum conceptus turbent, inanibusque λογομαχίαις occaſionem ſuppeditent. De loquela igitur diſſertaturi monemus nos per *Loquelam* intelligere *actionem inſtantaneam, qua mentis noſtræ cogitata cum præſentibus aliis communicamus.*

§. 2.

§. 2.

Novimus equidem vulgo hanc vocem adhiberi non tam de communicatione mentis cogitatorum quacunque, quam de communicatione per certa signa, nec signa quævis, sed præcise per vocem eamque articulatam. Enimvero quemadmodum aliis libertatem loquendi libenter concedimus, immo concedere tenemur, nisi nobis nescio quod in eos dominium ex animi non minori arrogantia, quam levitate ac temeritate tribuere libeat; ita quoque aliorum exemplis ut nostrum loquendi modum tueamur, supervacaneum esse judicamus. Quin potius notamus, quoniam loquelam dicere libuit communicationem quamcunque cogitationum nostrarum sive per certa signa, sive sine istis factam, nobis differendum esse de variis tum cogitationum, tum signorum eorundem generibus atque ex harum natura rerum deducendum, quicquid in medium afferetur.

§. 3.

Ut autem cogitationes in sua genera distinguere liceat, quidnam in eorum numerum referri debeat, indicandum prius erit: Dn. des *Cartes* tum in principiis Philosophiæ, tum in Meditationibus suis ostendit, quæcunque nobis conscii in nobis fiunt, ad mentem, quæ vobis insciis in nobis contingunt, ad corpus pertinere Nos una cum ipso priora Cogitationis nomine indigitamus. Cum enim in omni corpore extensionem concipiamus, cogitatio autem omni lineæ incommensurabilis cum extensione nihil prorsus habeat commune, immo probe concipiatur, licet vel maxime ponamus, extensionem nullam dari, substantia cogitans ab extensa longe debet esse diversa & materiæ omnis expers, consequenter, cum substantiam immaterialem omnes spiritum vocemus, ad spititum referendum, quicquid cogitationem quandam includit, h. e. nobis conscis in nobis contingit.

§. 4.

Hactenus quidem demonstravimus, inter mentis cogitationes referendum, quicquid nobis conscii in nobis contingit: haud quaquam tamen concedimus, *mentis* naturam sufficienter explicari, si eam dicamus substantiam omnium, quæ in ipsa fiunt, sibi conscian. Quodsi enim is genuinus fuerit mentis nostræ conceptus,

ex eo deduci poterit, quicquid de mente cognoſcibile, conſequenter cogitationum genera a priori inde eruere licebit. Ipſi enim Dn. *des Cartes* diſcipuli cum Magiſtro ſuo pro veris habentes, quæ clare ac diſtincte cognoſcunt in rerum ideis haberi, principium hoc, *quicquid de re cognoſcitur, id in conceptu ipſius continetur*, tanquam fundamentum inconcuſſum Philoſophiæ ſuæ ſubſternunt, hac in re ſecuti Mathematicos, quorum theoremata ideo ſunt omni exceptione majora, quod nihil admittunt, niſi quod rerum conceptibus comprehenditur. Certe ſpatio trilineo tres tribuunt angulos, quia trium linearum concurſum ad ſpatium aliquod terminandum ſine tribus angulis concipere nequeunt. Tres angulos eſſe æquales duobus rectis affirmant, quia in ſpatio tribus lineis rectis comprehenſo tres duobus rectis æquales, non autem majores, non minores concipiunt. Similiter in Statica atque Mechanica quietem corporum ex ejus cauſa æquilibrio demonſtraturi, ad ſuſpenſionem centri gravitatis conſtanter recurrunt, quia in conceptu centri gravitatis continetur, partes undiquaque circa illud diſpoſitas æquilibrium ſervare. Et quibus methodus inveniendi verum Illuſtris Dn. de *Tſchirnhauſen* innotuit; iis cognitum perſpectumque erit eſſe ipſam nonniſi viam indagandi, quæ in rei uniusque conceptu contineantur. Iam vero utut concipiam ſubſtantiam omnium, quæ in ipſa ſunt fiuntque, ſibi conſciam: inde quidem colligitur, mentem ſe repræſentare ſibi ipſi, non autem ſimul pateſcit, quod ſibi repræſentet res alias, & quaſnam res repræſentatas appetat, quasnam averſetur. Nequit igitur is eſſe genuinus Mentis conceptus. Eſt ſaltem perceptio mentis materialiter non differens a perceptione ignis, coloris aut alterius objecti corporei: unde & interna hæc eorum, quæ in nobis fiunt, conſcientia, more omnium nude perceptorum, verbis deſcribi, & alterius animo his mediantibus ingenerari nequaquam valet.

§. 5.

Enimvero genuinum Mentis conceptum, ex quo omnia de ea cognoſcibilia deducuntur, formaturus confugiat opus eſt ad conceptum Numinis: cum enim mens ſit creatura, natura ejus relationem infert ad naturam creatoris, conſequenter ex hac explicanda venit. A Deo certe producta eſt, a Deo in eſſe ſuo conſervatur:

tur: involvit itaque dependentiam omnimodam a Deo; qui ergo natura ipsius sine natura Numinis concipi poterit? Quoniam vero hæc naturæ Mentis nostræ ex Numinis Creatoris conceptu deductio sua non caret prolixitate, quam instituti nostri ratio in præsenti minime fert, nobisque sufficere potest cogitationum in sua genera a posteriori instituta distributio; laborem istum nostrum non faciemus, tantummodo iudicantes, qua ratione eodem defungi liceat. Colligendæ primo sunt experientiæ circa mentem nostram, quæ meræ quidem Perceptiones existunt, conceptibus tamen detegendis inserviunt, quales sunt e. g. nos eorum, quæ in nobis fiunt, esse conscios; nos cognoscere, appetere, aversari. Mox detegenda erit ex harum perceptionum conditionibus Mentis a Deo dependentia, tandemque ex collatione modo memoratarum perceptionum cum conceptu Numinis Creatoris & Conservatoris facta Mentis natura a priori detegenda.

§. 6.

Quodsi ergo ad nosmetipsos attendentes inter se componimus, quæ nobis conscii in nobis fiunt, ea in duplici differentia constitui deprehendimus. Aliæ cogitationes menti quædam contemplanda repræsentant; aliæ ipsam ad rem repræsentatam vel inclinant, vel ab ea quasi retrahunt. Cogitationes prioris generis ulterius expendentes animadvertimus, earum alias repræsentare res ipsas, alias rerum modos. Utræque vel sunt conceptus mera possibilia continentes, qualis est genesis lineæ per fluxum puncti a termino A ad terminum B: vel sunt perceptiones ope sensuum tam externorum quam internorum, aut alia quacunque ratione productæ. Id vero etiam haud difficulter assequimur, experientia duce, conceptus eodem modo sese habere in omnibus, perceptiones non item. Omnes e. g. eodem modo concipiunt, si recta quædam finita circa alterum sui extremum fixum in orbem feratur, describi circulum; Sapores vero, odores &c. diversa subjecta diversimode afficiunt. Denique perceptiones rerum extra nos positarum requirunt causam aliquam externam, quæ aut de præsenti in organum sensorium agit, aut olim in illud egit, ut excitentur; conceptus non item: adeoque illæ dependentiam a corpore inferunt, hi minime. Cæterum de modis notandum, quod per alios res concipiamus vel esse simpliciter,

pliciter, vel esse tales; per alios autem eas agere aut actionem alterius recipere, atque hos ultimos tempus in conceptu suo includere constanter animadvertamus sive illud fuerit praesens sive praeteritum, sive futurum. In omni etiam intellectus puri conceptu res diversae conjunguntur, & ex conjunctione plurium conceptuum novum quendam mens format; quemadmodum & perceptiones conjungere solet, quae uno eodemque tempore per organa sensoria in ipsa excitatae fuerunt: per quas operationes partim judicium suum exerit, partim ratiocinandi vim exercet. Iudicia de rebus formata cum variis passionibus pro illorum varietate conjungi solent: quamquam istae etiam saepius solarum perceptionum sociae soleant esse.

§. 7.

Varietate cogitationum, quantum quidem ad praesens negotium sufficere potest, expensa; si certis signis eas exprimere libeat, quaenam debeant esse ipsorum conditiones judicari hinc poterit. Antequam vero ex jactis antea fundamentis has deducamus, natura Signorum in genere prius explicanda erit. Vocamus scilicet *signum*, quicquid praeter ideam sui alterius adhuc rei ideam in mente nostra excitat. Quodsi vim ideam hanc secundam excitandi habuerit necessario per naturam suam, dicimus signum naturale: quodsi vero hominum consuetudo eandem ipsi tribuit, artificiale vocamus. Unde in axiomatum numerum referri debet, signa naturalia ideam rei significatae in omnibus promiscue hominibus producere, artificialia contra nonnisi in iis, quibus consuetudo vim significandi signo attribuens innotuit. Hinc consequitur signa naturalia longe praeferenda esse signis artificialibus, excepto eo casu, quo arcani quiddam uni aut paucis significandum.

§. 8.

Enimvero ut distincte cognoscamus, quaenam sint signorum cogitationum nostrarum conditiones, utamur in iis deducendis aliqua similitudine. Fallit enim Logicorum regula non recte intellecta. *Similia non probant, sed illustrant.* Disciplinae certe Mathematicae, puram inprimis Mathesin enodantes, satis superque testantur, vix quicquam majus habere robur ad demonstrandas res abstrusissimas, majusque afferre ad detegendam veritatem latentem adjumentum similitudinibus, non quidem vagis illis Rhetorum & Poëtarum,

tarum, ſed determinatis & in eodem præciſe tertio non analogico, verum proprio convenientibus: cum non ſolum plurima in Matheſi per Triangulorum ſimilitudinem demonſtrentur, verum in ipſa quoque Arithmetica proportionum regulæ ſint totidem methodi veritatem in numeris latentem eruendi, ac in analyſi ſpecioſa ſive Geometria Nova *Carteſii*, quam Algebram vulgo vocant, tantum non ſemper Æquatio ope ſimilitudinis obtineatur, inprimis ſi problema propoſitum iſtam formaliter non continuerit. Iſtiusmodi ſimilitudinem ſuppeditat ipſa Matheſis, & quidem nobilior ejus pars Analyſis ſpecioſa. In ea enim ſolenne eſt, quanta vel data, vel inveſtiganda per litteras alphabeticas imaginationi repræſentare tanquam per ſigna, non naturalia, ſed artificialia, ut facile patet. Dico itaque, quemadmodum ſe habent litteræ alphabeticae ad quanta vel datu, vel analytice inveſtiganda; ſic ſe habere ſigna cogitationum noſtrarum ad ipſas has mentis noſtræ cogitationes. Quin hæc ſimilitudo talis ſit, qualis expetebatur, dubitari nequit, cum non modo adſint quatuor termini, litteræ alphabeticae, & quanta, cogitationes noſtræ mentis & earum ſigna; verum etiam bini & bini eadem idea concipiantur, idem nimirum repræſentationis menti factæ. Sicut enim litteræ alphabeticæ menti repraeſentant quanta; ita cogitationes noſtras earum ſigna eidem repraeſentare debent. Ex hac igitur ſimilitudine conſequitur requiri: 1. ut numerus ſignorum aequetur numero cogitationum; tot enim Analyſis ordinarie aſſumit litteras alphabeticas, quot quæſtio propoſita continet quanta: 2. ut ſigna diſcrimen cogitationum indicent, quemadmodum in Algebra quanta cognita vocantur primis alphabeti litteris *a*, *b*, *c*, &c. incognita ultimis *x*, *y*, *z*, conſequenter tot conſtituantur ſignorum claſſes, quot ſunt claſſes cogitationum differentium: 3. ut ſigna ſimul indicent rerum affinitatem & dependentiam mutuam mutuumque reſpectum, prout in geometria nova quantum non voco *b*, quod ſupponitur eſſe multiplum ipſius *a*, quin potius *ea* vel *ia*, vel *oa*, aut ſi fuerit ut *a* ad *b*, ſic *x* ad quantum alterum incognitum, incognitum alterum non *y*, ſed $\frac{b\,x}{a}$ dicitur.

§. 9.

Alia igitur vi §. 6. & reg. 1. §. 8. Signa conſtituenda ſunt pro cogitationibus, quæ nobis res contemplandas repræſentant, alia pro iis, quæ ad res vel appetendas, vel averſandas nos diſponunt. Vi §. cit. & reg. 2. Signa indicent diſcrimen inter rei modum & rem modificatam. Vi §. cit. & reg. 1. alia ſint ſigna modorum, per quos concipimus res ut tales, alia eorum, per quos concipimus ut agentes aut patientes. Vi §. cit. & reg. 3. Signa indicent diverſum tempus, quod in conceptu rei per actionem aut paſſionem modificatæ includitur, nec non mutuam rerum dependentiam & ſimilitudinem.

§. 10.

Cæterum notari adhuc meretur, quod, cum ſapientiæ ſit via breviſſima ad ſcopum tendere, eligi debeant iſtiuſmodi ſigna, quæ ſunt reliquis & faciliora, ne nimium fatigent loquentem, & brevia, ut cito ſuos communicare liceat conceptus. Ultimum inprimis requiſitum in ſignorum electione negligi non debet, quoniam cogitationes ſunt pernicioſiſſimæ, ut moleſtum accidat loquenti, ubi ſignis iſtarum edendis multum temporis inſumendum eſt ſpatium.

§. 11.

Præmiſſis ſignorum conditionibus, nunc porro diſpiciendum, quot & qualia ſigna ſuppetant, quibus cogitationes noſtras aliis exprimere licet. Ubi notandum, ad hoc, ut cum aliis cogitationes noſtras communicemus, requiri, ut in alterius animo geminas iis, quas nos fovemus, cogitationes excitemus. Ex quo apparet, diſpiciendum hic prius eſſe, an & qua ratione in alterius mentem agere nobis detur. Cum igitur homo conſtet ex Mente & Corpore organico ita ſibi mutuo junctis, ut certæ illius cogitationes cum certis hujus motibus conjungantur, & contraria ratione certi hujus motus certas illius cogitationes ſubſequantur; num mens noſtra in mentem alterius immediate an ſaltem mediate, mediante ſcilicet corpore, an utroque modo agere poſſit, diſquirendum venit. Is enim modus communicandi animi ſui ſenſa eligendus, qui & citiſſimus, & facillimus, ubi prudentiæ partes explere eſt animus. Quodſi jam mentem noſtram conſulamus, quod ipſa ſibi cogitationum ſuarum conſcia exiſtat, clare quidem percipimus; nullus autem apparet

paret modus, quo ſimiles cogitationes in mente alterius excitare valet. Cave tamen dicas, ideo impoſſibile eſſe, ut mens agat in mentem aliam excitando in ea, quas voluerit cogitationes. Nulla enim eſt conſequentia: quorum rerum nullum habemus conceptum, ea ſunt impoſſibilia. Non imposſibilia exiſtunt; ſed ſaltem incognita: cum ea demum pro imposſibilibus haberi debeant, quæ concipi nequeunt, h. e. ad quæ disjungenda ita necesſitamur, ut eadem conjungere nobis ſit imposſibile, prout ſolide demonſtravit Illuſtris Autor Medicinæ mentis part. 2. ſect. 1. p. 42. & 56. &c. Sane hæc duo quam ſæpisſime confundunt longe plurimi, atque hinc multa crepant imposſibilia, quorum tamen posſibilitatem nonnunquam ipſa commonſtrat experientia. Immo non datur præjudicium magis peſtilens, hoc enim imbuti ad negandum animæ immortalitatem, & immaterialitatem, diabolorum & ſpectrorum, immo Numinis ipſius rerum omnium providi rebusque omnibus præſentisſimi exiſtentiam ſine ulla difficultate prolabuntur. Exempla non addimus: lector ipſe colligat. Hactenus igitur nobis incognitum eſſe confitemur, an detur modus quidam, quo mens cogitationes ſuis ſimiles in alterius mente producere valet. Non tamen a noſtra ignorantia ad certitudinis in hac quæſtione obtinendæ imposſibilitatem argumentamur, quod multis ſolenne præjudicium rebus novis detegendis non parum obeſt, aliaque poſt ſe trahit incommoda hic loci non commemoranda: quin potius ſolliciti ſumus de via certitudinis hujus posſibilitatem aut imposſibilitatem detegendi.

§. 12.

Recordamur itaque ex ſuperioribus, conceptum mentis noſtræ præſupponere conceptum creaturæ, qui omnimodam ipſius a Deo dependentiam infert: in ſubſidium itaque conceptus Dei vocandus erit, ut obſcuritas, qua Mentis noſtræ idea involvitur, protinus omnis evaneſcat. Quodſi cum conceptu Dei ideam qua Mentem percipimus, conferre placet, mentem noſtram cogitare & cogitationum ſuarum ſibi conſcium eſſe propter nutum Mentis infinitæ potentisſimum advertimus, eamque ab ipſius arbitrio, non minus ac entia rationis noſtræ a nutu & arbitrio mentis noſtræ, prorſus dependere intelligimus. Atque hinc porro concipimus modum, quo Spiritus unus immediate in alterum agere poſſit.

Deus

Deus definiat opus eſt caſus, in quibus ad voluntatem alicujus Spiritus in Spiritu altero cogitationes cogitationibus volentis ſimiles oriri velit. Non datur, ſi qua datur, alia Spirituum loquela: neque enim aliter Spiritum agere concipimus, quam quod ad ipſius voluntatem ponatur effectus. Hanc vero voluntatem efficaciam ſuam non habere a ſe, ſed a nutu creatoris, vere philoſophantibus plus ſatis patet. Atque hac ratione angelorum loquelam cum Thoma Aquinate explicat Cl. Gürtlerus in Inſtit. Theol. c. 6. §. 47. & 48. p. 110. & 111.

§. 13.

Ex hactenus dictis claret, Spiritum non poſſe agere in Spiritum alium, niſi Deus velit, ut ad prioris voluntatem in poſteriori cogitationes cogitationibus illius reſpondentes oriantur: quare nunc opera danda, ut, quid Deus velit circa mentes humanas, detegamus. Poteſt voluntas divina nobis annoteſcere triplici modo: eam vel ex Dei rerumque creatarum natura a priori deducimus; vel ex effectibus a poſteriori colligimus, vel ex revelatione ſupernaturali cognoſcimus. Primus caſus datur, quoties Deus quid vult vi perfectionum, quas in ipſo concipimus, ita ut, his obſtantibus fieri nequeat, quo velit contrarium: alter obtinet ſemper ſive Deus neceſſario (h. e. ea ratione, quam modo deſcripſimus) aliquid velit, ſive minus neceſſario: tertius denique locum habet, quando Deus non neceſſario vult, ita ut, ſtantibus quas in ipſo concipimus perfectionibus, etiam contrarium velle poſſit. Quinam horum caſuum detur, in ſingulari definire ſæpius difficillimum exiſtit, quoniam frequentiſſime ne rerum quidem creatarum, nedum ipſam creatoris infiniti eſſentiam emetiri licet. Quamobrem imbecillitatis noſtræ memores, quinam in præſenti detur, non determinamus. Cum tamen nobis non ſimus conſcii, quod ad voluntatem noſtram cogitationes noſtræ aliis, aut ad aliorum voluntatem aliorum cogitationes nobis unquam innotuerint; nos non habere facultatem a Numine nobis conceſſam immediate in animam alterius agendi, probabiliſſime, utut non certo, concludimus. Atque hinc apparet, propoſitionem, qua ſimile in aliud ſibi natura ſimile operari poſſe affirmatur, non ab intellectu puro, ſed imaginatione forma-

formatam esse, propterea quod corpus unum alteri per contactum motum imprimere videmus.

§. 14

Non minoris autem difficultatis existit sibi concipere, qua ratione corpus in corpus, quam qua mens in mentem agat. Cum enim in materia præter meram extensionem nil quicquam deprehendamus, nec ullum motus ex uno subjecto in aliud migrantis habeamus conceptum; eadem qua superius ratione, ideæ materiæ obscuritas per conceptum Numinis dispellenda atque ex divino nutu leges motus naturales deducendæ.

§. 15.

Idem prorsus judicandum de modo, quo Spiritus in corpus agit. Commercii inter corpus et mentem esse nequit causa alia, nisi efficacissimus Numinis nutus, quem a posteriori clare satis colligimus. Quodsi enim mentis nutus per se foret tam efficax, ut eum corporis motus subsequerentur, motum sane quemvis producere posset, nec ad certos tantum determinatus esset. Non est, quod hic dicas, per medium aliquod intercedens res dissimiles fieri posse similes, ut in se mutuo agere valeant: quia enim assertionis hujus, simile in sibi simile agere posse, nullitatem ostendimus; eo ipso quoque hanc, quæ fieri poterat, objectionem removimus. Inprimis autem evidens existit, si tale medium, quod inter mentem & corpus similitudinem conciliet, spiritus animales statuamus, hoc ipso nos nihil lucrari; eadem enim remanet difficultas ostendendi, qua ratione mens in materiam subtilissimam agat. Et si vel maxime statuas mentem ipsam esse materiam subtilissimam (quod tamen absonum per §. 3.) dubio te nondum liberas, unde punctula mentis motum sortiantur & quomodo per hunc motum spiritibus animalibus commovendis sufficiant, vi §. 14.

§. 16.

A posteriori etiam colligimus, corpus in mentem nostram agere posse mediantibus organis sensoriis, speciatim quidem lucem per oculos, sonum per aures, sapida per linguam, corpora odorifera per nares & tactilia per pupillas nerveas in cute hinc inde dispersas.

§. 17.

Quoniam itaque mens noſtra in corpus noſtrum agere poteſt, & corpora certis organis juncti cuidam menti corporis mediantibus in mentem dictam; evidens quoque exiſtit, qua ratione mens noſtra in mentem alterius agere queat. Scilicet mens nutu ſuo certos in corpore ipſi unito motus producere debet, ut membra mota per contactum vel immediate, vel mediante aliqua materia in alterius hominis corpore motum quendam producant, cum quo vi articulorum fœderis divina autoritate inter mentem & corpus ſtabiliti perceptio certi generis conſtanter jungitur.

§. 18.

Cum autem vi paulo ante dictorum per organa ſaltem ſenſoria excitetur in mente perceptio; evidens eſt, quod cum altero cogitationes ſuas communicaturus talia eligere debeat ſigna, quibus ſenſus alterius ferire valet. Senſus ante commemoravimus quinque, viſum, auditum, olfactum, guſtum & tactum: diſpiciendum itaque, cujus ſenſus ope facillime omnium cogitationes tuis ſimiles in alterius mente producere liceat. Ubi patet, imprimis hic attendendum eſſe, num aliquis ſenſus ita ſit comparatus, ut, quod ipſum afficit, quandocunque libuerit, producere in noſtra poteſtate ponatur. Is enim ſenſus erit reliquis præferendus. Immo ad loquelam excipiendam aptius erit illud organon, quod e longinquiori diſtantia afficere licet, quam reliqua, quoniam accidere poteſt, ut ex longinquiori intervallo cuidam loquendi neceſſitas nobis injungatur. Nec id prorſus negligendum, quem unica actione in pluribus ſimul ferire poteſt ſenſum, potiori jure in loquelæ negotio reſpiciendum, quam quemcunque alium tale quid minus ferentem, cum haud infrequens eſſe ſoleat caſus, quo multis ſimul utiliter loquimur.

§. 19.

Ex his dictis haud obſcure colligitur, guſtum atque olfactum nullum omnino habere uſum in ordinaria loquela, quoniam in noſtra poteſtate minime poſitum eſſe experimur, ſapores & odores quosvis pro arbitrio in alterius lingua aut naribus producere. Taceo olfactum pariter atque guſtum id inprimis habere incommodi, ut longinquiorem diſtantiam non ſemper admittat. Et licet nullum

ſit

sit dubium saporum atque odorum non minorem quam cogitationum nostrarum esse varietatem; haud exiguæ tamen foret difficultatis cuivis sapori vel odori tanquam signo suam assignare cogitationem significandam & praxis hujus loquelæ tantum non plane desperata ac impossibilis videtur. Utut autem in casibus loquelæ ordinariis non admittantur sensus isti; in casibus tamen extraordinariis, steganologicum quoddam artificium requirentibus, locum habere possunt. Sicut enim alii sapores atque odores nos bene, alii male afficiunt; ita non minus reliqua, quæ nobis obtingunt, omnia nos vel bene vel male afficiunt. Possunt itaque ea, quæ nos bene afficiunt, per odores aut sapores gratos, quæ male, per ingratos significari. Hoc artificio steganologico uti poterat Ionathan Davidi odium patris sui significaturus, si amari quiddam aut saporis ingrati circa dumetum, in quo ipse latebat, deposuisset. Et sane cum diversi sint saporum pariter atque odorum, non minus gratorum, quam ingratorum gradus; possunt hac ratione diversi quoque gradus eorum quæ nos bene & male afficiunt, vel absenti indicari.

§. 20.

Tactus loquelæ similiter in casu ordinario non inservit, tum quia vicinum tibi requirit, cui loqui volueris, tum quia multis simul per tactum vix loqui potueris, tum quia longe difficillimum, forte prorsus impossibile cogitationum differentias omnes superius recensitas mediante hoc sensu alterius menti repræsentare: in casibus tamen extraordinariis nec is prorsus inutilis. Quod enim, ubi occulte alteri quicquam significandum, pacto prævio per tactum fieri possit, ipsis etiam pueris in scholis notum. Nec incongrue forte huc retuleris steganologiam per pulsum arteriarum, quam R. P. Zahn in in oculo artificiali fund. 3. Syntagm. 3. cap. 9. f. m. 607. a se juvene inventam describit, utut, quemadmodum reliqua steganologica artificia fere omnia, modum loquendi & scribendi quendam ordinarium præsupponat.

§. 21.

Visus ad longissima intervalla sese extendit, quo reliquis sensibus pertingere non datur, ipsas enim fixas ultra milliarium Germanicorum 1969400 in omnium minima hypothesi Marii Bettini, Iesuitæ

Bononienſis, aut 1118000 in huic proxima Tychonis, immo 5160000000 in omnium maxima Kepleri diſtantes aſſequitur. Vide Ricciolum in Almag. Nov. part. 1. lib. 6. c. 7. §. 17. f. 419. a. Poterat itaque hic ſenſus vi §. 18. reliquis omnibus præſtantior judicari, cujus miniſterio loquentes utamur. Enimvero cum viſus organum afficere non liceat niſi mediante lumine aut puro, aut modificato (quod poſterius colorum nomine venit) pro arbitrio autem lumen vel producere vel modificare ſub noſtram poteſtatem non cadat, vi cit. §. 18. ad loqelam ordinariam inutilis pronunciandus. Eſt tamen uſus ipſius longe ampliſſimus in caſibus minus ordinariis. Non in præſenti dicam, qua ratione abſentibus longo quidem locorum pariter ac temporum intervallo a nobis ſejunctis viſu mediante animi noſtri ſenſa patefacere liceat, quoniam hoc non ad loquendi, quam ſcribendi actum ſpectat: adſunt talia certe non ignobiliora, quæ commemoranda veniunt. Primum locum ſibi vendicet Dactylogia, qua per digitorum oſtenſionem animi ſenſa alteri patefacimus. Eam veteribus jam cognitam eſſe R. P. Zahn in Oculo Artificiali l. c. f. 608. inde probat, quod Plutarchus, Macrobius, Plinius, Apulejus, Quintilianus, Juvenalis aliique ejus mentionem injecerint, cumque apud recentiores, Schottum inprimis in Schola ſteganographica & Caramuelem varii occurrant modi, duos ex hujus Apparatu Philoſophico lib. 4. n. 253. l. c. recenſet ac Abecedarium juxta ipſius mentem duplicem conſtruit. Prioris conſtructio facillima eſt. Cum enim in utraque manu quinque ſint digiti, adeoque ſi digitos ſiniſtros ducas in dextros, emergat factum in 25; patet, 25 litteras potituras, ſi dextræ manus digitos omnes ſingulis ſiniſtræ digitis ſucceſſive tangas. Et hæc dactylogia non multum abhorret a vetuſta illa computandi ratione, quæ vario digitorum flexu peragitur, quamque Venerabilis Beda in Volumine de temporibus & natura rerum ab interitu vindicatam loquelam digitorum vocat, & ex eo in compendio recenſitam ſchematiſmo illuſtrat Ioh. Noviomagus de Numeris lib. 1. cap. 13. & 14. Poſterioris conſtructio, quia paucis verbis vix diſtincte ſatis proponitur, apud ipſum Auctorem aut Zahnium l. c. evolvenda. Porro commendandæ ſunt cryptologiæ opticæ, quales Schottus in Magia Naturali part. 4. lib. 1. & in Schola ſteganographica claſſ. 8. c. 16. plures recenſet. Inprimis autem curioſa

rioſa eſt ea, quam idem ab amico quodam ſibi communicatam deſcribit in Technica curioſa lib. 7. c. 6. §. 3. p. 544. 546. quoniam eſt motus certiſſimus (ipſius Schotti verba recito) intra duas ad ſummum horas ad longiſſimam diſtantiam, v. gr. e Germania Romam ſenſum aliquem brevem communicandi. Gemina huic eſt, quam Franciſcus Tertius de Lanis, cum Brixiæ Philoſophiam profiteretur: commentus in Magiſterio Naturæ & Artis Tract. 3. lib. 5. de motu penduli c. 3. prob. 11. expoſuit. Brevitati ſtudentes ea exſcribere nolumus, quæ pleraque omnia ex citatis Autoribus, retentis ut plurimum ipſorum verbis excerpta in unum cumulum congeſſit ſæpe laudatus Zahn l. c. Quin potius indicamus clavem, qua nonſolum pleraque Autorum inventa referantur, ſed & iis geminæ uſuique magis accommodatæ ſteganologiæ tum opticæ, tum acuſticæ, tum aliæ quæcunque aperiuntur. Supponitur nimirum 1) modus loquendi per voces, quo ordinarie utimur, ſcribendique per litteras alphabeticas. 2) Litteræ ſignificantur per numeros, ut adeo in conſtructionem alicujus tabellæ conſentire cogantur cryptologi. 3) Locuturi debent eſſe conſtituti in locis, e quorum uno ad alterum recta duci poteſt, ut adeo, cum radii lucis per lineas rectas propagentur, reciprocus obtineatur proſpectus aut tanto intervallo diſſitis, ut ſonus in uno editus in altero clare adhuc percipiatur. 4) Numeri litteras ſignificantes per motum alicujus corporis toties iteratum, quoties unitas continetur in numero iſto, indicantur. 5) Ut conſtet, quando littera finiatur, oſtendendum erit aliquod ſignum. Sic. v. gr. cum amico in conclavi contiguo ſedenti ope tintinabuli, cujus pulſus ſine mora repetiti eidem litteræ dicantur, loqueris. Si quis e regione ædificii tui habitaverit, cum eo verba miſcebis candelam accenſam in tenebris, corpus aliud quodcunque in luce diurna feneſtræ nunc admovendo, nunc ab eadem removendo. In iisdem regulis continetur ſteganologia per pulſum arteriarum ſuperius §. 17. indigitata. Negari tamen non poteſt, dari ſteganologias Catoptricas & Dioptricas, quas illæ non complectuntur. Talis eſt quam nobis dedit Harsdorfferus in Deliciis Mathematicis lib. 2. p. 246. talis etiam eſt, quam Kolhanſius in Tract. Optic. lib. 1. part. 3. theor. 4. p. 57. recenſet. Enimvero non ſteganologiis ſolum commode inſervit viſus; quin dantur quo-

que cogitationes innumeræ, quæ nonniſi per ſolum viſum prima vice cum altero communicantur. De perceptionibus loquor, h. e. iis ideis aut, (ut cum Cl. de la Forge commodius loquar) ſpeciebus corporeis immediate a ſenſibus aut imaginatione dependentibus, quas verbis in altero excitare fruſtra conaris: prout inferius a priori demonſtrabitur.

§. 22.

Reſtat ex ſenſibus Auditus, quem non ſine benigna Numinis providi directione gentes omnes ævo omni loquelæ dicarunt. Habet enim is omnia requiſita, quæ §. 18. recenſuimus. Organum ipſius non modo e loginquiori intervallo, ſed & in plurimis undiquaque circa nos poſitis ſimul affici poteſt, nec potentiæ vires excedit ſonos excitare infinitis modis variantes, quorum varietates nonſolum diſtincte admodum perceptibiles exiſtunt, verum etiam omnes cogitationum varietates apte exprimunt, prout ipſa loquitur experientia.

§. 23.

Sonis iſtis excitandis plurima corporis noſtri organa deſtinantur, quæ non incongrue in organa vocis & organa modificationis vocis ſeu ſoni articulati atque diſtincti diſtinguuntur, priora vero in mediata & immediata ſubdiſtinguuntur. Certum enim eſt ad vocis geneſin concurrere reſpirationem: organa itaque reſpirationis vocamus organa vocis mediata. Sunt autem organa vocis mediata pulmones cum bronchiis, coſtæ cum muſculis intercoſtalibus, diaphragma cum plerisque muſculis abdominis & denique arteria aſpera. Immediatum eſt larynx. Organa tandem modificantia ſunt, præter internam oris cavitatem nariumque in fauces aperturam, lingua cum oſſe hyoide, uvula, maxillæ, dentes atque labia. Horum omnium deſcriptiones ex Anatomicorum ſcriptis huc transferre minus neceſſarium ducimus.

§. 24.

Agedum itaque oſtendamus, qua ratione ope organorum jam enumeratorum tum vox formetur, tum formata modificetur. Primum quod attinet, ante omnia obſervandum, duos dari reſpirationis actus, alterum inſpirationis, alterum exſpirationis: & loquelam fieri in hoc, nequaquam in iſto. Scilicet, ſi muſculi intercoſtales inter-

interni non minus, quam externi conſtringuntur, ut coſtæ inferiores ad ſuperiores propius accedentes una cum ſterno extrorſum eleventur, & diaphragma fibris ſuis contractis verſus abdomen tendens in eo contenta viſcera deorſum trudit, conſequenter thorax capacior evadit & pectoris cavitas ampliatur; elaſticæ aëris machinulæ in veſiculis pulmonalibus expanduntur pulmoneſque extendunt, donec thoracis cavitatem expleant, cumque expanſæ minus reſiſtant aëri compreſſo externo, eidem per nares & os in tracheam & inde in pulmones irruendi occaſionem ſuppeditant. Ceſſante autem muſculorum intercoſtalium & fibrarum diaphragmatis actione, & coſtæ in ſitum priſtinum reſiliunt, & diaphragma verſus thoracis anteriora relabitur, conſequenter cum thorax rurſus coarctetur & pulmones comprimantur, aër ex parte rurſus exprimitur. Aër ſic exſpiratus, quem ſpiritum vocamus, minime ſonorus eſt, ut autem ſonorus fiat, conciliandus ipſi motus tremulus, cum per motum aëris tremulum ſonus in eſſe ſuo conſtituatur. Motum iſtum tremulum ſpiritus in vocem abiens accipit per tremorem laryngis, ipſis digitis palpabilem inter loquendum: quem poteſtati noſtræ ita ſubjectum experimur, ut eum pro lubitu excitare ac cohibere valeamus, clare enim multis locuturi laryngem tremere facimus; aſt ſubmiſſa verba facturi, tremorem fere præcavemus. Quomodo vero larynx tremefiat, ex ipſius fabrica ita deducit Ammannus in diſſertat. de Loquela c. 1. p. 24 — 27, quod muſculi ejus in cartilagines ejusdem agentes ab eorum renitentia ſuperentur, iſti autem repetito impetu eandem rurſus ſuperent, ex quo motus tremulus laryngi concilietur, qui ſpiritui per conſtrictam glottidem prorumpenti communicatur. Prout ergo glottis magis minuſve conſtringitur, vox quoque acutior graviorve erit: unde cum in junioribus rimula laryngis ſit ordinarie auguſtior, quam in adultioribus, in iſtis quoque vox debet eſſe acutior, gravior in hiſce.

§. 25.

Vox emiſſa modificatur primo per ſolam oris aperturam variantem, ſicque modificata vocalium nomen ſubit: dein porro mutationes patitur alias, quando conjungitur cum ſpiritu linguæ, palati, dentium, labiorum aliorumque ſuperius memoratorum organorum miniſterio modificato, qui conſonantium nomen ſortitur, ideo

ideo per se non perceptibilium, nisi vocalibus associentur, quia eorum materia non est sonora. Singularum vocalium & consonantium genesin ut hic exponamus, non consultum judicamus: Sed talium cupidos ad Ammannum loc. cit. c. 2. p. 52-79. & R. P. Lamy in libello elegantissimo, cui titulus: L' Art de parler, lib. 2. c. 2. p. m. 160. 161. & c. 4. p. 169-174. relegamus.

§. 26.

Facile autem concipimus, quod organorum quorundam defectus aut vitiatio necessario vitium pariat sermonis: quodsi enim vitietur organum vocis aliquod, ea non perfecte poterit formari; si vitietur organum modificationis, ea non rite modificabitur; si vitietur organum respirationis, ut ea non rite procedat, vox, quæ emittitur, interrumpatur nonnunquam necesse est. Inter organa modificantia retulimus quoque linguam, quam utut vulgus pro unico loquelæ instrumento habeat, eo quod ipsius motum inter loquendum præcipue advertit, minime tamen necessarium esse suadere videtur experientia. Sub initium enim superioris seculi hominem aluit Gallia qui lingua carens omnes nihilominus alphabeti litteras pronunciavit. Veritatem facti ab oculatis testibus sibi confirmatam profitetur *Johannes Claubergius* in Theoria corporum viventium c. 35. §. 882. p. m. 341. At vero quamdiu nobis non constat, an reliquorum organorum constructio a nostris fuerit diversa (quod tamen probabile videtur, cum ordinarie multum linguæ experiamur usum in vocalibus modificandis, quo in consonantes abeant) nihil inde certi concluditur.

§. 27.

Hactenus de formatione vocum: agendum nunc quoque de earum propagatione. Cum vero sermo sit sonus modificatus vi eorum, quæ hactenus dicta sunt; ejus propagatio ex propagatione soni cujuscunque manifesta erit. Facillime concipitur in hypothesi eorum, qui sonum pro vorticibus aëris tremuli habent. Quodsi enim collisio corporum sonororum producit vortices æthæreos iis simillimos, quos lapillus aquæ injectus excitat in unda; evidens est, vocem loquentis versus plagas omnes exporrigi debere, nec sine aliqua mora ad spatia distantia pervenire, imo quo ulterius pergat, eo fieri remissiorem, donec sensim sensimque prorsus cesset. Enim-

vero

vero iſtiusmodi ſermonis propagatio non tuto aſſeritur, niſi prius conſtiterit, an tales vortices aëris natura ferat. Haud ſane immerito dubitant Perrault & Franciſcus Tertius de Lanis, cum vortices in ſuperficie aquæ propter incumbentem aërem leviorem contingant, haud vero in profunditate aquarum. Tutius ſtatuimus, poſtquam larynx aëri ex pulmonibus per tracheam expirato & per glottidem conſtrictam prorumpenti motum tremulum communicavit, eundem quoque ex ore egreſſum per mutuum contactum particulis aëris ſibi vicinis ſimilem communicare, & has denuo aliis ſibi contiguis, donec ad inſigne ſpatium radii phonici hac ratione quaquaverſum fuerint diffuſi. Cum igitur particula unaquæque tremens tremere faciat tum a latere, tum ante, tum ſupra, tum infra ſe poſitam; Sermonis in omnes plagas delatio manifeſta erit. Quoniam vero tremor unius particulæ non differt a tremore alterius niſi gradu, cum per leges motus naturales corpus in alterum impingens partem motus ſui amittat, adeoque, quo longius machinulæ aëreæ ab ore loquentis diſtant, eo minus tremant, donec tandem prorſus tremere deſinant: ad omnium aures verba integra perveniant neceſſe eſt, ſenſim tamen ſenſimque langueſcentia. Quodſi contingat, concionatorem in æquali velocitate & claritate verba proferre; tunc in priori caſu ultimæ ſyllabæ voceſque prius ad longinquum penetrabunt intervallum primis, in poſteriori minus clara ad majorem diſtantiam non pertingent, conſequenter diſtincte haud quaquam percipietur ſermo loquentis. Et quoniam aër pondere ſuo nititur deorſum, machinulæ ipſius tremulæ ſurſum nitentes ſuperiorum renitentiam experiuntur, ut earum impetus per impetum contrarium deorſum nitentium cito elidatur: unde vox loquentis difficilius elevatur ſurſum, quam defertur deorſum.

§. 28.

Aër tremulus in aurem incidens & per iteratas in meatu auditorio reflexiones ſimiles propemodum iis, quos Cl. *Sturmius* Colleg. Curioſ. part. 2. Tent. 8. concl. 3. p. 160. & ſeqq. in tubis ſtentoreo-phonicis fieri demonſtrat, invaleſcens, tympani membranam concutit, aërique in iſto contento, mediantibus inſuper mallei, incudis, atque ſtapedis vibrationibus, tremorem imprimit, qui eandem, quem habebat exterior, motum tremulum nactus verſus fe-

neſtellas, rotundam atque ovalem, tendit, ac utique præfixam membranulam feriens aërem in labyrinthi cavitatibus contentum tremulum reddit, nervique auditorii ramulis, quorum bini in veſtibuli ac canalis ſemicircularis gyros explicantur, tertius in cochleæ apicem terminatur (ut habet Magn. Dn. D. *Bohn* in Circulo p. 407.) tremorem tandem communicantem. Hunc a Spiritus animalibus ad cerebrum dalatum, juxta articulos fœderis nutu divino inter mentem & corpus ſtabiliti, pro illius diverſitate diverſæ ſubſequuntur in mente perceptiones, quas verba vocare ſolemus & per præjudicium vulgus ex ore loquentis emanare putat.

§. 29.

Jam eam experimur mentis noſtræ rationem, ut, ſi quæ aliquoties conjunctim excitatæ fuerint perceptiones & earum poſtea una producatur, ſimul oriatur & altera. Rationem a priori reddere non juvat; legat, qui vult. Cl. *Malebranche* in Tract. Gall. cui tit. La Recherche de la veritè Tom. I. lib. 2. part. 2. cap. 3. pag. 191. & ſeqq. Inde autem claret, qua ratione linguam vernaculam addiſcamus aliasque exoticas. Quodſi ſcilicet ad conſpectum rei, v. gr. navis, audimus vocem, per quam iſta ſignificatur, perceptiones rei atque vocis ſimul in mente producuntur. Iterata itaque aliquoties ſimultanea perceptionum harum productione, ad auditum vocis perceptio rei, ad conſpectum rei perceptio vocis renovari debet. Sic omnino linguæ vernaculæ ſenſum aſſequi nobis datum. In linguis exoticis addiſcendis paulo aliter procedere vulgo ſolemus, perceptiones vocum non immediate cum perceptionibus rerum, ſed cum perceptionibus vocum vernaculæ easdem cum iſtis res ſignificantium ligantes. Atque hinc in addiſcendis juxta communem methodum linguis exoticis difficultatem nobis ſuboriri ſentimus, quia tres perceptiones una producendæ, ſi earum una excitetur: ut cauſas alias ſilentio præteream.

§. 30.

Hactenus dicta ulterius meditantes deprehendimus, quod vocum genuinum valorem, quem uſus ipſis tribuit, indagaturis conſiderandum ſit, quasnam mens perſentiſcat perceptiones, quoties vox aliqua adhibetur. Conflatæ autem ex perceptionum harum conjunctione definitiones erunt ſaltem nominales, non reales, ad evitan-

evitandam vocum & sub iis comprehensarum rerum confusionem conducentes, minime animum ad ipsarum rerum naturam intimius cognoscendam deducentes.

§. 31.

Hoc qui non attendunt male sibi persuadent, se rerum naturas pervestigasse, ubi edisserere noverint, quibusnam perceptionibus vox aliqua tribui soleat. Quo minus autem errorem suum advertant, in causa potissimum est, quod multa, quæ percipiuntur, optime simul concipiantur, ut adeo sensuum ope naturam eorum perscrutari liceat. Vel unicum exemplum lucem affundet clarissimam. Natura horologii, tanquam machinæ, in rotularum rite fabricatarum reliquarumque partium dispositione consistit. Eam vero sensibus patere liquet, ut adeo non percipiatur solum, verum etiam concipiatur. Simili prorsus ratione sensus ad fabricam corporis nostri concipiendam nos deducunt. Ex eodem fonte promanat pernicioſissimus error, quod, ad conspectum quarundam actionum hujus vel istius nomen audientes, opinentur, memoratas actiones dictæ virtutis naturam absolvere.

§. 32.

Disseruimus huc usque de modo, quo vocabula rerum materialium addiscimus; nunc porro addendum, qua ratione significationem res immateriales significantium doceamur. Notandum itaque res immateriales esse duplicis generis, aut enim conjunguntur cum rebus sensibilibus, aut non. Prioris generis sunt passiones eæque affectiones mentis nostræ, quæ per motus corporis sese exerunt. Posterioris generis sunt conceptus intellectus & desideria voluntatis, verbo omnes actus immanentes. Signa priorum nobis familiaria fiunt, quando istorum perceptio cum perceptionibus eorum, quæ in corpore fiunt, conjungitur, e. gr. vox amoris nobis innotuit actus, quibus amantes affectum produnt, videntibus. Vocabulum boni cognovimus actus hominis boni observantes. Quod autem signa rerum immaterialium posterioris generis concernit, ea nobis nota fieri nequeunt, nisi notitiam vocum res materiales & immateriales prioris generis denotantium, adeoque sermonis quendam usum præsupponamus: postquam enim iis, quorum sumus conscii, nomina certa imposuimus, ope vocabulorum jam ante cognito-

gnitorum illa cum aliis communicare poſſumus. Ita e. gr. notis jamdum exiſtentibus vocabulis *omne* & *facere*, vocis *Dei* ſignificatum alteri exponere licet.

§. 33.

Cum igitur hac ratione loqui diſcamus, ratio in promtu eſt, cur a nativitate ſurdi ſint quoque muti. Iis tamen non denegari omnem ſermonis uſum, modo ſit, qui moleſtias inſtitutionis non ſubterfugiat, non eſt quod dubitemus. Ut enim quis loquatur, duo inprimis per ſuperiora requiruntur. Spiritus reddendus eſt ſonorus, ſonorus vero redditus diverſimode modificandus. Cum ſpiritum ſonorum reddat motus tremulus laryngis, ipſis digitis palpandus; vocem edituri ſurdi digitus primo applicandus laryngi trementi loquentis & dein laryngi muti, ut vocem edere conatus edat tandem ex voto. Et quoniam litteræ ſunt vox modificata per diverſorum organorum diverſos motus oculis obſervabiles, ad has ſurdus reſpiciens obſervatas non ſine ſucceſſu imitari poteſt. Rem feliciter ſuccedere praxis celeberrimi Walliſii & ſupra laudati Ammanni docet, quorum ille methodum pro mutis ſurdisque informandis in Tractatu Grammatico-Phyſico de Loquela: hic loc. cit. c. 3. exponit, uterque ſurdos natos loqui felici ſucceſſu docuit.

§. 34.

Mirun autem videri poterat, quod, cum vocabula ſint ſigna immediata perceptionum noſtrarum, eorum tamen miniſterio nulla alterius animo ingeneretur perceptio, qualem occaſione alicujus objecti nondum habuit, ſed ſoli conceptus ſolis verbis cum aliis communicentur. Enimvero rationem haud difficulter reddemus. Cum ſcilicet nec motus fibrillis nerveis impreſſus & ad cerebrum uſque continuatus perceptionibus producendis ſufficiat, quoniam nullo modo concipi poteſt, qua ratione materia motu ſuo cogitationes gignat, nec mens iſtis motibus nutu ſuo perceptiones jungat, cæteroquin pro ipſius arbitrio mutandas; cauſa earum potens Numinis nutus erit. Quoniam itaque Deus cum his præciſe motibus has & non alias oriri voluit perceptiones; motus autem fibrillarum nervearum, quos verborum ſonus efficit, longe ſint diverſi ab iis, quos objecta ipſa imprimunt, cum iſtis quoque conjungi nequeunt, ſed requiritur hoc in caſu, ut aut objecta ipſa, aut eorum

rum ſimulacra oculo ſiſtantur præſentia. Nequaquam vero inde colligere licet, Matheſin colere idola imaginationis, h. e. cultores ſuos lactare cognitione ſenſuali, quia ſine ſchematiſmorum exhibitione doceri nequit; ſchematiſmi namque ſunt tantum ſigna, ſub quibus conceptus intellectus puri imaginationi repræſentamus, ne extravagationibus ipſi ſolennibus eos turbet. Poſſunt autem conceptus Geometrici per ſigna imaginationi exhiberi, quia a rebus materialibus ſunt abſtracti.

§. 35.

Quod voces ſint talia ſigna, qualia ad ſignificandas cogitationes noſtras requiruntur vi §. 9; vel nuda Grammatices inſpectio ſufficienter docet. Apparent ibi ſigna rerum, *Nomina*; ſigna rerum abſolute ſpectatarum & modorum, per quos res concipimus, ut tales, *Subſtantiva*; ſigna rerum modificatarum, *Adjectiva*; ſigna modorum, per quos res concipimus ut agentes, *Verba activa*; ſigna modorum, per quos eas concipimus, ut actionem recipientes, *Verba paſſiva*. Nomina ſubſtantiva & adjectiva exprimunt rerum diverſos reſpectus per Caſus & modificationis quantitatem per Gradus: exprimunt rerum mutuam dependentiam per vocabulorum *Derivationes* & *Compoſitiones*. Verba diverſum tempus indigitant per diverſam mutationem, quam Verborum Tempora præcipiunt; ſimiliter per terminationis mutationem diverſas *Perſonas Numeroſque* agentium aut patientium indicant. Nexum denique & ſimilitudinem rerum indicant particulæ, quæ *Adverbiorum, Propoſitionum* & *Conjunctionum* nomine Grammaticis veniunt: paſſiones animi Interjectiones produnt. Plura non addemus, cum hanc doctrinam jam ante nos exantlaverint cum laude Anonymus Autor libelli Gallici, cui titulus: Grammaire generale & raiſonnée, & ſupra laudatus Lamy loc. cit. lib. 1. c. 6. 7. & 9. p. 21. & ſeqq.

§. 36.

Poſtquam cogitationes noſtras ſignis iſtis ſemel alligavimus, non exiguam experimur difficultatem ſine verbis meditaturi: ut multi ſibi perſuadeant, ſe plane nihil cogitaſſe, quando cogitationes ſuas nullis verbis alligarunt. Atque inde contingit, ut inter meditandum clauſo ore ſubmiſſa quam maxime voce nobiſmet ipſis loquamur. Quoniam itaque per expirationem aëris & pulmonibus per

tracheam prorumpentis voces formare conamur; cogitationes nobis ex corde procedere videntur. Hoc ipso præjudicio occupati nonnulli animæ sedem cor asignarunt, cum tamen pro certissimo haberi debeat, mentem nostram illocalem corpori in cerebro præsidere. Nequaquam autem dicere convenit, Scripturam sacram ad hunc errorem vulgi respicere, quando cogitationes ex corde procedere asserit & cor pro mente ponit. Ubi enim cogitationes ex corde procedere asserit, sermo ipsi potissimum est de cogitationibus moralitatem involventibus: quarum causæ ut plurimum sunt affectus, in quibus excitandis cordis non postremas esse partes aliunde notum esse supponimus.

§. 37.

Quæri solet, an constrúi queat Machina loquens. Qui quæstionem affirmant ex mente sæpius citati Lamy loc. cit. lib. 3. c. 1. p. 155. 157 non perpendunt, consonantes esse Spiritum modificatum nec adeo audiri nisi cum voce modificata h. e. vocalibus conjungantur. Fac itaque organum quoddam pnevmaticum, cujus unus canalis sonet *a* alter *be*; jam sonus horum si conjungatur, non erit *ba*, sed *bea*. Ergo impossibile est, ut organum hoc ex 24. canalibus compositum sonet *ba* vel *ab*. Quodsi tot constitui jubeas canales, quot dantur vocalium & consonantium possibiles conjunctiones; nimia canalium compositio artificis operam eludet, ceu patet per leges combinatorias ap. R. P. Lamy, denuo cum laude commemorandum, en Traité de la grandeur lib. 2. Sect. 4. c. 1. p. 139. & seqq. in compendio expositas. Ita quidem organi pnevmatici loquentis impossibilitas demonstrata fuit; an vero omnis machina loquens sit impossibilis hactenus demonstratum non est. Dedecet autem Philosophum a propria & aliorum ignorantia ad impossibilitatem rei concludere, cum aut arrogantiæ, aut nimiæ in alios confidentiæ certissimum signum existat, quod utrumque a Philosopho procul absit vitium. Probe autem notari meretur, de constructione machinæ loquentis loquentibus sermonem esse non de machina, quæ habet principium motus in se; sed quæ requirit principium quoddam dirigens externum, idque rationale, nisi semper eadem verba repetere debeat.

§. 38.

§. 38.

Quinam possit machinæ loquentis dari usus, frustra fortasis disquiritur, ipsius possibilitate nondum ostensa. De loquelæ autem usu rectius solliciti annotamus, eum esse longe amplissimum. Innumeros fere casus, quibus cogitationes nostras cum aliis utiliter communicamus, experientia loquitur. Talibus igitur recensendis non commorabimur, observantes potius, loquelam non solum utilem, sed & maxime necessariam esse. Cum enim per principia moralia constet, rectorem hujus universi voluisse, ut homo aliorum conservationi & perfectioni consulendo naturæ propriæ conservationem & perfectionem quærat; necessarium utique esse, ut suas cogitationes aliis significare valeat, nemo non, me tacente, intelligit. Qualis, quæso, dabitur societas mutuæ saluti prospiciens sine sermonis commercio? hinc male agere consequitur, omnes ac censuram rectoris incurrere, qui sibi non aliis loquuntur, sermonis usum ad amplificandam famam opumque vim sibi concessam turpiter somniantes. Quoniam autem per eadem principia moralia finis omnium nostrarum actionum ultimus illustratio gloriæ divinæ constituendus, in enarrandis Numinis sapientissimi, potentissimi, omnipræsentis & benignissimi laudibus lingua utilissimam collocat operam, nos non minus, quam alios exhilaratura. A. M. D. G.

Num. IV.

Dissertatio Algebraica de Algorithmo infinitesimali differentiali, quam Gratioso indultu Amplissimi Philosophorum Ordinis in Academia Lipsiensi pro Loco in eodem obtinendo postrema vice disputaturus publico Eruditorum examini in Auditorio Majori ad d. xx. Decembr. A. O. R. MDCCIV. submittet

M. *Christianus Wolfius*,
Uratislaviensis.

Lipsiæ, Typis Christiani Gœtzii

Differ-

Dissertationis Algebraicæ De Algorithmo Differentiali

CAPUT I.

De Natura infinitesimarum, primis Algorithmi differentialis fundamentis.

§. 1.

Quantitates augeri & minui posse concipimus: nullum vero augendi & minuendi terminum concipimus. Quantitatem igitur omni assignabili majorem vocamus *Infinitam*; omni assignabili minorem *Infinitesimam*. Inter infinitam & infinitesimam interjacet *Finita*, sola imaginationis humanæ limites non excedens, quæ & *data*, *ordinaria*, *assignabilis* audire solet. Liquet autem quantitatem infinite parvam oriri, si finita per infinitam dividatur. Quamobrem *Bernhardus Nieuwentiit* infinitesimam exprimit per fractionem, cujus Denominator est quantitas infinita, Numerator finita e. gr. Sit finita b, infinita m; erit infinitesima $\frac{b}{m}$ seu $\frac{b}{m}$.

§. 2.

Hanc Quantitatum in infinitum divisibilitatem cum vel sola incommensurabilium doctrina sufficienter adstruat; eidem demonstrandæ non immorabimur: quin potius notamus, id quod prorsus mirabile existit, ipsas infinitesimas in infinitum denuo esse divisibiles. Dantur enim Quantitates, ad quas infinitesimæ se habent ut ordinaria ad infinitesimam h. e. infinitum ad infinite parvum. Fig. 33. Quod *ex Elementis* sic demonstro: Sit chorda BC Diametro AB infinite propinqua, erit arcus AC infinite parvus, cumque subtensa AC ab arcu cognomine infinite parvo parum aut nihil differat, erit & ipsa respectu Diametri AB infinite parva. Sed *per 8. Elem. 6.* ∴ AB. AC. AD. Est autem per hypothesin AB ad AC, ut quantitas infinite magna ad infinite parvam: ergo & AC, quæ infinities continetur

netur in AB, infinities continet ipſam AD, conſequenter infiniteſima AC eſt diviſibilis in infinitum. Q. e. d.

§. 3.

Eædem infiniteſimæ inter ſe eſſe poſſunt in ratione Finitarum. Fig. 34. Sit enim Curva quæcunque ABGC, ſint applicatæ BF & GI infinite propinquæ, erit IF infiniteſima ipſius AF & GH infiniteſima ipſius BF. Curvæ portio BG infinite parva poterit haberi pro linea recta, adeoque ſpatium mixtilineum GBH pro △ rectilineo. Tangat KM curvam in B, ducaturque ex puncto contactus normalis BE occurrens axi curvæ AD in E. Erunt △△ GBH & HBL ſimilia, *per 8. Elem. 6.* Sed cum verticales ad L ſibi mutuo æquentur, *per 15. Elem. 1.* ad H & I ſint recti, *per hypoth.* etiam tertius HBL æquabitur tertio LEI, *per 32. Elem. 1.* conſequenter △△ HBL & LIE inter ſe ſimilia, *per 5. Elem. 6.* Similia igitur & ſunt △△ GBH & LIE, & quoniam △ LEI ſimile exiſtit ipſi EBF, *per 2. Elem. cit.* ipſa quoque GBH & BEF ſimilia erunt. Erit adeo BH. GH. :: BF. FE, h. e. infiniteſima ad infiniteſimam ut finita ad finitam. Q. e. d. Hinc colligimus, ab æquatione infiniteſimali dari regreſſum ad finitam, quotiescunque iſta in ſimilem analogiam reſolvi poteſt.

§. 4.

Quoniam infiniteſima infinities ſumenda, antequam datam adæquat, cujus pars infinite parva exiſtit, ejus neglectus producet errorem infinite parvum, h. e. omni aſſignabili minorem, conſequenter nihil obſtat, quo minus in calculo Analytico pro nihilo habeatur reſpectu datæ: ſimilique prorſus ratione oſtendo infiniteſimam infiniteſimæ reſpectu infiniteſimæ, quam infinities ſumta adæquat, nihil inſtar habendam. Concedit poſterius *Nieuwentiit*; prius negat tum in *Conſiderationibus calculi differentialis, tum in Analyſi Infinitorum.* Sed dubiis ejus dudum exactiſſime reſpondit *Illuſtris Autor calculi differentialis in Actis Eruditorum Lipſienſibus anni 1693. p. 310. 369.*

§. 5.

Hinc ulterius conſequitur ſi ad quantitatem datam infiniteſima addatur, aut ab eadem ſubtrahatur, iſtam tam parum mutari, ut pro immutata haberi poſſit: quod eſt principium fœcundiſſimum per omnem Arithmeticam infinitorum. Uſum ejus unico exemplo

illuſtrabo, problemate nempe ſequenti: *Invenire ſummam ſeriei infinitarum fractionum, in quibus Numerator communis a Denominatore termini primi deficit quantitate data, Denominatores vero creſcunt in ratione data.* Sit differentia inter Numeratorem communem & Denominatorem primum $= y$, exponens rationis inter Denominatores obtinentis $= e$ Denominator primus $= a$ erit Numerator communis $= a - y$ terminus primus $= \frac{a - y}{a}$, conſequenter ultimus $= a - y : e^{n-1}$ a differentia primi & ultimi $= \frac{a - y - a + y}{a} :$ $e^{n-1} a = a - y : a$, *per theorema noſtrum.* Unde ex natura Progreſſionis Geometricæ Summa Progreſſionis quæſita $a - y : ea - a + a - y : a$, $= ea - ey : ea - a$, h. e. *æquatur facto ex Numeratore communi in exponentem Rationis Denominatorum per differentiam Denominatoris primi a ſecundo diviſo.*

§. 6.

Immo ex eodem capite, quod infiniteſimæ infinities ſumtæ Quantitatem ordinariam demum producant, liquet, quod, ſi aliquot ſibi mutuo addantur, aut una ex altera ſubducatur, ibi aggregatum, hic differentia ſit infiniteſima. Non autem repugnare infiniteſimarum naturæ, ut una altera ſit minor, conſequenter ab ea auferri poſſit, ex §. 3. manifeſtum eſt.

§. 7.

Si infiniteſima per infiniteſimam multiplicetur, productum erit infiniteſimæ infiniteſima. Sint enim factores infiniteſimales A & B erit 1. A :: B. A x B, *per def. 15. Elem. 7.* Sed 1 reſpectu infiniteſimæ A eſt infinita, ergo & B reſpectu ipſius A x B, conſequenter A x B eſt infiniteſima, atque intuitu factorum A & B æquivalet nihilo, *vi* §. 4. Inde fluit hoc corollarium: infiniteſimarum Potentias eſſe ſuarum radicum infiniteſimas.

§. 8.

Si infiniteſima per infiniteſimam dividatur quotus erit quantitas ordinaria. Sit dividenda A, dividens B, erit B. A :: 1. A : B,

per

per def. 15. Elem. 7. Ergo & alternando B. 1 :: A. A : B, *per 16. Elem. 5.* Sed 1 respectu B infinita; Ergo & A : B respectu ipsius A, consequenter cum A sit infinitesima, A : B erit quantitas ordinaria. Divisor itaque & dividendus in divisione infinitesimarum per infinitesimas respectu quoti æquivalet nihilo, *vi* §. 4.

§. 9.

Quodsi infinitesimas spectemus ut differentias quantitatum finitarum, e. gr. BH abscissarum AF, AI aut GH semiordinatarum BF, GI; prodibit *calculus* Illustris Leibnitii *differentialis:* si ut differentiarum (seu infinitesimarum) differentias, prodibit ejusdem *calculus differentio-differentialis.* Ut adeo *differentia infinitesimalis* sit pars omni assignabili minor, qua quantitas ordinaria ordinariam excedit: *differentio-differentia* pars omni assignabili minor, qua differentia aliqua infinitesimalis aliam superat. Ex quo facile intelligitur, quid sint *differentiæ tertiæ, quartæ* &c. Fig. 34

§. 10.

Ut symbola infinitesimarum capiamus, notandum est, Algorithmum differentialem adhiberi, ubi quantitates aliquæ continuo vel augentur, vel minuuntur, dum aliæ semper eædem manent: id quod in genesi *Curvarum* contingere solet, in quibus *Parameter* semper idem manet, dum *Abscissæ* & *Applicatæ* continuo mutantur. Quantitates continui augmenti vel decrementi capaces *Variabiles;* reliquas, quæ semper eædem manent, *Constantes* vocant. *Constantes* exprimuntur per primas Alphabeti litteras, *a, b, c,* &c. *Variabiles* per ultimas *z, y, x, v,* &c. differentiæ character est *d:* quamobrem differentia quantitatum duarum Variabilium infinite parva exprimitur per litteram *d* sine ullo signo characteri quantitatis variabilis junctam. e. gr. Si quantitas variabilis fuerit *x*, differentia infinitesimalis erit *dx;* si *y*, erit *dy;* si *z*, erit *dz;* si *v*, erit *dv.* Ergo *quantitates simplices differentiantur præfigendo quantitati differentiandæ litteram d sine ullo signo*, ut in exemplis præcedentibus factum. *Eædem differentio differentiantur, litteram d Variabili aliquoties præfigendo* e. gr. si variabilis fuerit *x*, erit differentia secunda *ddx*, tertia *dddx* sive d^3x &c. si fuerit *y*, erit differentia secunda *ddy*, tertia *dddy* sive d^3y &c.

CAPUT II.

De Algorithmi differentialis Natura.

§. 1.

Algorithmus differentialis Quantitates infinite parvas invenire, earumque medio finitas determinare docet, e. gr. data æquatione, *Curvæ* cujuscunque naturam, h. e. *Abscissarum* ad *Ordinatas* relationem, exprimente, invenire *Ordinatarum* atque *Abscissarum* differentias infinite parvas, h. e. momentanea earundem incrementa, indeque elicere *Curvarum Tangentes*. Quamobrem omnis fere labor huc redit, ut datarum qnantitatum Variabilium *differentiale* inveniatur: dico Variabilium, quia quantitatum constantium differentiale esto, cum differentiale sit momentaneum quantitatis alicujus incrementum vel decrementum, quantitates vero Constantes, mutatis reliquis, non mutentur, vi §. 10. cap. 1. Unde consequitur, Quantitatem ex Constanti & Variabili compositam in differentiatione instar simplicis Considerandam.

§. 2.

Differentiationis itaque regulas analytice investigaturi notamus; Quantitates differentiandas vel esse simplices, vel compositas. Compositæ componuntur vel per additionem, ut $x+y$; vel per subtractionem, ut $x-y$; vel per multiplicationem, ut xy, quo refer Quantitatum Variabilium Potentias; vel per divisionem ut $x:y$; vel denique per plures operationes, e.gr. $x+y-u, ax+yy$ &c. Scilicet in universum compositarum species sunt 15. hic attendendæ. Quatuor nobis suppeditat compositio simplex, quæ fit una operatione mediante; sex prodeunt, ubi ad compositionem operationes duæ concurrunt: quatuor producit compositio per operationes tres: unicam compositio per 4. Sit enim additionis character a, subtractionis s, multiplicationis m, divisionis d; specierum compositarum indices *juxta leges Combinatorias* prodibunt, a, s, m, d: $a+s$, $a+m$, $a+d$, $s+m$, $s+d$, $m+d$: $a+m+s$, $a+s+d$, $a+m+d$, $m+s+d$: $a+s+m+d$.

§. 3.

Quantitatum simplicium differentiationem jam superius §. 10.

c. 1.

c. 1. docuimus, utpote arbitrariam, adeoque inter principia referendam. Omnes enim Scientiæ præsupponunt principia quædam arbitraria, ut Arithmetica vulgaris valorem numerorum localem; Geometria communis divisionem circuli in 360 gradus, mensuram anguli tam rectilinei, quam curvilinei, divisionem radii in 10000000 partes; Analysis finitorum expressionem quantitatum per litteras alphabeticas; additionem, subtractionem & multiplicationem quantitatum simplicium: Algorithmus differentialis Quantitatum simplicium differentiationem: quod utinam averterent Philosophi omnes in disciplinis reliquis versantes, certe enim vel ex hoc capite Philosophia ipsorum futura esset & multo facilior, & multo divinior.

PROBLEMA 1.

§. 4.

Missis itaque Quantitatibus simplicibus, progredimur ad compositas, ubi nobis occurrit problema primum: *Invenire regulam quantitates sibi mutuo additas, e. gr.* x + y, *differentiandi.* Fiat $x + y = z$, & concipiamus z augeri infinitesima dz, evidens erit x quoque & y augeri debere infinitesimis dx & dy. Prodibit adeo æquatio infinitesimalis $x + dx + y + dy = z + dz$, h. e. substituto valore ipsius $x + y$, $z + dx + dy = z + dz$. Ergo si utrinque auferatur eadem quantitas z, relinquitur $dx + dy = dz$ differentiale quæsitum. Habemus adeo regulam quantitates sibi mutuo additas differentiandi: *Quærantur quantitatum simplicium sibi mutuo additarum differentiæ, juxta §. 10. Capt. 1. & mediante signo* + *conjungantur.*

PROBLEMA 2.

§. 5.

Simili prorsus modo satisfit problemati alteri: *Invenire regulam quantitates a se invicem subtractas differentiandi.* Fiat enim quantitas differentianda $x - y = v$, erit $x + dx - y - dy = v + dv$; hoc est substituto in altera æquationis parte valore ipsius $x - y$, $v + dx - dy = v + dv$. Unde tandem habetur subtrahendo utrinque v, $dx - dy = dv$. Quæ æquatio sequentem suppeditat regulam: *Quantitatum simplicium a se mutuo subductarum quærantur*

rantur differentiæ, juxta §. 10. c. 1. & mediante signo — conjungantur.

PROBLEMA 3.

§. 6.

Poterimus jam quoque *differentiare quantitates per additionem & subtractionem compositas.* Succedit enim differentiatio juxta regulam præcedentem utramque. Ita ipsius $x + y - v - z$ differentia invenietur $dx + dy - dv - dz$, & ipsius $x - a - y = dx - dy$, quia $da = 0$ *per* §. 1.

PROBLEMA 4.

§. 7.

In his casibus differentiationem facillime succedere apparet: ast si quantitates per multiplicationem aut divisionem componantur, majori attentione opus est.

CASUS 1.

Sit ergo problema quartum: *Invenire facti differentiandi regulam.* Casus hic occurrunt duo: Aut enim factum effecerunt factores duo, aut plures. Casus prior cum sit simplicior, primo eidem loco satisfaciemus. Fiat igitur quantitas differentianda $xy = z$, erit $x + dx \times y + dy = z + dz$. Sed $x + dx \times y + dy = yx + ydx + xdy + dydx$, *per regulas Arithmeticæ speciosæ.* Ergo $yx + ydx + xdy + dydx = z + dz$, hoc est, sublatis utrinque æqualibus xy & z, $ydx + xdy + dydx = dz$, &, quoniam $dydx = 0$, per §. 7. cap. 1. $ydx + xdy = dz$. En regulam facta differentiandi geminum factorem habentia: 1) *Quærantur differentiæ factorum juxta §. 10. cap. 1.* 2) *Factor quilibet ducatur in differentiam alterius,* 3) *Gemina hæc facta jungantur signo* +.

CASUS 2.

§. 8.

Si quantum differentiandum tres habuerit factores, differentiationis regula eadem ratione eruitur. Fiat enim xyz, h. e. $x + y \times z = v$, erit $x + dx \times y + dy \times z + dz = v + dv$. Sed $x + dx \times y + dy \times z + dz = zxy + xydz + zxdy + yzdx + zdxdy + dzdxdy$, h. e. quia $zxy = v$, *per hypoth.* $zdxdy = 0$, per §. 6. & 4. cap. 1. & $dzdxdy = 0$, per §. 7. cap. cit. $v + xydz + zxdy + yzdx = v + dv$. Quodsi utrinque auferatur v, relinquetur $xydz + zxdy + yzdx = dv$, quæ

æqua-

æquatio hanc nobis ſuppeditat regulam: *Quærantur differentiæ ſingulorum factorum per §. 10. cap. 1. 2) Differentia uniuscujusque ducatur in factum ex reliquis. 3) Producta jungantur mediante ſigno +.*

§. 9.

Eandem regulam valere, ſi 4 quantitates ſe multiplicent, facile demonſtratur. Fiat enim $xyvw = z$, erit $vxyw + wxydv + wxvdy + wyvdx + vxydw + wxdydv + wydxdv + wvdxdy + xvdydw + yvdwdx + xydvdw + dwdvdxdy + xdydvdw + ydwdxdv + vdwdxdy + dwdvdxdy = z + dz$. Sed $dwdvdxdy = 0$, per §. 7. cap. 1. $wxdydv = 0$, $wydxdv = 0$, $wvdxdy = 0$, $xvdydw = 0$, $yvdwdx = 0$, $xydvdw = 0$, $wdvdxdy = 0$, $xdydvdw = 0$, $ydwdxdv = 0$, $vdwdxdy = 0$, per §. 7. & 4. cap. cit. & $vxyw = z$, per hypotheſ. Ergo $wxydv + wxvdy + wyvdx + vxydw = dz$. Q. e. d. Immo in pluribus quibuscunque quantitatibus ſe mutuo multiplicantibus eandem regulam adhiberi poſſe tentanti apparebit.

PROBLEMA 5. 6. 7.

§. 10.

Poſtquam nobis quantitatum tum per additionem, tum per ſubtractionem, tum per multiplicationem compoſitarum differentiatio innotuit; poterimus quoque *differentiare quantitates per additionem & multiplicationem, item per ſubtractionem & multiplicationem, nec non per additionem, ſubtractionem & multiplicationem compoſitas. Nimirum Partes, ex quibus quantitas data componitur, differentiantur juxta regulas præcedentes, atque ex differentialibus inventis nova conflatur quantitas, præfigendo unicuique ſignum differentiandæ, cui reſpondet* Sic differentia ipſius $xy + vz$ invenietur per §. 7. cap. huj. $ydx + xdy + vdz + zdv$, ipſius $xy - vz$, $xdy + ydx - vdz - zdv$; ipſius $y + x \times v - z$, $vdy + vdx + ydv + xdv - ydz - xdz - zdy - zdx$. Ubi notes velim, ſi loco facti dentur ſaltem factores ſigno multiplicationis x inter ſe juncti, non opus eſſe ut multiplicatio actu fiat. Cum enim evidens ſit, quamlibet partem multiplicantis ducendam eſſe in partem quamlibet quantitatis multiplicandæ; multiplicatio hæc mente peragitur, dum producti differentiale inveſtigatur.

§. 11.

§. 11.

Sæpissime contingit, ut quantitatibus variabilibus adhæreant constantes. Enimvero in hoc casu nulla opus est peculiari regula, modo notemus, quantitatum constantium differentias esse nullas, *juxta* §. *1. cap. præs.* e. gr. Sit differentianda $a-x \times by-cz$, reperietur differentialis $abdy-acdz=bx\,dy-bydx+cxdx+cxdz$, vel $ab-bx+dy\times cx-ac\times dz+cz-by\times dx$.

PROBLEMA 8.

§. 12.

Tuto igitur progredimur ad problema novum: *Invenire regulam quantitates se mutuo dividentes differentiandi.* Fiat differentia $\frac{z}{y}=v$, erit $z=vy$. Ergo $dz=vdy+ydv$, *vi* §. *7. cap. præs.* adeoque $dz-vdy=ydv$, & substituto valore ipsius v, $dz-\frac{xdy}{y}=ydv$, h. e. *per Algorithmum fractionum* $\frac{ydz-zdy}{y}=ydv$. Quodsi tantem utrinque dividamus per y, prodibit $\frac{ydz-zdy}{yy}=dv$, quæ æquatio sequentem nobis suppeditat regulam: 1) *A facto ex divisore in differentiam dividendæ subtrahatur factum ex dividenda in differentiam dividentis.* 2) *Residuum dividatur per quadratum dividentis.*

PROBLEMA 9. 10. 11. 12.

§. 13.

Eandem regulam invenire locum, si jubemur *differentiare quantitates per divisionem & additionem, per divisionem & subtractionem, per divisionem & multiplicationem, per additionem, subtractionem, multiplicationem & divisionem compositas,* demonstratu haud difficile. Fiat enim 1) pro quantitatibus per divisionem & additionem compositis $\frac{x+y}{z}=w$, erit $x+y=zw$ & differentiando juxta §. 4. & 7. reperietur $dx+dy=zdw+wdz$ atque hinc $dx+dy-wdz$

$wdz = zdw$, h. e. ſubſtituto valore ipſius w, $dx + dy - \frac{xdz - ydz}{z}$, ſeu *vi Algorithmi fractionum* $\frac{zdx + zdy - xdz - ydz}{z} = zdw$, quæ æquatio per z diviſa dat $\frac{zdx + zdy - xdz - ydz}{zz}$ h. e. $z \times dx + dy - x.y \times dz = dw$ q. e. d. 2) Fiat pro quantitatibus per ſubtractionem & diviſionem compoſitis $\frac{x - v}{z} = w$, erit $x - y = zw$, conſequenter $dx - dy = zdw + wdz$, vi §. 4. & 7. hinc $dx - dy - w\,dz$, h. e. ſubſtituto valore ipſius w, $dx - dy - \frac{xdz + ydz}{z}$, ſeu reductis omnibus terminis ad eandem denominationem, $zdx - zdy - xdz + ydz : z = zdw$. Unde tandem æquatione diviſa per z emergit $dw = zdx - zdy - xdz + ydz : zz$ h. e. $z \times \frac{dx - dy - x + y \times dz}{zz}$. q. e. d. 3) Fiat pro quantitatibus per multiplicationem & diviſionem compoſitis $xy : z = w$, erit $xy = zw$, conſequenter $xdy + ydx = zdw + wdz$, *vi* §. 7. Hinc $xdy + ydx - wdz$, h. e. ſubſtituto valore ipſius w, $xdy + ydx - xydz :$, & omnibus terminis ad eandem denominationem reductis $zxdy + zydx - xydz : z = zdw$. Quamobrem $zxdy + zydx - xydz : zz$, h. e. $z \times \frac{xdy + ydx - xy \times dz}{zz} = dw$. q. e. d. 4) Fiat denique pro quantitatibus per additionem, ſubtractionem, multiplicationem & diviſionem una compoſitis $x + y - zz : v = w$, erit $vw = x + y - zz$, conſequenter $vdw + wdv = dx + dy - 2zdz$. juxta §. 7. & 10. Unde habetur $vdw = dx + dy - 2zdz - wdv$, h. e. $vdx + vdy - 2vzdz - xdv - ydv + zzdv : v$. Quamobrem $dw = vdx + vdy - 2vzdz - xdv - ydv + zzdv : vv$, h. e. $v \times dx + dy - 2zdz - x - y + zz \times dz : vv$. q. e. d.

§. 14.

Facilius quantitas propoſita differentiabitur, ſi variabilibus ad-

hæserint constantes, quia harum differentia $= 0$, *vi* §. 1. Fiat e. gr. $\frac{b}{x^n} = z$, erit $b = zx$ consequenter $zdx + xdz = 0$. Ergo $xdz = -z\,dx$, h. e. substituto valore ipsius z, $\frac{-bdx}{x}$. Ergo $dz = \frac{-bdx}{xx}$

Ex quo apparet, differentiale quantitatis constantis per variabilem divisæ esse tanto minorem nihilo, quantum est factum ex constanti in differentiam variabilis per quadratum variabilis divisum. Si differentianda fuerit $ay:z$, differentia invenietur $azdy - aydz:zz$. Si differentianda $zy:a$, differentia $zdy + ydz:a$.

PROBLEMA 13.

§. 15.

Cum quælibet potestas perfecta sit factum, cujus singuli factores inter se æquales; nullum poterit esse dubium, quin *juxta* §. 7. & 8. differentiari possint. Interim tamen vel hæc ipsa factorum æqualitas, qua Potestates a factis reliquis differunt, de compendio hic cogitandum esse monet. Illud itaque patet, *vi* §. 8. differentiam radicis toties in Potestatem data uno gradu inferiorem duci debere, quot exponens habuerit unitates. Unde elicimus regulam *Potestatem perfectam simplicem differentiandi* sequentem 1) *Exponens Potestatis datæ minuatur unitate, ut habeatur Potestas data uno gradu inferior.* 2) *Quæratur differentialis radicis, juxta* §. 7. *c.* 1. 3) *Hac ducatur in Potestatem num.* 1. *inventam.* 4) *Productum multiplicetur per exponentem datæ Potestatis.* e. gr. Si detur x^2, differentia reperietur $2xdx$; si x^3 differentia erit $3xxdx$; si x^4, differentia erit $4x^3\,dx$; si x^n (ubi n denotat exponentem quemcunque determinatum) differentia erit $ny^{n-1}\,dy$.

§. 16.

Eandem regulam Potestatibus quoque compositis perfectis applicari posse, haud difficulter assequimur. Si enim $\overline{x+y}^z$ differentietur *juxta* §. *præc.* prodibit $2 \times x+y \times dx+dy$. si $\overline{x+y}^z = xx+2yx+yy$ differentietur *juxta* §. 10. invenietur differentia $2xdx+2xdy+2ydy$, hoc est denuo $2 \times x+y \times dx+dy$. Similiter si

$\sqrt[4]{z+v}$ juxta utramque methodum differentietur, utrobique emer-
get $4 \times \sqrt[3]{z+v} \times dz+dv$. Quamobrem si detur $\sqrt[n]{y+v}$; differentia
erit $n \times \sqrt[n-1]{y+v} \times dy+dv$.

PROBLEMA 14.

§. 17.

Si proponatur fractio, cujus Numerator (1) Denominator Potestas simplex (yy;) cum unitas haberi debeat pro quantitate constanti, differentia datæ fractionis $\frac{1}{yy}$ *juxta* §. 14. — $\frac{y\,dy}{y^4}$ hoc est, si per y^4 actu dividas $-2y^{-3}\,dy$. Per principia enim Matheseos universalis notum existit, quod ubi Potentia per Potentiam dividenda, Potentiarum exponentes a se mutuo subtrahantur; si vero 4 subtrahas ab 1, residuum fiet -3. Ita si detur $\frac{1}{y^3}$, differentia erit $-\frac{3y^2\,dy}{y^6} = -3y^{-4}\,dy$. Si detur $\frac{1}{y^5}$, differentia erit $-\frac{5y^4\,dy}{y^{10}} = -5y^{-6}\,dy$. Si detur $\frac{1}{y^n}$, erit differentia $-\frac{ny^{n-1}\,dy}{y^{2n}} = -ny^{n-1}dy$.

Hinc vero enascitur regula dictas fractiones facilius differentiandi: 1. *Quæratur differentialis Potestatis datæ juxta* §. 15. *afficiaturque signo privativo.* 2. *Ab exponente differentialis subducatur duplum exponentis datæ Potestatis.*

PROBLEMA 15.

§. 18.

Tentemus tandem *invenire regulam differentiandi quantitates surdas.* Fiat itaque $\sqrt[n]{y^m} = z$ (ubi n & m denotant exponentem quemcunque) erit $y^m = z^n$, consequenter $ny^{m-1}\,dy = nz^{n-1}\,dz$ per §. 15. Quamobrem $\frac{my^{m-1}\,dy}{nz^{n-1}} = dz$, hoc est, substituto valore

ipsius z, $my^{m-1}\,dy : n\sqrt[n]{y^m} = dz$, hoc est $my^{m-1}\,dy : n\sqrt[n]{y^{mn-m}} = dz$. Constat enim *per leges multiplicationis Irrationalium*, quod, si ad Potestatem dati Exponentis evehendæ, exponens Potestatis imperfectæ sub signo radicali positæ saltem ducendus in exponentem datum e. gr. Si $\sqrt{x^3}$ in cubum convertenda erit $\sqrt[3]{x^3} = \sqrt{x^9}$. Æquatio vero superius posita nobis hanc suppeditat regulam: 1. *Quæratur differentia Potestatis imperfectæ sub signo radicali, juxta regulas superiores.* 2. *Quantitas irrationalis evehatur ad Potestatem, cujus exponens unitate deficit ab exponente signo radicali præfixo, evectaque ducatur in hunc exponentem ultimum.* 3. *Per factum inde emergens dividatur differentiale per num. 1. inventum.* e. gr. Sit differentianda $\sqrt[3]{xx}$, erit differentialis $2x\,dx : 3\sqrt[3]{x^1}$. Sit differentianda $\sqrt[4]{x^3}$, erit differentialis $3x^2\,dx : 4\sqrt[4]{x^9}$ Sit differentianda $\sqrt{a^3 + axy}$, erit differentialis $axdy + dy : x : 2\sqrt{a^3 + axy}$. Sit differentianda $\sqrt[3]{x^3}$, erit differentialis $3x^2 : x : 3\sqrt[3]{x^6}$, h. e. $3xx$. Ergo cum $3x^3\,dx : 3xx = dx$, erit differentia $= dx$.

PROBLEMA 16.

§. 19.

Si *quantitates Irrationales* consideremus tanquam *Potestates imperfectas*, iisque suos assignemus Exponentes, differentiatio succedet *juxta* §. 15. Omnis itaque labor huc redit, ut doceamus, *Datæ cuicunque Quantitati irrationali competentem assignare exponentem.* Ex principiis Matheseos Universalis repetendum, quamlibet quantitatem irrationalem propositam esse mediam aut (si plures fuerint) primam e mediis Geometrice proportionalibus inter unitatem & Potentiam sub signo radicali positam: numerum vero mediarum proportionalium a numero dimensionum Potentiæ, cujus radix expetitur, unitate differre, e. gr. cum quadrato — quadratum habeat 4 dimensiones, medias proportionales, quarum prima est radix quadrato quadrata, esse tres: exponentes Potestatum Geometrice continue proportionalium esse Arithmetice continue proportionales. Quodsi itaque

itaque (uti & in doctrina Logarithmorum vulgari moris est) unitati assignetur exponens *0*, Potentiæ sub signo radicali positæ 1, Radici cedet exponens fractus, cujus Numerator unitas, Denominator æqualis numero dimensionum Potentiæ, cujus radix datur. e. gr. Si quæratur exponens ipsius $\sqrt[4]{xx+2ay}$, invenietur $\frac{1}{4}$, ut ex apposito diagrammate apparet:

÷ 1.	$\sqrt[4]{xx+2ay}$.	$\sqrt[4]{xx+2ay}^{2}$.	$\sqrt[4]{xx+2ay}^{3}$.	$xx+2ay$
÷ 0	$\frac{1}{4}$.	$\frac{2}{4}$.	$\frac{3}{4}$.	1

Erit adeo $\sqrt[4]{xx+2ay} = \overline{xx+2ay}^{\frac{1}{4}}$. In hoc vero casu differentiationem *juxta* §. *15.* institui posse, demonstro hac ratione: Sit $X^{\frac{n}{p}} = y$ erit $x^n = y^p$, adeoque $nx^{n-1}dx = py^{p-1}dy$, *per* §. *15.* consequenter $nx^{n-1}dx : py^{p-1} = dy$, hoc est substituto valore ipsius *y*, $nx^{n-1}dx : px^{n-\frac{p}{p}}$, quoniam $x^n = y^p$ & $y = X^{\frac{n}{p}}$, adeoque $py^{p-1} = px^{n-\frac{p}{p}}$. Quodsi divisio actu instituatur, noteturque, quod, si Potestas per Potestatem dividenda, earundem exponentes a se mutuo subtrahantur prodit $nX^{\frac{n}{p}-1}dx$. Quæ est ipsissima regula *in* §. *15.* pro differentiandis Potestatibus perfectis allata. Unde si detur $\sqrt[3]{xx} = \overline{xx}^{\frac{1}{3}}$, differentia invenietur $\frac{1}{0} x \overline{xx}^{\frac{2}{3}} x 2xdx$. Si differentianda $\sqrt[4]{x^3} = \overline{xxx}^{\frac{1}{4}}$, erit differentia $\frac{1}{4} x \overline{xxx}^{\frac{3}{4}} x 2x^2dx$. Si differentianda $\sqrt{a^3+axy} = \overline{a^3+axy}^{\frac{1}{2}}$, erit differentia $\frac{1}{2} x \overline{a^3+axy}^{-\frac{1}{2}} x axdy+aydx$.

§. 20.

Quo vero appareat differentias hic inventas æquivalere istis, quas *in* §. *18.* reperimus; quædam de Potestatibus exponentium negativorum monenda sunt. Quoniam Potestatibus in Progressione Geometrica progredientibus Exponentes in Arithmetica progrediuntur

diuntur, evidens eſt, iſtis decreſcentibus hos ſimiliter decreſcere debere. Sit itaque ſeries Poteſtatum in Geometrica Progreſſione decreſcentium $x^4. x^3. x^2. x. 1. \frac{1}{x} \frac{1}{x^2} \frac{1}{x^3} \frac{1}{x^4}$; reſpondebit ipſi ſeries exponentium in Arithmetica decreſcentium 4. 3. 2. 1. — 1. — 2. — 3. — 4. &c. Et cum Irrationalium exponentes ſint fracti, *juxta §. præc.* ſi diviſores fuerint irrationales e. gr. $\frac{1}{\sqrt{x}} \frac{1}{\sqrt[3]{x}} \frac{1}{\sqrt[4]{x}} \frac{1}{\sqrt[5]{x}}$ &c. exponentes erunt fractiones privativæ, ut $-\frac{1}{2}, -\frac{1}{3}, -\frac{1}{4}, -\frac{1}{5}$ ut adeo $\frac{1}{\sqrt{x}} = x^{-\frac{1}{2}}$, $\frac{1}{\sqrt[3]{x}} = x^{-\frac{1}{3}}$, $\frac{1}{\sqrt[4]{x}} = x^{-\frac{1}{4}}$ &c. Iam quia vi dictorum *in §. præc.* $xx^{-\frac{2}{3}} = \frac{1}{\sqrt[3]{xx^2}} = \frac{1}{\sqrt[3]{x^4}}$, $x^{-\frac{3}{4}} = \frac{1}{xxx}$ $= \frac{1}{\sqrt[4]{xxx^3}}$, $\frac{1}{\sqrt[4]{x^9}} = x^{-\frac{1}{2}}$, $\frac{1}{\sqrt{a^3+axy}} = a^3+axy$, ſi in allatis exemplis multiplicatio actu fiat, prodibit $\frac{1}{3} \times xx^{-\frac{2}{3}} \times 2xdx = 2xdx : 3\sqrt[3]{x^4}$, $\frac{1}{4} \times xxx^{-\frac{3}{4}} \times 3x^2 dx = 3x^2 dx : 4\sqrt[4]{x^9}$, $\frac{1}{2} \times a^3+axy^{-\frac{1}{2}} \times axdy+axdx = axdy+aydx : 2\sqrt{a^3+axy}$.

§. 21.

Atque ita ſufficienter docuimus, quomodo quantitas quæcunque ſit differentianda. Antequam tamen præſens finiamus caput, de ſignis + & — quædam adhuc monenda ſuperſunt. Nimirum quantitates variabiles, quæ ſolæ differentiantur, *per §. 1.* continuo augentur vel minuuntur, conſtantibus invariatis. Iam vero contingere poteſt, ut vel, creſcente variabili una, creſcant etiam reliquæ; vel decreſcente una, decreſcant reliquæ: quemadmodum e. gr. illud obſervamus in Parabola, in qua creſcentibus Abſciſſis creſcunt

creſcunt Ordinatæ; hoc in hyperbola, in qua creſcentibus Abſciſſis & Ordinatis, decreſcunt Ordinatarum continuationes intra Hyperbolam & Aſymptotos. In caſu priori differentiales cum differentiandis communibus gaudent ſignis: in poſteriori differentiales earum, quæ creſcentibus aliis decreſcunt, ſigno afficiuntur contrario.

§. 22.

Præterea probe tenenda ſunt, quæ de ſignis iisdem monet *Illuſtris Algorithmi hujus Autor in Actis Erudit. Lipſienſ. A. 1684. p. 468.* Quod antequam conſtet, quomodo ſigna explicanda ſint, adhiberi debeant dubia $\overline{+}$ & $\underline{+}$, ita ut illud ſignificet contrarium ipſius $+$, hoc contrarium ipſius $-$: & ſi ambiguitates plures ex diverſis capitibus in eodem calculo oriantur, ne inter ſe confundantur parentheſibus vel duabus $(\underline{+})$, vel quatuor $((\underline{+}))$ diſtinguendæ veniant.

CAPUT III.

De Differentiationum ſucceſſionibus.

§. 1.

Interdum utile eſt, ut differentiales quantitates differentiationi denuo ſubjiciantur, immo differentiæ ſecundæ differentiationi tertiæ &c. e. gr. in inveniendo puncto flexus Curvarum contrarii aliisque caſibus.

§. 2.

Quemadmodum vero *differentiæ ſimplices* eadem ratione, qua *Variabiles* differentiantur, *juxta* §. *10. c. 1.* ita quoque differentiæ compoſitæ juxta regulas capitis præcedentis differentiantur, hoc unice notato, quod una datarum aſſumenda ſit pro Conſtanti, reliquæ inſtar Variabilium tractandæ.

§. 3.

Ratio facile patet. Cum enim differentiæ primæ reſpectu ſecundarum ſint ut Variabiles finitæ reſpectu differentiarum primarum; eadem utique ratione invenientur differentiarum differentiæ, qua Variabilium.

§. 4.

§. 4.

Hæc ut manifesta evadant; proponamus aliqua exempla. Sit differentianda $dx + dy$, constans dx, erit differentia ddy, *juxta* §. *10. cap. 1. &* §. *1. cap. 2.* Si vero dy constans, differentia secunda erit ddx. Sit differentianda $yx + xdy$, si dx fiat constans, erit differentia secunda $dxdy + dydx + xddy$; si dy fiat constans, erit differentia secunda $dxdy + ydx + aydx$, *juxta* §. *7. cap. præc.* Si differentianda $\frac{xdx}{dy}$ constans dx, erit differentia secunda $dydx^2 - xdxddy : dy^2$ est autem $dy^2 = dydy$, $dx^2 = dxdy$); Si constans dy, erit differentia secunda $dx^2 + xddx : dy$, *juxta* §. *13. cap. 2.*

CAPUT IV.

De Calculi differentialis Usu.

§. 1.

Summum hoc inventum, cui par non vidit hactenus Orbis eruditus, nec videbit posthac unquam, quodque nonnisi a Mortalium sagacissimo & ingeniosissimo, *Illustri Leibnitio*, expectare poterat, tantæ est utilitatis, ut integra Volumina ei demonstrandæ non sufficiant. Expendit enim Algorithmus differentialis momentanea rerum, quæ augeri minuique solent, incrementa & decrementa, quantitatesque in suas partes infinite parvas, has denuo in suas infinitesimas &c sic porro resolvit. Adeoque nullum datur finitum ens, circa quod utiliter non versetur.

§. 2.

Hinc non solum in Mathesi pura Magnitudinibus & numeris utiliter applicatur; sed & in Matheseos mixtæ partibus omne fert punctum. Egregia sane est methodus conficiendi clepsydras, quam ope hujus calculi adinvenit *Varignon in Commentariis Historiæ Academiæ Regiæ Scientiarum anni 1699. subjunctis* expositam a p. 51—63, quæ, figura vasis & velocitate aquæ fluentis ad libitum assumtis, clepsydræ graduationes; datis clepsydræ graduationibus & velocitate aquæ fluentis figuram vasis; datis figura vasis & graduationibus clepsy-

clepsydræ velocitatem aquæ determinare docet, paucis litteris comprehensa. Opus cum Sole & Luna duraturum merito dixit *in præfatione Introductioni ad Veram Physicam præmissa Ioh. Keil Astronomiæ Physicæ & Geometricæ Elementa Dav. Gregorii*, cujus his in oris rarissimi quotidiana lectio multum me juvat, juvabit & ipsos seniores *Mathematicos*; non tamen eo usque progressus, quo *Illustri Leibnitio præeunte*, calculo differentiali adjutus penetravit laudatus jam ante *Varignon*, qui de Viribus centralibus sive gravitatibus Planetis ad describendas orbitas necessariis ingeniose commentatus, non *cum Newtono & Gregorio* intra Sectiones Conicas substitit, sed ad omnes Curvas possibiles methodum suam extendit, ut cognita Curva, quam Planeta describit cognitoque tempore arcubus differentibus respondente, vis ejus centripeta versus Solem accurate ad singula momenta determinari possit. Ut adeo celeberrimus *Fontenellius in Hist. Acad. Reg. scient. anni 1700. judicet*, quod jam Geometria fecerit, quod suum est, *p. 98. Vide Comment. subject. p. 218. & seqq.* Virium centrifugarum cognitio Ingeniosissimum *Hugenium* ad *Horologii oscillatorii* utilissimum inventum deduxit; Sed quæ eas æstimandi methodus accuratior calculo differentiali, ceu apparet ex iis, quæ in hanc rem commentatus *Marchio Hospitalius* in *Commentariis* laudatis *p. 16. & seqq.* Sed lubens omitto largam illam problematum segetem a summis aevi hujus Geometris *Leibnitio, Tschirnhausio, Hospitalio, Hugenio, Burnoullis, Craigio, Varignonio* aliisque per calculum differentialem promptissime solutorum, & *in Actis Eruditorum Lipsiensibus, Transactionibus philosophicis Anglicanis, Historia Academiæ Regiæ Scientiarum* peculiaribusque scriptis, qualia sunt *Analyse des infiniment petits; Methode, pour la Mesure des sur faces, la dimension des solides, leurs Centres de Pesanteur, de Percussion & d' oscillation, par l' application du Calcul integral, par Mr. Carré; Ioh. Craige Methodus Figurarum Lineis rectis & curvis comprehensarum Quadraturas determinandi; Ejusdem Tractatus Mathematicus de Figurarum Curvilinearum quadraturis & Locis Geometricis aliaque, obviorum.*

§. 3.

Ut tamen causa tantæ fœcunditatis, quæ cum calculo differentiali conjungitur, appareat, duo apponere libet exempla, ea-

que facillima, cum Tyronum captui me accommodare tenear. Primum sit sequens: *Ducere Tangentem in dato Parabolæ puncto* B. Re-
Fig. 34. solutio. Sit Parameter a, Abscissa AF, y, semiordinata BF x, erit *juxta prop. 2. lib. 3. Conic. Sect. DN. de la Hire* $ay = xx$, quæ æquatio in differentialem *juxta* §. *15. c. 2.* mutata degenerat in istam $a\,dy = 2x\,dx$. Hac per a divisa prodit $dy = \frac{2x\,dx}{a}$. Iam cum sit GH. HB :: BF. KF. *juxta* §. *3. cap. 1.* hoc est, $dx . \frac{2xdx}{a} :: x$ KF, invenietur KF $= \frac{2xxdx}{adx} = \frac{2xx}{a}$. Quodsi pro xx substituatur ipsius valor ay, prodibit tandem KF $= 2y$, ut adeo in Parabola *Subtangens* sit *Abscissæ* dupla, qua data *Tangentem* ducet, qui a puncto uno K ad alterum B rectam ducere novit.

§. 4.

Alterum, quod apponimus, problema jubet *Invenire Quadraturam Parabolæ.* Æquatio *Parabolæ* naturam, hoc est, *Abscissæ* AF ad *Semiordinata* BF relationem exprimens est $ay = xx$ unde habetur $\sqrt{ay} = x$. Demonstravit vero Geometra profundissimus, *Isaacus Barrow in Lection. Geometr. Lect. 11. §. 1. p. 85.* quod, si Cur-
Fig. 35. va quædam fuerit AFC, cujus *Axis* AB, *Semiordinata* CB, sitque alia linea AED, cujus talis natura, ut, ductis FG ad Curvam AFC, & FE ad *axem* AB perpendicularibus, recta HG æquetur *Semiordinatæ* HE, spatium ABDEA æquetur semissi quadrati ex recta CB. Quadraturam itaque *Parabolæ* determinaturo invenienda est Curva, in qua recta HG æquatur *Semiordinatæ* maximæ in *Parabola* data.
Fig. 34. Erit adeo FE $= \sqrt{ay}$ Sit BF $= v$, concipiaturque ducta *Tangens* BK & recta EB ad Curvæ punctum B normalis, erit *per 8. Elem.* VI $\therefore$ KF . FB . FE, adeoque $\overline{FB}^2 =$ KF x FE, *per 17. Elem. cit.* Iam cum inter AF & KF intercedat aliqua ratio, dicatur interea ejus *Exponens o*, eritque FK $= oy$, habebimusque $vv = oy\sqrt{oy}$ h. e. liberando æquationem a symmetria, $v^4 = o^2y^3$ quæ æquatio *juxta* §. *15. cap. 2.* abit in differentialem $4v^3dv = 3o^2y^2y$ Quamobrem inferre licet: $dy . dv :: 4v^3 . 3aoy^2$, *per 19. Elem. 7.* Ast si *Semiordinata* GI alteri BF intel-

intelligatur infinite propinqua, erit GH=dv, FI=BH=dy, cumque ſit *juxta* §. 3. *c.* 1. BH.HG:: KF.FB, & *per demonſtrata* ∴ KF. FB.FE, erit $4v^3 . 3acy^2 :: v$.FE, quæ reperietur $3acy^2 v : 4v^3 = 3acy^2 : 4v^2$, hoc eſt, ſubſtituto valore ipſius $v^2 = \sqrt{oay^3}$, $3acy^2 : 4\sqrt{oay^3}$. Ergo cum ſuppoſuerimus ſuperius FE $\sqrt{ay}$, erit $3acy^2 : 4\sqrt{oay^3} = \sqrt{ay}$ hoc eſt tollendo *irrationales*, $9oaay^4 : 6oay^3 = ay$, & actu dividendo fractionem per oay^3, prodibit $9oay : 16 = ay$, h. e. multiplicando per 16, $9oay = 16ay$, & tandem per $9ay$ dividendo, $o = \frac{16}{9}$. Quodſi jam in æquatione ſuperiori $v^4 = oay^3$ valorem ipſius o inventum ſubſtituamus, obtinebimus $v^4 = \frac{16}{9} ay^3$. Unde tandem elicitur $\frac{1}{2} v^2 = \frac{1}{2}\sqrt{\frac{16}{9}} ay^3 = \sqrt{\frac{16}{36}} ay^3 = \sqrt{\frac{4}{9}} ay^3$, Æquatio *Parabolæ Quadraturam* determinans.

§. 5.

Ex gemino hoc exemplo geminus apparet fons fœcunditatis Calculi differentialis. Primus eſt, quod Quantitates differentiales alias inter ſe rationes habent, quam finitæ, quarum differentiæ exiſtunt; unde per differentiales finitarum cognitarum deteguntur finitæ incognitæ. Alter eſt, quod Quantitates differentiales ſæpe ſint in ratione quantitatum finitarum: unde ab iſtis ad has regredi licet. Ita in exemplo priori §. 3. differentiales Abſciſſarum & Semiordinatarum erant ut Semiordinatæ & Subtangentes, unde ex cognitis iſtis ſubtangens eruebatur. In poſteriori cum eædem differentiales eſſent in ratione finitarum, hæ iſtis ſubſtitui poterant, adeoque ab illis ad has concedebatur regreſſus.

§. 6.

Enimvero nonintra vaſtos Matheſeos limites ſubſiſtit hic Algorithmus; ſed & ad Philoſophiam reliquam excurrit. Naturæ inprimis arcana referat. Omnia enim Naturæ phœnomena mediante motu contingunt: Motus vero arcanas Leges per calculum differentialem in apricum produci poſſe non dubitabit, cui duæ regulæ illæ generales Motuum in Lineis rectis duæque non minus generales Motuum in Lineis Curvis innotuerunt, a ſæpius laudato Geometra, *Dn. Varignonio*, detectæ & *in Comment. Acad. Reg. Scient. A. 1700. p. 22. 27. & 83-101.* expoſitæ. Ita vero Phyſicus demum officio ſuo ſatisfaciet, ſi leges, juxta quas corpora naturalia conſtan-

ter operantur, inveſtigaverit, vires, quas adhibent, accurate æſtimaverit: hac ratione enim Naturæ potentiam ſibi cognitam perſpectamque reddit. Unde non miramur Illuſtrem *Boylium* dolentem, quod non majores in Analyſeos ſtudio fecerit progreſſus. Ita enim *Philoſ Experim. Exerc. 6. §. 2. p. m. 483. Experimentis meis in ſpecie Mechanicis Mathematicæ in Phyſica uſum ingentem mihi demonſtrantibus, ſæpe jam exoptavi, ut in Geometriæ Theoriam ad ſtudium Algebræ Specioſæ, quam puer fere addidici, majorem impendiſſem partem temporis & induſtriæ, quæ Planimetriæ & Fortificatoriæ aliiſque practicis Mathematicæ partibus a me attributa fuit.* Et profecto ſi Experimentatores in experimentando ad principia Matheſeos puræ magis reſpicerent, experimenta ipſorum nonſolum veritatibus confuſis, ſed & exactis deducendis inſervirent.

§. 7.

Neque vero putandum, circa ſolum motum (cujus tamen præcipua per omnem Phyſicam conſideratio) corporum naturalium eorumque vires hærere calculum differentialem; ſed ad omnia, quæ augeri minuive, immo mente ſaltem dividi poſſunt, ſe extendit. Sufficiat in præſenti exempli loco allegaſſe uſum ejus, quem in inveſtiganda Iridis natura nuper monſtravit *Cl. Hermannus in Novellis Reip. Litterariæ*, Viri doctiſſimi *Jac. Bernhardi.*

§. 8.

Equidem e Moralibus exulare debere ut Matheſin puram omnem, ſic inprimis Calculum differentialem, multi ſibi perſuadent. Enimvero cum & hic non pauca occurrant, quæ quantitatem in conceptu ſuo involvunt, de illius uſu in Philoſophia practica non prorſus deſperandum. Immo ecce tibi *Joh. Craige, in Princ. Theol. Chriſt. Mathemat. c. 3. & ſeqq.* per utriuſque analyſeos principia veros Voluptatum valores determinantem. Plura hanc in rem dicere poteram, ni certis de cauſis hic abrumpendum conſultius ducerem. Verum illud magis fortaſſis mirabere, quod vulgarem Ontologiam ex Barbaro Lexico in ſcientiam demonſtrativam converti poſſe aſſeverem, ſi principia Matheſeos puræ, conſequenter & Analyſeos, eidem applicentur. Ne inani verborum ſtrepitu aures Lectorum

ctorum percellere videar, ad *Gregorii prop. 48. lib. 1. Elem. Astr. f. 60.* provoco, in qua demonstrat, Virtutis omnis a centro in lineis rectis undiquaque per regiones in circuitu propagatæ efficaciam in diversis locis esse Quadrato distantiæ loci a centro reciproce proportionalem. Similes vero propositiones de efficacia causarum efficientium per virium diffusionem agentium plures formari, atque hinc multa alia deduci possunt: quemadmodum uno alteroque exemplo Auditoribus nostris in Collegio Physico ostendimus. Usus rerum in applicatione ad alias consistit. Applicate itaque principia Mathematica, principia inprimis Analyseos utriusque, partibus Philosophiæ reliquis: sic enim desinent querelæ, Philosophum meris conjecturis debere esse contentum.

COROLLARIA.

I. Scientia non solum est finitorum, sed & infinitorum, immo infiniti infiniti.

II. Nihili nullus formari potest conceptus; potest tamen formari conceptus ejus, quod est minus nihilo.

III. Syllogismus non est medium inveniendi Veritatem.

IV. Materia est divisibilis in infinitum.

V. Qualitates sensibiles corporibus non inexistunt: nec tot in rebus fingendæ sunt Potentiæ, quot diversi observantur effectus.

VI. Recte *Hugenius in Cosmotheoro p. 14. omnes*, inquit, *Astronomi, nisi tardiore sint ingenio, aut hominum imperio obnoxiam credulitatem habeant, motum Telluri locumque inter planetas absque dubitatione decernunt.*

VII. Philosophiæ Practicæ propositiones pleræque sunt conclusiones ex Physica deductæ: Quam deductionem cum neglexerint Philosophi, illa nondum id fastigii assecuta, ad quod Mathesis atque Physica evecta.

VIII. Qui Mathematicorum industria Philosophiam practicam corruptum iri metuunt, nec quid sit Mathesis, nec quid Philosophia Practica verior, intelligunt.

IX. Omnis de summo bono disceptatio ex Ethica tanquam inutilis proscribenda.

X. Carteſii demonſtratio, qua a ſumma Dei perfectione ad ejus exiſtentiam neceſſariam concludit, eadem ratione procedit, qua Euclidea aut Mathematica alia quæcunque

XI. Deus eſt ad creaturas ut Mens noſtra ad Entia rationis.

Num. V.

Methodum Serierum Infinitarum, Indultu Superiorum Præſide *M. Chriſtiano Wolfio*, die XXIII. Dec. A. 1705. placidæ Eruditorum diſquiſitioni ſubmittet *Juſtus Gotthardus Rabenerus*, Lipſienſis.

Lipſiæ, Litteris Chriſtiani Gœtzii

Methodus Serierum Infinitarum.

§. 1.

Si Valor alicujus Quantitatis in particulas in infinitum excreſcentes reſolvitur, ita ut, exhibitis quibusdam terminis reliquorum in infinitum continuatio diſtincte concipi poſſit; termini iſti in infinitum excreſcentes junctim ſumti vocantur *Series infinita.*

§. 2.

Ex ſerierum itaque numero excluduntur omnes approximationes, quarum continuatio in infinitum diſtincte concipi nequit: qualis eſt in extractionibus radicum revocatio fractionum ad partes decimales, expreſſio item peripheriæ circularis juxta *Archimedem* & *Ludolphum a Ceulen* aliosque.

§. 3.

Complexus regularum reſolutionem Quantitatum in §. 2. commemoratam edocentium *Methodus ſerierum infinitarum* nuncupatur

tur. Quare nobis oſtendendum eſt, qua ratione Quantitas propoſita quælibet in ſeriem infinitam reſolvatur.

§. 4.

Quantitates integræ facillime in ſeriem reſolvuntur. Nimirum Quantitas propoſita ducatur in ſe ipſam, & factum unitate minutum dividatur per propoſitam, ut primus habeatur ſeriei terminus. Pro obtinendis terminis reliquis aſſumatur numerus quicunque loco Numeratoris communis, & per hunc unitate auctum continuo multiplicetur denominator termini præcedentis, quo prodeat denominator ſubſequentis.

§. 5.

Quodſi adeo Quantitas propoſita dicatur a, erit terminus primus ſeriei $a^2-1, : a$. Si jam ulterius Numerator communis aſſumatur $m-1$, prodibit ſeries univerſalis pro omnibus Quantitatibus integris

$$\frac{a^2-1}{a} + \frac{m-1}{ma} + \frac{m-1}{m^2a} + \frac{m-1}{m^3a} + \frac{m-1}{m^4a} + \frac{m-1}{m^5a} \text{ &c.}$$

§. 6.

Proponatur enim e. g. in ſeriem reſolvendus binarius. Quia $a=2$, erit $a^2-1=3$, $\frac{a^2-1}{a}=\frac{3}{2}$. ſit $m-1=2$, erit $ma=6$, adeoque $\frac{m-1}{ma}=\frac{2}{6}$, $\frac{m-1}{m^2a}=\frac{2}{18}$, $\frac{m-1}{m^3a}=\frac{2}{54}$, $\frac{m-1}{m^4a}=\frac{2}{162}$ &c. ut adeo prodeat $2=\frac{3}{2}+\frac{2}{6}+\frac{2}{18}+\frac{2}{54}+\frac{2}{162}$ &c. in infinitum, ſeu $2=\frac{3}{2}+\frac{1}{3}+\frac{1}{9}+\frac{1}{27}+\frac{1}{81}$ &c. Sit $a=5$, erit $\frac{a^2-1}{a}=\frac{4}{5}$. Sit $m-1=1$, erit $ma=10$, adeoque $\frac{m-1}{ma}=\frac{1}{10}$, $\frac{m-1}{m^2a}=\frac{1}{20}$, $\frac{m-1}{m^3a}=\frac{1}{40}$ &c. Prodibit igitur $5=\frac{24}{5}+\frac{1}{10}+\frac{1}{20}+\frac{1}{40}$ in infinitum.

§. 7.

In his ſeriebus termini omnes communi gaudent Numeratore, excepto primo; Denominatores progrediuntur in ea ratione, quam habet

habet unitas ad Numeratorem communem unitate auctum. Si vero desideres, ut termini eundem cum primo admittant Numeratorem, pro exponente rationis assumendus est Numerator primi unitate auctus. Atque ita reperietur $2=\frac{3}{2}+\frac{3}{8}+\frac{3}{32}+\frac{3}{128}$ &c. $5=\frac{24}{5}+\frac{24}{125}+\frac{24}{3125}$ &c. Series generalis pro omnibus integris erit $\frac{a^2-1}{a}+\frac{a^2-1}{a^3}+\frac{a^2-1}{a^5}+\frac{a^2-1}{a^7}+\frac{a^2-1}{a^9}$ &c.

§. 8.

Seriem hac ratione productam æquivalere quantitati propositæ sic demonstro: Si proposita quantitas ducatur in seipsam, erit ut unitas ad ipsam, sic ipsa ad productum, *per def. 15. Elem. 7.* Et si factum dividatur per quantitatem propositam, erit ut productum ad ipsam, ita quotus ad unitatem, *per def. cit.* Quotus igitur ad unitatem eandem habet rationem, quam habet ad ipsam proposita Quantitas, consequenter æquatur Quantitati propositæ, *per 9. Elem. 5.* Quare si factum illud unitate minuatur, & ipsa tamen Quantitas proposita divisoris loco subscribatur, illud ad hanc minorem habere debet rationem, consequenter fractio minor est Quantitate proposita, *per 8. Elem. cit.* Quoniam vero character Quantitatis propositæ, e. gr. *a*, semper supponit æqualium partium aliquem numerum, e. gr. duas, si fuerit $a=2$; quinque, si $a=5$: Quadratum per radicem divisum fractionem exhibet, quæ ita explicari debet. Denominator significat, quamlibet partem denuo fuisse subdivisam in tot alias, quot integra habere supponebatur. Numerator indicio est, tot partes ex subdivisione primarum resultare, quot ipse habet unitates. Quare si Numerator unitate minuitur, fractio non amplius æquivalet integro, sed deficit pars una, quæ exprimitur per fractionem, cujus Numerator unitas, Denominator idem, qui erat termini primi. Ab hac igitur parte ut denuo auferri possit particula alia, fractio hæc erit multiplicanda per numerum quemcunque: Quo facto, particula ista in totidem alias divisa concipitur, quot numerus prædictus habet unitates, sed quæ simul sumtæ isti æquivalent. *per 17. Elem. 7.* Unde si Numerator novæ fractionis minuatur unitate,

id

id quod relinquitur, non amplius particulæ integræ æquatur, ſed una deficit, quæ per fractionem exprimitur, cujus Numerator eſt unitas, denominator idem cum denominatore termini ſecundi. Quamobrem ut denuo ex eadem auferri poſſit particula aliqua, multiplicanda eſt fractio, & quidem per eundem numerum, per quem fiebat multiplicatio, cum terminus ſeriei quæreretur ſecundus; Ita enim obtinetur, ut Numerator termini tertii æquetur Numeratori ſecundi & Denominator tertii ſit ad Denominatorem ſecundi, uti Denominator ſecundi ad Denominatorem primi. Quoniam vero hæc operatio in infinitum continuari poteſt, cum ablata particula ex termino præcedenti per fractionem continuo deſignetur, cujus Numerator unitas, Denominator coincidit cum Denominatore termini præcedentis, cujuscunque autem Quantitatis datæ ſumi poſſit multiplum deſideratum, adeoque fractio illa per illum ipſum numerum, per quem fractiones, particularum reſiduarum in anterioribus terminis indices, multiplicatæ ſunt, multiplicari valeat; evidens eſt, per regulas traditas aliquam obtineri ſeriem ex terminis numero infinitis conſtantem, cujus progreſſus diſtincte concipitur, quæque æquatur Quantitati propoſitæ. Q.e.d.

§. 9.

Series iſtas infinitas æquivalere Quantitati propoſitæ, alia adhuc ratione demonſtrari poteſt, quærendo nempe ſummam totius ſeriei juxta regulas ſummandi Progreſſiones Geometricas conſuetas, modo loco termini ultimi, qui in ſummandis ſeriebus finitis terminorum Geometrice proportionalium inter data reponitur, aſſumatur cyphra. Ita enim erit differentia primi & ultimi æqualis primo $= \frac{a^2 - 1}{a}$ quæ diviſa per exponentem rationis unitate minutum $a^2 - 1$ dat ſummam omnium terminorum primo excepto, $\frac{a^2 - 1}{a^3 - a}$

Quodſi igitur addatur terminus primus, prodit ſumma $\frac{a^2 - 1}{a^3 - a} + \frac{a^2 - 1}{a} = \frac{a^3 - a}{a^4 - a^2} + \frac{a^5 - 2}{a^4 - a^2} + a = \frac{a^5 - a^3}{a^4 - a^2}$, h. e. diviſione actu facta, a. Ita

in casu §. 5. summa omnium excepto primo reperitur ut summa integræ seriei in antecedenti, eique additur terminus primus.

§. 10.

Regressus hic a serie ad summam omnibus illis dubiis eximendis sufficit, quæ contra series infinitas movit *Dethlevus Cluverus*, Geometra insignis, qui *in Actis Eruditorum Lipsiensibus Mens. Oct. anni 1687. p. 587.* notat, perperam a Geometris supponi, dari in hujusmodi seriebus infinitis terminum ultimum, & hunc ipsum ob continuo decrescentem parvitatem tandem degenerare in quoddam non—quantum, sive non ens, aut nihil. *In nova Crisi temporum part. I. anni 1701. p. 32. Barrowium & Newtonum,* immo *p.* 35. in genere taxat Geometras omnes tum antiquos, tum modernos, quod communi de annihilatione ultimi termini in infinito opinione sunt imbuti.

§. 11.

Etenim non opus est, ut contra κοινὴν ἔννοιαν seriebus infinitis aliquem tribuamus terminum ultimum; sed sufficit per §. 9. constare, in summandis talibus seriebus nullam esse rationem habendam termini ultimi. Similiter non opus est, ut statuamus, continuatam terminorum subdivisionem in infinitum in nihilo tandem terminari, cum bene observarit *Clar. Autor* p. 63. l. c. asymptotos hyperbolarum abunde satis evincere, annihilationem per continuum in infinitum decrementum non invenire locum, alias enim asymptoti cum hyperbola demum coinciderent, quod absonum: sed sufficit, ex §. 9. manifestum esse, per continuum illud in infinitum decrementum terminos seriei tandem degenerare in quantitates propositæ incomparabiles, adeoque heterogeneas, consequenter cum reliquis non summabiles, cum additio fit quantitatum homogenearum in unam summam collectio.

§. 12.

Atque ex hoc fundamento ostendit ingeniosissimus *Leibnitius* in litteris ad *Dn. Varignonium*, Geometram excellentem, datis, ex quibus excerpta leguntur *in Diario Eruditorum Gallico anni 1702. p. 297. & seqq.* Analysin Mathematicam ob controversias nonnullas Metaphysicas ex numero Scientiarum Mathematicarum non esse expungendam. Et ubi in *Actis Erudit. Lipsiens.* ad nonnullas difficul

ficultates a *Bernhardo Nieuwentiit* circa methodum differentialem motas *Menſ. Jul. anni 1695.* reſpondet, p. 13. notat, Quantitates infinite parvas, utut nihil dicere omnino non liceat, haud tamen eſſe comparabiles cum iſtis, quarum reſpectu infinite parvæ exiſtunt, atque adeo, quemadmodum Quantitas non augetur, ſi lineæ punctum alterius lineæ addas, vel ſuperficiei lineam; ita ſimiliter lineam non augeri, ſi lineam quidem addas, ſed incomparabiliter minorem.

§. 13.

Cæterum ex arbitraria numeri *m* in §. 6. juxta §. 4. aſſumtione claret, unamquamque Quantitatem in infinite diverſas reſolvi poſſe ſeries infinitas. Unde ulterius liquet, unam eandemque quantitatem infinitis modis reſolvi poſſe in partes numero infinitas, ita ut in una reſolutione pars quælibet ex infinitis ratione molis differat a parte qualibet ex infinitis in reſolutione alia quacunque, ut adeo non infiniti ſaltem, quin infinite infiniti quiddam in Quantitate contineatur. Etenim $2 = \frac{3}{2} + \frac{3}{6} + \frac{3}{18} + \frac{3}{54}$ &c. in infinitum per §. 7. & $2 = \frac{3}{2} + \frac{3}{8} + \frac{3}{32} + \frac{3}{128}$ &c. in infinitum per §. 7. Sed terminus quilibet ſeriei indicat aliquam Quantitatis partem. Quare cum termini numero ſint infiniti, partes quoque eſſe debent numero infinitæ. Termini tamen unius ſeriei ſigillatim ſumti non æquantur terminis alterius ſeriei ſigillatim ſumtis, cum e. gr. $\frac{3}{6}$ ſunt minores quam $\frac{3}{8}$, & $\frac{3}{18}$ majores quam $\frac{3}{32}$ &c. *per 10. Elem. 5.* Quamobrem 2 reſolvere licet in partes numero infinitas multiplici ratione, immo infinitis modis, quia infinitæ dantur ſeries, quarum quælibet ſigillatim ſumta binario æquatur, per §. 4.

§. 14.

Enimvero quæ de binario demonſtrata ſunt, facile in genere de Quantitate quacunque evincuntur. Nam infinitæ inveniri poſſunt ſeries numero & ipſæ infinitæ, quarum unaquæque ſigillatim ſumta æquatur Quantitati eidem propoſitæ, per § præced. In qualibet vero ſerie terminorum Numeratores aliam ad ſuos Denominatores habent rationem, quia numerus *m* cujuslibet ſeriei differt a numero *m* alterius cujuscunque, per §. 4. & 6. Quare etiam ſinguli termini unius non æquabuntur ſigillatim terminis ſingulis alterius ſeriei, *per 9. Elem. 5.* Aſt termini reſpondent partibus Quantitatis

integræ. Partes igitur, quas indicat in integro ſeries una, non ſunt ejusdem molis cum partibus, quas in eodem ponit ſeries quælibet altera. Cum adeo ſeries ſint numero infinitæ, unum integrum partes continet numero infinitas, non una conſtanti ratione, ſed ratione nobis infinite varias.

§. 15.

Cæterum cum Quantitates integræ in ſeries converti nequeant, niſi prius in fractiones ſpurias convertantur, per §. 4. leges ibidem traditæ fractionibus quoque accommodari poſſe intelliguntur. Sed antequam ulterius progrediamur, notandum eſt, nos in poſterum in deſignanda multiplicatione, diviſione ac analogia Quantitatum uſuros eſſe Symbolis Leibnitianis, quæ reliquis vulgo uſitatis quin præferenda ſint nemo ſapiens dubitare poteſt. Quemadmodum enim *ſummus Leibnitius* in maximis, ita & in minimis Sapientiæ leges exactiſſime conſtanter obſervat. Sapientis eſt, via brevisſima ad ſcopum tendere. Contra ſapientiæ igitur leges peccat, qui media adhibet perplexa; ubi dantur multo ſimpliciora. Quare cum *Leibnitio* multiplicationem potius deſignabimus per ſimplex punctum, quam per characterem vulgo receptum x; diviſionem per duo puncta, quam per notationes in fractionibus ſcribendis dudum Arithmeticis uſitatas, niſi ſingularis quædam circumſtantia vulgarem notandi modum adhiberi ſuadeat. Ut intelligatur, quouſque ſignum multiplicationis & diviſionis extendatur, loco lineolæ ſuprascribendæ juxta communem methodum adhibebimus comma unicum, vel præmittendum, vel poſtponendum ſigno multiplicationis & diviſionis, prouti vel quantitates antecedentes, vel ſubſequentes afficere debet. Præterea in Logica veriori demonſtrandum eſt, fontem omnium errorum quærendum eſſe in cognitione intuitiva, quæ opponitur alteri per deductionem acquiſitæ: oriri ſcilicet errores, quotiescunque diverſa habemus pro iisdem. Unde deducitur regula, in cognitione acquirenda ſollicite cavendum eſſe, ne diverſa confundantur, ut habeantur pro eodem. Ex quo ulterius conſequitur, ſi conceptus intellectus puri per ſigna imaginationi exhibere libuerit, quæ diverſa ſunt in conceptu, ut diverſa etiam repræſentanda eſſe imaginationi. Quamobrem talia eligenda ſunt ſigna, quæ inter ſe non facile confundi poſſunt: id quod denuo obtinetur

tinetur per ſigna *Leibnitiana*, non æque per vulgaria: Etenim in vulgari notatione ſignum multiplicationis x facillime confunditur cum charactere quantitatis incognitæ *x*: in *Leibnitiana* non item. Similiter Sapientiæ legibus conforme eſt, ut, quod fieri poteſt per pauca, non fiat per plura: conſequenter in noſtro caſu non plura adhibenda ſunt ſigna, quam quæ rebus repræſentandis ſufficiunt. Quare rerum repræſentatarum ſcrutari convenit connexiones, ut eædem connexiones per eadem denotentur ſigna. Quod obſervatum eſt in notatione analogiæ *Leibnitiana*, dum quantitates proportionales A, B, C & D, ita deſignat: A:B=C:D, cujus fundamentum eſt *def. 4. Elem. 5.*

§. 6. Ut ratio reſolvendi fractiones in ſeries infinitas per methodum in §. 4. expoſitam appareat, proponatur exempli loco $a : b$. Multiplicetur ea per numerum quemcunque m, ut habeatur $ma : mb$, & Numerator minuatur unitate, ut prodeat ſeriei terminus primus $ma - 1, : mb$, remaneatque pars ulterius reſolvenda $1 : mb$, quæ per m multiplicata producit $m : m^2b$. Hoc productum ſi minuatur unitate, habebitur terminus ſecundus $m-1, : m^2b$. Simili labore inveniuntur termini reliqui, quotquot libuerit, ut tandem habeatur $\frac{a}{b} = \frac{ma-1}{mb} + \frac{m-1}{m^2b} + \frac{m-1}{m^3b}$ &c. Utimur autem hic notatione vulgari, quia facilius ſic conſpicitur totius ſeriei progreſſus. Cæterum ſi fiat $a=3$, $b=4$, $m=2$, erit $a : b = 3 : 4$, $ma : mb = 6 : 8$ &c. Quare reperietur $\frac{3}{4} = \frac{6}{8} + \frac{1}{16} + \frac{1}{32} + \frac{1}{64}$ &c.

§. 17.

Quodſi deſideretur, ut terminus primus ſeriei eundem cum reliquis habeat Numeratorem; per Numeratorem fractionis propoſitæ particula reſidua eſt multiplicanda. Ita reperietur $\frac{a}{b} = \frac{a-1}{b} + \frac{a-1}{ab} + \frac{a-1}{a^2b} + \frac{a-1}{a^3b}$ &c. in infinitum. Sit e. gr. $a=3$, $4=6$, erit $a : b = 3 : 4$, $a-1, : b = 2 : 4$, $a-1, : ab = 2 : 12$, $a-1, : aab = 2 : 36$ &c. ut adeo obtineatur $\frac{3}{4} = \frac{2}{4} + \frac{2}{12} + \frac{2}{36} + \frac{2}{108}$ &c. h. e. $= \frac{1}{2} + \frac{1}{6} + \frac{1}{18} + \frac{1}{54}$ &c.

§. 18.

Poterunt autem series methodo hactenus exposita inventæ ad aliam expressionem revocari, terminum nempe quemlibet resolvendo in duos factores, quorum alter est Quantitas integra Numeratori fractionis resolvendæ æqualis, alter vero fractio, cujus Numerator unitas, Denominator æqualis Denominatori resolvendæ: atque hanc ulterius convertendo in potentiam imperfectam exponentis negativi, more Analystis dudum recepto. e. g. in serie §. 7, $a^2-1, :a=a^2-1, .a^{-1}, a^2-1, :a^3=a^2-1, .a^{-3}, a^2-1, :a^5=a^2-1, .a-^5$ &c. ut adeo series citata abeat in hanc: $a^2-1, .a^{-1}+a^2-1, .a^{-3}+a^2-1, .a^{-5}+a^2-1, .a^{-7}+a^2-1, .a^{-9}$, hoc est, si actu multiplicemus, $a-a^{-1}+a^{-1}-a^{-3}+a^{-3}-a^{-5}+a^{-5}-a^{-7}$ &c. Unde alia adhuc ratione apparet, series per methodum nostram productas æquivalere quantitati propositæ, cum redigantur ad series in quibus terminus primus est ipsa quantitas proposita, bini reliquorum vero terminorum constanter se mutuo destruunt.

§. 19.

Utut vero fractio quælibet per hanc methodum in series infinitas, quæ & ipsæ numero sunt infinitæ, resolvatur; consultum tamen est hic quoque exponere methodum, quam pro fractionibus in series infinitas resolvendis dedit *Nicolaus Mercator, Holsatus, in Logarithmotechnia, Londini 1668. in 4. publicata, prop. 15. p. 29. & 30,* exposuit post ipsum *celeberrimus Wallisius, in Algebra* c. 88. f. 362. & *seqq. Vol.* 2. *Oper Mathem.* Quamvis enim per hanc una fractio non in tot resolvitur series; quæ tamen hinc prodeunt series, in Geometria longe utilissimæ existunt. Tota autem huc redit, ut divisio actu instituatur juxta communes divisionis in Arithmetica litterali leges.

§. 20.

Non opus igitur est, ut eas hic exponamus, cum sint satis notæ: adeoque ad exemplum saltem aliquod erunt applicandæ. Sit igitur in seriem resolvenda fractio $a:, b+c$. Assumatur quoti loco $a:b$, qui ductus in $b+c$ dabit $ab:b+ac:b=a+ac:b$. Facto hoc ex dividendo a subducto relinquitur $-ac:b$. Quodsi jam hoc residuum ulterius dividas per $b+c$, quotus novus erit $-ac:bb$, qui per divisorem multiplicatus producit $-abc:bb-acc:bb=-ac:b-a$

$cc:bb$

$cc:bb$ ex dividendo $-ac:b$ auferendum, ut relinquatur $+acc:bb$. Hoc reſiduum ſi denuo dividatur per $b+c$, quotus novus erit $acc:b^3$. Atque adeo vulgari hac diviſione continuata, quouſque libuerit, inveniuntur termini quotlibet ſeriei infinitæ, deprehenditurque $\frac{a}{b+c} = \frac{a}{b} - \frac{ac}{b^2} + \frac{ac^2}{b^3} - \frac{ac^3}{b^4} + \frac{ac^4}{b^5}$ &c. in infinitum.

§ 21.

Inventis autem aliquot ſaltem terminis, ſtatim apparet, qua ratione ſeries citra diviſionem actu inſtitutam in infinitum ſit continuanda. In noſtro ſcilicet exemplo evidens eſt, Numeratores conſtituere ſeriem progreſſionis Geometricæ, in qua terminus primus eſt a, exponens rationis c; Denominatores contra ſeriem Progreſſionis Geometricæ alterius, cujus terminus primus b coincidit cum exponente rationis.

§. 22.

Nititur cognitio continuationis in infinitum non nuda inductione, qua argumentantur ab aliquibus ſingularibus ad univerſalia. Talis enim argumentandi modus ex Matheſi, in qua omnimodam ſectamur certitudinem, merito eliminandus, cum ſit ex natura ſua erroneus, utpote fundamento hoc manifeſte falſo nixus: Quicquid competit aliquibus ſingularibus ſub uno genere contentis, illud competit omnibus: ut recte eundem a *Walliſio* in *Arithmetica infinitorum* uſurpatum taxaverit *Fermatius* in litteris ad *Kenelmum Digby* datis, quæ leguntur *Vol. II. Oper. Mathem. Walliſianorum* f. 760. & 761; taxaverint *Collectores Actorum Erudit. Lipſienſ. Menſ. Jun.* anni 1696. p. 252. & *Menſ. Jun. anni* 1686. p. 287; taxaverint & alii. Neque enim ſufficit, ut propoſitiones per inductionem collectæ ſæpius ſint veræ; ſiquidem non ideo veræ ſunt, quod per inductionem collectæ, ſed quia caſu incidimus in talia per quorundam ſingularium contemplationem, quæ omnibus ſub eodem genere contentis conveniunt. Equidem ab uno ſingulari ad omnia ſub eodem genere contenta procedit argumentatio, ſi demonſtratum fuerit, quod de ſubjecto aliquo affirmatur, eidem competere, quatenus naturam generis, ſub quo continetur, participat, (ita enim competere debet omnibus naturam generis participantibus,

atque

atque in hoc ipso fundatur methodus veritates particulares ad universales revocandi) enimvero proposita tali demonstratione, res tota confecta est, nec ullus amplius relinquetur inductioni locus.

§. 23.

Ostendemus igitur in nostro exemplo, quo pacto ex genuinis notionibus progressus totius seriei inventis aliquibus terminis deducatur. Scilicet dividendus primum propositus unica constat nota *a*, divisor duabus *a*+*c*. Pro obtinendo termino primo dividendus *a* per primam divisoris notam *b* divisus quoti loco reponitur, qui per primam divisoris notam *b* multiplicatus producit dividendum *a*, ductus in notam alteram *c*, dat fractionem, cujus Numerator est factum ex dividendo primum proposito a in notam divisoris alteram *c*. Quodsi adeo hæc duo facta ex dividendo subducantur, relinquitur fractio prædicta cum signo privativo. Dum jam ulterius quæritur novus quotus, dividendus per primam divisoris notam dividitur; cum vero ille sit fractio, cujus Numerator factum ex dividendo primum proposito in notam divisoris alteram, Denominator nota divisoris prima, prodibit pro termino secundo seriei fractio, cujus Numerator idem cum Numeratore dividendæ, Denominator factum ex prima divisoris nota in eandem, h. e. quadratum ejusdem. Hæc fractio si ducatur in divisoris notam primam, prodit dividendus; si in secundam, emergit factum ex primum proposita fractione in notam secundam divisoris: & utraque quantitas signo privativo affecta. Cum adeo quotus continuo sit fractio ex dividendo per primam divisoris notam diviso emergens, & in divisorem ductus producat factum ex gemina parte compositum, quarum altera æquatur dividendo, altera producto ex quoto in alteram divisoris notam; hoc ex dividendo subductum semper residuam facit partem sui alteram, qui in divisione prima est fractio, cujus Numerator factum ex dividendo primum proposito in alteram divisoris notam, Denominator prima divisoris nota. Quare in omni divisione exponens notæ secundæ divisoris in fractionis Numeratore, & exponens primæ in ipsius Denominatore unitate augetur, adeoque progressio earum notarum procedit secundum ordinem potentiarum naturalem. Quod attinet alternationem signorum

signorum + & —, facile hic invenire locum intelligitur. Cum enim dividendus semper sit nota unica, factum, dum divisio peragitur, ex eo subducendum ex duabus constet notis positivis quarum prior dividendo æquatur, evidens est residuum in prima divisione esse debere negativum: & quia in secunda notæ facti subducendi sunt privativæ, residuum fore positivum, consequenter in tertia notæ ejusdem facti erunt positivæ, hinc residuum negativum. Quoniam ergo productum subducendum est positivum, si dividendus fuerit positivus & contra, residuum vero positivum, si illud negativum, & contra; Signorum + & — alternatio per integram seriem in infinitum necessaria est.

§. 24.

Tria hic notanda sunt, nempe 1. quod, quia nil refert, utrum divisor scribatur $b+c$, an $c+b$, fractio $a:b+c$ in aliam resolvatur, si c fiat prima divisoris nota, & reliqua peragantur ut in §. 20. Reperietur enim $\frac{a}{c+b} = \frac{a}{c} - \frac{ab}{cc} + \frac{abb}{c^3} - \frac{ab^3}{c^4} + \frac{ab^4}{c^5}$ &c.

2) Quod fractiones quoque, quarum Denominator æque ac Numerator nota unica constat, in series resolvantur, si divisor supponatur æqualis quantitati cuidam alteri ex duabus partibus compositæ, e. gr. $a:b=a:, c+1$. Ita enim deprehendetur $\frac{a}{b} = \frac{a}{c} - \frac{a}{c^2} + \frac{a}{c^3} - \frac{a}{c^4}$ &c. vel si assumatur $a:b=a., 1+c$, $a - ac + ac^2 - ac^3$. Substituto igitur valore ipsius c in serie prima, erit $\frac{a}{b} = \frac{a}{b-1} - \frac{a}{\overline{b-1}^2} + \frac{a}{\overline{b-1}^3} - \frac{a}{\overline{b-1}^4}$ &c.

Idem si fiat in serie altera; prodit $a:b=a-a., b-1+a., \overline{b-1}^2 - a., \overline{b-1}^3$ &c. 3) Quod eadem divisio iis etiam applicari queat fractionibus, quarum Numerator est quantitas composita. Sit e. gr. $x^3-y^3, : x+y$, reperietur series, $xx - xy + yy - \frac{2y}{x} + \frac{2y^4}{xx} - \frac{2y^5}{x^3} + \frac{2y^6}{x^4}$ &c. h. e. ut ratio continuationis facilius appareat, $x^2 . y^0 - x^1 . y^1 + x^0 . y^2 - \frac{2 . y^3}{x} + \frac{2 . y^4}{x^2} - \frac{2 . y^5}{x^3} - \frac{2 . y^6}{x^4}$ &c. Sit in genere $x^m-y^m, :$,

$x+y$ prodibit series $x^{m-1}-x^{m-2}y+x^{m-3}y^2-x^{m-4}y^3+x^{m-5}y^4-x^{m-6}y^5$ &c. cujus ope aliæ fractiones per conſuetas comparationum leges in ſeries infinitas reſolvuntur, ex. gr. Sit $m=4$, erit $x^m-y^m,:,x+y=x^4-y^4,:,x+y,x^{m-1}=x^3,-x^{m-2}y=-xy,x^{m-3}y^2=xy^2,-x^{m-4}y^3=-y^3,x^{m-5}y^4=y^4:x,-x^{m-6}y^5=-y^5:x^2$, hoc eſt, invenietur ſeries $x^3-xy+xy^2-y^3+\frac{y^4}{x}-\frac{y^5}{xx}$ &c.

§. 25.

Quantitates ſurdæ in ſeries convertuntur, ſi ex potentia imperfecta ſub ſigno radicali poſita juxta leges extractionis Radicum conſuetas actu extrahatur radix. Unde denuo opus non eſt, ut has leges fuſius exponamus: quin potius applicandæ ſtatim ſunt ad unum alterumque exemplum, ut res evadat manifeſta. Primus autem hac methodo uſus eſt *Iſaacus Newtonus*, Geometra profundiſſimus, quemadmodum apparet ex litteris ad *Dn. Oldenburgium* d. 24. Oct. anni 1676. datis, quæ leguntur *Tom. 3. Oper. Walliſ.* f. 634. & ſeqq. Utiliter eandem quoque adhibuit *David Gregorius in Exercit Geometr. de dimenſione Figurarum* & perſpicue explicavit p. 20. & 21, quod etiam fecit *Walliſius in Algebra* c. 91. 368.

§. 26.

Sit igitur $\sqrt{cc+xx}$ convertenda in ſeriem infinitam. Extrahatur adeo actu radix ex $cc+xx$. Iuxta regulas igitur conſuetas c erit terminus primus radicis, cujus quadratum cc ex $cc+xx$ ſubductum relinquit xx. Iam novus diviſor erit $2c$, per quem diviſione inſtituta prodit $xx:2c$. Quotus hic ſi ducatur in diviſorem $2c$, habebitur, $2cxx:2c=xx$, quod productum una cum quadrato novi quoti $x^4:4c^2$ ex dividendo xx ſublatum relinquit $-x^4:4c^2$. Habemus adeo quotum $c+xx:2c$, cujus duplum $2c+xx:c$ dat novum diviſorem: per quem ſi dividatur $-x^4:4c^2$, quoti loco prodit $-x^4:8c^3$. Is in diviſorem $2c+xx:c$ ductus producit $-2cx^4:8c^3=-x^4:4cc-x^6:8c^4$, quod productum una cum quadrato novi quoti $x^8:64c^6$ ex dividendo $-x^4:4c^2$ ſubductum relinquit $x^6:8c^4-x^8.64c^6$. Duplum quoti inventi $2c+xx:c-x^4:4c^3$ dat denuo novum diviſorem, per quem ſi dividatur reſiduum $x^6:8c^4-x^8:64c^6$, quotus erit $x6:16c^5$. Hic ductus in diviſorem producit $2cx^6:16c^5+x^8:16c^6+x^{10}:16c^5$,

$16c^5$, quod productum una cum Quadrato novi quoti $x^{12}:256c^{10}$ ex dividendo $x^8:8c^4-x^8:64c^6$ sublatum relinquit $-5x^8:64c^6-x^{10}:16c^8-x^{12}:256c^{10}$. Si jam residuum ulterius dividatur per duplum quoti hactenus inventi, $2c+xx:c-x^4:4c^3+x^6:8c^5$, obtinebitur quotus $-5x^8:128c^7$. Ut adeo prodeat $\sqrt{cc+xx}=c+\frac{xx}{2c}-\frac{x^4}{8c^3}+\frac{x^6}{16c^5}-\frac{5x^8}{128c^7}$ &c.

§. 27.

Eadem ratione quantitas irrationalis ad seriem infinitam revocatur, si extrahenda sit radix cubica: e. gr. Sit quantitas resolvenda $\sqrt[3]{ax^2+x^3}$, ex ax^2 extracta radix est $a^{\frac{1}{3}}x^{\frac{2}{3}}$, cujus Cubus ax^2 ex proposito cubo imperfecto sublatus relinquit x^3. Per quadrati quoti inventi triplum $3a^{\frac{2}{3}}x^{\frac{4}{3}}$ si dividatur x^3, novus quotus erit $x^3:3a^{\frac{2}{3}}x^{\frac{4}{3}}=\frac{1}{3}a^{-\frac{2}{3}}x^{\frac{5}{3}}$, qui ductus in divisorem $3a^{\frac{2}{3}}x^{\frac{4}{3}}$ dat x^3, una cum facto ex quadrato novi quoti $\frac{1}{9}a^{-\frac{4}{3}}x^{\frac{10}{3}}$ in triplum antecedentis $3a^{\frac{1}{3}}x^{\frac{2}{3}}$ nempe $\frac{1}{3}a^{-1}x^{\frac{12}{3}}$ & cubo novi Quoti $\frac{1}{27}a^{-\frac{6}{3}}x^{\frac{15}{3}}$ subducendum ex x^3, ut relinquatur $-\frac{1}{3}a^{-1}x^{\frac{12}{3}}-\frac{1}{27}a^{-\frac{6}{3}}x^{\frac{15}{3}}$. Quodsi denuo per quoti inventi quadrati triplum dividatur hoc residuum, invenietur novus quotus $\frac{1}{9}a^{-\frac{5}{3}}x^{\frac{8}{3}}$. Continuans processum juxta leges consuetas extrahendi radicem Cubicam deprehendet $\sqrt[3]{ax^2+x^3}=a^{\frac{1}{3}}x^{\frac{2}{3}}+\frac{1}{3}a^{-\frac{2}{3}}x^{\frac{5}{3}}-\frac{1}{9}a^{-\frac{5}{3}}x^{\frac{8}{3}}+\frac{5}{81}a^{-\frac{8}{3}}x^{\frac{11}{3}}$ &c.

§. 28.

Eodem modo se res habet in extrahendis radicibus dignitatum altiorum. Utut vero leges harum Operationum in Arithmetica exponi non consueverint; attamen in Algorithmo litterali hospes sit necesse est, qui eos extemplo investigare non noverit cum saltem opus sit, ut radix binomia $a+b$ elevetur ad eam dignitatem, cujus radix desideratur, atque in exemplo hoc universali attendatur, qualis in-

ſtitui debeat diviſio, ut radix nota $a+b$ quoti loco obtineatur. Quare cum hæc ſatis facilia exiſtant, ea ulterius proſequi tædet.

§. 29.

Quoniam hæ operationes prolixæ ac ideo tædioſæ exiſtunt; pro extractione radicum ſequens theorema condidit methodi hactenus expoſitæ celeberrimus Autor: $\overline{P+PQ}^{\frac{m}{n}} = P^{\frac{m}{n}} + \frac{m}{n}AQ + \frac{m-n}{2n}BQ + \frac{m-2n}{3n}CQ + \frac{m-3n}{4n}DQ$ &c. in quo $P+PQ$ denotat quantitatem, ex qua extrahenda radix, P terminum ejus primum, Q illius reſiduum per terminum primum diviſum, A ſeriei terminum primum, B ſecundum, C tertium, D quartum &c. Quibus notatis, evidens eſt theorematis uſus. Sit enim extrahenda radix quadrata ex $cc+xx$, erit $P=cc$, $Q=xx:cc$, $m=1$, $n=2$. Quare $P^{\frac{m}{n}} = cc^{\frac{1}{2}} = c$, $\frac{m}{n}AQ = \frac{1}{2}c.\frac{xx}{cc} = \frac{xx}{2c}$, $\frac{m-n}{2n}BQ = \frac{1}{4}.\frac{xx}{2c}.\frac{xx}{cc} = -\frac{x^4}{8c^3}$, $\frac{m-2n}{3n}CQ = \frac{1}{6}.\frac{x^4}{8c^3}.\frac{xx}{cc} = +\frac{x^6}{16c^5}$ &c. Obtinetur adeo multo facilius eadem ſeries quæ operoſius in §. 26 inveniebatur, nempe $\sqrt{cc+xx} = c + \frac{xx}{2c} - \frac{x^4}{8c^3} + \frac{x^6}{16c^5}$ &c. Sit ulterius extrahenda radix cubica ex ax^2+x^3, erit $P=ax^2$, $PQ=x^3:axx=a^{-1}x$, $m=1$, $n=3$, adeoque $P^{\frac{m}{n}} = a^{\frac{1}{3}}x^{\frac{1}{3}}$, $\frac{m}{n}AQ = \frac{1}{3}.a^{\frac{1}{3}}x^{\frac{2}{3}}.a^{-1}x = \frac{1}{3}a^{\frac{2}{3}}x^{\frac{5}{3}}$, $\frac{m-n}{2n}BQ = \frac{1}{6}.\frac{1}{3}a^{-\frac{2}{3}}x^{\frac{5}{3}}.a^{-1}x = -\frac{1}{9}a^{-\frac{5}{3}}x^{\frac{8}{3}}$, $\frac{m-2n}{3n}CQ = \frac{1-6.}{9}.-\frac{1}{9}a^{-\frac{5}{3}}x^{\frac{8}{3}}.a^{-1}x$

$a^{-1}x = +\frac{5}{81}a^{-\frac{8}{3}}x^{\frac{11}{3}}$, $\frac{m-3n}{4n}$DQ$= \frac{1-9}{12}\cdot\frac{5}{81}a^{-\frac{8}{3}}x^{\frac{11}{3}}\cdot a^{-1}x = -\frac{10}{243}$
$a^{-\frac{11}{3}}x^{\frac{14}{3}}$. Ut adeo denuo obtineatur series in §. 27. inventa nempe
$\sqrt[3]{axx+x^3} = a^{\frac{1}{3}}x^{\frac{2}{3}} + \frac{1}{3}a^{-\frac{2}{3}}x^{\frac{5}{3}} - \frac{1}{9}a^{-\frac{5}{3}}x^{\frac{8}{3}} + \frac{5}{81}a^{-\frac{8}{3}}x^{\frac{11}{3}} - \frac{10}{243}a^{-\frac{11}{3}}x^{\frac{14}{3}}$ &c.

§. 30.

Qua ratione ad theorema hoc utilissimum pervenerit, partim ipse in epistola d. 24. Octob. anni 1676. per *Oldenburgium* ad *Leibnitium* data, quæ legitur apud *Wallisium Vol.* III. f. 634. & seqq. partim *Wallisius in Algebra cap. 85. f. 357. & cap. 91. f. 368.* exponit. Ejusdem originem quoque exponit *Bernhardus Nieuwentiit in Analysi infinitorum cap. 2. §. 21. p. 146. & seqq.* *Abrahamus* item *de Moivre in Animadv. in Cheynæum p. 93. & 94.* Nos saltem adhuc notamus, cum sit $\sqrt[m]{f+g}^{n} = f+g^{\frac{n}{m}}$, adeoque extractio radicis m ex dignitate n ipsius $f+g$ coincidat cum evectione ad dignitatem $\frac{n}{m}$; per idem theorema radicem binomiam ad dignitatem quamcunque attolli posse. Atque hinc cum $a = a.\overline{b+c}^{-1}$, poterit per idem divisio quoque peragi, si nempe $b+c$ evehatur ad potestatem -1, & seriei emergentis singuli termini multiplicentur per a. Erit nempe

$P = b$, $Q = c:b$, $m = -1$, $n = 1$ adeoque $P^{\frac{m}{n}} = b^{-1}$ $AQ = -1.$
$b^{-1}.c:b = cb^{-2}$, $\frac{m-n}{2}$BQ$= -\frac{2}{2}.-cb^{-2}.c:b = +c^2b^{-3}$, $\frac{m-2n}{3n}$CQ$= -\frac{3}{3}.$
$c^2b^{-3}.c:b = -c3b^{-4}$, $\frac{m-3n}{4n}$DQ$= -\frac{4}{4}.-c^3b^{-4}.c:b = +c^4b^{-5}$. Erit adeo

$\frac{1}{b+c} = \frac{1}{b} - \frac{c}{bb} + \frac{c^2}{b^3} - \frac{c^3}{b^4} + \frac{c^4}{b^5}$ &c. Quodsi itaque multiplicatio

fiat per a prodibit $\frac{a}{b+c} = \frac{a}{b} - \frac{ac}{bb} + \frac{ac^2}{b^3} - \frac{ac^3}{b^4} + \frac{ac^4}{b^5}$ &c. prorsus ut in §. 20.

§. 31.

Cum theorema hoc Newtonianum saltem ad quantitates binomias extendatur; placuit *Abrahamo de Moivre*, Analystæ peritissimo excogitare theorema universale, pro infinitinomio ad potestatem indeterminatam elevando, cujus adeo ope multinomium quodcunque ad datam quamcunque dignitatem evehitur. Investigationem theorematis exhibuit, continuationis legem patefecit, patefactam demonstratione munivit (id quod semper in doctrina serierum infinitarum fieri debebat per §. 1. & 22). *in Transact. Anglic. A. 1697. num. 230. p. 619. & seqq.* Proposuit etiam nobilissimum hoc theorema in *Animadv. laudatis* p. 99. & legem continuationis patefacit p. 100: prolixius tamen est, quam ut huc transferatur.

§. 32.

Ipse autem *Newtonus* præter theorema explicatum regulam tradidit pro integrandis quantitatibus in seriebus infinitis, quam explicant *Wallisius in Algebra* c. 95. f. 394. & *Abrahamus de Moivre in Animadv. citat.* p. 38. & seqq. quorum hic methodi demonstrationem Analyticam exhibet p. 42. & 43. Enimvero cum applicatio tædiosa evadat, & *Illustris Leibnitius in Actis Erudit. Lipsi. anni 1693.* p. 178. novam exhibuerit methodum eamque generalissimam, ita ut ejus ope non tantum in calculo communi, sed & in summatorio seu differentiali, aut differentio-differentiali ad seriem semper perveniri possit; illius explicationem in præsenti omittimus, Leibnitianæ recensendæ operam nostram dicaturi.

§. 33.

Data scilicet quantitate in seriem resolvenda, supponit seriem jam esse inventam, in qua coëfficientes terminorum ex successu definit: quemadmodum ex subjuncto exemplo apparet. Sit e. gr. quantitas per seriem infinitam integranda $adx:, a+x=dy$, erit multiplicando per $a+x$, $adx=ady+xdy$, & dividendo per dx, $a=ady+xy:dx$, consequenter $ady+xdy, :dx-a=o$. Fiat jam $y=bx+cx^2+ex^3+fx^4$ &c. erit per leges calculi differentialis $dy=bdx+2cxdx$

$cx\,lx + 3ex^2\,dx + 4fx^3\,dx$ &c. adeoque $dy:dx = b + 2cx + 3ex^2 + 4fx^3$ $ady:dx = ab + 2acx + 3eax^2 + 4afx^3$ &c. & $xdy:dx = bx + 2cx^2 + 3ex^3 + 4fx^4$. Quare habebitur

$$\frac{ady - xdy - a}{dx} = ab + 2acx + 3aex^2 + 4afx^3 \text{ &c.}$$

$$+ bx + 2cx^2 + 3ex^4 - a = 0$$

adeoque

$ab - a = 0$	$2ac + b = 0$	$3ae + 2c = 0$	$4af + 3e = 0$
$ab = a$	$2ac = -b$	$3ae = -2c.$	$4af = -3e$
$b = 1$	$c = -b:2a$	$e = -2c:3a$	$f = -3e:4a$

h. e. $c = -1:2a$ h. e. $e = 1:3aa$ h. e. $f = -1:4a^3$.

Cœfficientium valores ita determinati si subſtituantur in æquatione arbitrario assumta, prodit $y = x - \frac{x^2}{2a} + \frac{x^3}{3a^2} - \frac{x^4}{4a^3}$ &c. integralis ipsius $dy = adx:, a + x$.

§. 34.

Methodum hanc cum proposuisset *Illustris Leibnitius*, placuit celeberrimo *Iohanni Bernoullio in iisdem Actis anni 1694. p. 437. & seqq.* exhibere theorema generale, cujus ope facilius habentur series, quam si pro dato quolibet exemplo peculiaris calculus instituendus. Est vero sequens: $n\dot{z} = nz - \frac{zzdn}{1.2\,dz} + \frac{z^3ddn}{1.2.3dz^2} - \frac{z^4dddn}{1.2.3.4.dz^3}$ &c. in quo n est quantitas quomodocunque ex indeterminatis & constantibus formata. Utut vero in eodem occurrant quantitates differentiales, differentio-differentiales &c. in applicatione tamen omnes evanescunt, quoniam in quolibet casu datur relatio ipsius dn ad dz^2 &c. Ut applicatio hujus theorematis manifesta evadat, proponatur denuo in seriem resolvenda $adx:, a + x$, erit $z = x$ $dz = dx$, $n = a:, a + x$, hoc est, si $a + x$ fiat $= r$, $a:r$. Quare $nz = ax:r$, $dn = -adx:r^2$, $ddn = 2radxdr:r^4$, assumta scilicet $-adx$ pro constanti, $= 2adx^2:r^3$ actu nempe dividendo per r, & pro dr subſtituendo dx, cum enim sit $a + x = r$, erit $dx = dr$; $dddn = -6r^2\,adx^2\,dr:r^6$, assumta nempe denuo $2adx^2$ pro constanti, $= -6adx^3:r^4$, actu nimirum dividendo per r^2 & pro dr subſtituendo dx. Unde porro habetur $-\frac{zzdn}{2dz}$:

$2dz = +ax^2dx : 2r^2dx$, $2^3ddn : 6dz^2 = 2ax^3dx^2 : 6r^3dx^2$, $-z^4dddn : 24dz^3 = +6ax^4dx^3 : 24r^4dx^3$. Invenitur adeo integralis ipsius $adx :$, $a+x = \frac{ax}{r} + \frac{ax^2}{2r^2} + \frac{ax^3}{3r^3} + \frac{ax^4}{4r^4}$ &c. Apparet adeo, in Actis Lipsiensibus errorem typographicum fuisse commissum, cum ibi habeatur $\frac{ax}{r} + \frac{ax^2}{r^2} + \frac{ax^3}{r^3}$ &c. quem miror Tractatui suo de Methodo fluxionum inversa intulisse *Cheynæum* p. 50.

§. 35.

Qua ratione hoc theorema investigetur, docuit *Abrahamus de Moivre* l. c. p. 71. Ponatur scilicet ipsius ndz integralis $= nz - q$, erit $ndz = ndz + zdn - dq$, adeoque $dq = zdn$. Fiat $dn = vdz$, erit $dq = vzdz$. Ponatur ejus integralis $\frac{1}{2}vzz - r$, erit $vzdz = vzdz + \frac{1}{2}z^2dv - dr$, adeoque $dr = \frac{1}{2}z^2dv$. Fiat $dv = sdz$, erit $dr = \frac{1}{2}z^2sdz$. Ponatur ejus integralis $\frac{1}{6}z^3s - t$, erit $\frac{1}{2}z^2sdz = \frac{2}{6}z^2sdz + \frac{1}{6}z^3ds - dt$, adeoque $dt = \frac{1}{6}z^3ds$. Fiat $ds = xdz$, erit $dt = \frac{1}{6}z^3xdz$, cujus integralis ponatur $\frac{1}{24}z^4x - w$. Et sic in infinitum. Invenitur adeo integralis $ndz = nz - \frac{1}{2}vzz + \frac{1}{6}z^3s - \frac{1}{24}z^4x$ &c. h. e. Int. $ndz = nz - \frac{z^2dn}{1.2.dz} + \frac{z^3ddn}{1.2.3dz^2} - \frac{z^4dddn}{1.2.3.4dz^3}$ &c. Nam $dn = vdz$, adeoque $dn : dz = v$. Et $dv = sdz$, h. e. $ddn : dz = sdz$, assumendo dz pro constante, consequenter $ddn : dz^2 = s$. Denique $ds = xdz$, h. e. assumendo in $ddn : dz^2$ pro constante dz^2, $dddn : dz^2 = xdz$, adeoque $dddn : dz^3 = x$.

§. 36.

Eodem prorsus modo, quo theorema hoc generale investigatur, in exemplis etiam singularibus inveniri possunt series. Sit ex. gr. in seriem resolvenda $adx :$, $a+x$. Fiat $a+x = r$, erit $adx :$, $a+x = adx : r$. Ponatur integralis ipsius $adx : r = ax : r + q$, erit $adx : r = ardx - axdr, : r^2 + dq = adx : r - axdr : r^2 + dq$, consequenter $dq = axdr : r^2$. Ponatur ejus integralis $ax^2 : 2r^2 + v$. Erit $axdr : r^2 = axr^2$

dx—

$dx - ax^2rdr, : r^4 + dv = axdx : r^3 - ax^2dr : r^3 + dv$, consequenter $dv = ax^2dr : r^3 = ax^2dx : r^3$. Ponatur ejus integralis $ax^3 : 3r^3 + s$, erit $ax^2 dx : r^3 = 9ax^2 r^3dx - 9ax^3r^2dr, : 9r^6 + ds = ax^2dx : r^3 - ax^3dz : r^4 + ds$, adeoque $ds = ax^3dr : r^4 = ax^3dx : r^4$ &c. Habetur itaque Integr. $\frac{adx}{a+x} =$

$\frac{ax}{r} + \frac{ax^2}{2r^2} + \frac{ax^3}{3r^3} + \frac{ax^4}{4r^4}$ &c. prorsus ut in §. 34.

§. 37.

Methodi serierum hactenus explicatæ insignis est usus tum in quadrandis, tum in rectificandis curvis, nec minus in determinando centro gravitatis & percussionis, aliisque in casibus. Utut vero omnium commodissime hic adhibeatur calculus integralis seu summatorius, qui est differentiali reciprocus, utpote ex differentiis investigare docens summas, quemadmodum differentialis ex summis quærit differentias; quoniam tamen summæ sunt ut latera, differentiæ ut potentiæ quantitatum, sicuti ex potentiis non semper extrahi potest radix perfecte, ita nec differentiæ semper summari possunt. Quamobrem in hoc casu opportune recurrimus ad series infinitas, sicut in extractione radicum, ubi perfecta radix haberi nequit, ad approximationem in partibus decimalibus confugimus. Immo interdum series infinitæ commode adhibentur etiam ubi differentiis respondent summæ. Scilicet si valorem differentiæ ingrediantur plures indeterminatæ, ab iisdem liberandus est, ut saltem restet unica, atque adeo differentialis integrabilis reddatur. Hic vero sæpius hæret aqua; sæpius molesta est operatio in separandis indeterminatis. Potest & unica saltem adesse indeterminata, sed ita connecti cum valore differentialis, ut ejus integrationem impediat, adeoque formula aliter sit præparanda ut summabilis evadat. Per series autem infinitas difficultatem istam tollere licet.

§. 38.

Hæc ut rectius intelligantur, unum alterumque proferre libet exemplum. e. gr. Sit quadrandum spatium hyperbolicum interminatum intra asymptotos. Sit KL Hyperbola, TV & VN sint ejus asymptoti. Fiat VH=HI=a, VA=c, AP=x, PM=y. Intelligatur pm ipsi PM infinite propinqua, erit $Pp = dx$ & ex datis est Fig. 36.

$VP = c + x$. Jam cum sit $VH : HI = VP : PM$, *per prop. 2. libr. 4. Sect. Con. Philippi de la Hire*; erit $a^2 = y + yx$, adeoque $y = a^2 : c + x$. Est autem $Pm = ydx$ differentialis areæ interminatæ intra hyperbolam & ipsius asymptotos. Quare $\int ydx$ æquatur areæ quæsitæ. Hæc summa ut inveniatur, ex natura Curvæ primo loco substituitur valor ipsius y, ut evadat $ydx = a^2dx : c + x$, qui cum summari nequeat, $a^2 : c + x$ resolvitur per methodum aliquam superius expositam, ex gr. per §. 20, in seriem infinitam $\frac{a^2}{c} - \frac{a^2x}{c^2} + \frac{a^2x^2}{c^3} - \frac{a^2x^3}{c^4}$ &c. Unde $a^2dx : a + x$ evadit $\frac{a^2dx}{c} - \frac{a^2xdx}{c^2} + \frac{a^2x^2dx}{c^3} - \frac{a^2x^3dx}{c^4}$ &c. quæ series si integretur, cum singuli termini summabiles existant, prodit $\int ydx = \frac{a^2x}{c} - \frac{a^2x^2}{2c^2} + \frac{a^2x^3}{3c^3} - \frac{a^2x^4}{4c^4}$ &c.

§. 39.

Fig. 37. Sit ulterius rectificanda Parabola, h. e. determinanda sit longitudo Parabolæ AM. Sit $AP = x$, $PM = y$, Parameter $= a$, erit $Pp = dx$, $MR = dy$, & $PT = 2yy : a$ *per art. 11. Analys. infinite parvorum Hospitalii.* Et $TM = \sqrt{4y^4 : a^2 + y^2}$, *per prop. 47. Elem. 1.* Erit etiam $MP : TM = mR : Mm$, *per art. 10. Anal. cit.* h. e. $y : \sqrt{4y^4 : a^2 + y^2} = dy : Mm$. Ut ergo valor elementi curvæ determinetur integrabilis, ex $y^2 + 4y^4 : a$ radix actu extrahatur per §. 29, quæ reperietur $= y + \frac{2y^3}{a^2} - \frac{2y^5}{a^4} + \frac{4y^7}{a^6} - \frac{10y^9}{a^8}$ &c. Ea si multiplicetur per dy & dividatur per y, prodibit $dy + \frac{2y^2dy}{a^2} - \frac{2y^4dy}{a^4} + \frac{4y^6dy}{a^6} + \frac{10y^8dy}{a^8}$ &c. elementum curvæ Mm; cujus integralis $y + \frac{2y^3}{3a^2} - \frac{2y^5}{5a^4} + \frac{4y^7}{7a^6} - \frac{10y^9}{9a^8}$ &c. longitudinem curvæ Am quæsitam determinat.

§. 40.

Quodsi detur æquatio pro omnibus Paraboloidibus in infinitum,

tum, $y^m = a^n \dot{x}$, & *per art. cit. Analyſ. infinit.* inveniatur $TM = m y^m : a^n$, erit $TM = \sqrt{y^2 + m^2 y^{2m} : a^{2n}}$ quæ per §. 29. abit in ſeriem $y + \frac{m^2 y^{2m-1}}{2a^{2n}} - \frac{m^4 y^{4m-3}}{8a^{4n}} + \frac{m^6 y^{6m-5}}{16a^{6n}} - \frac{5m^8 y^{8m-7}}{128a^{4n}}$ &c. Ea ſi multiplicetur per dy & dividatur per y obtinebitur valor generalis elementi omnium Paraboloidum in infinitum, $= dy + \frac{m^2 y^{2m-2} dy}{2a^{2n}} - \frac{m^4 y^{4m-4} dy}{8a^{4n}} + \frac{m^6 y^{6m-6} dy}{16a^{6n}} - \frac{5m^8 y^{8m-8} dy}{128a^{4n}}$ &c. Cujus integralis $y + \frac{m^2 y^{2m-1}}{2m-1, .\ 2a^{2n}} - \frac{m^4 y^{4m-3}}{4m-4, .\ 8a^{4n}} + \frac{m^6 y^{6m-5}}{6m-5, .\ 16a^{6n}} - \frac{5m^8 y^{8m-7}}{8m-7, .\ 128a^{4n}}$ &c. inſervit determinandæ longitudini omnium Paraboloidum in infinitum.

§. 41.

Plura exempla ut addamus, inſtituti noſtri ratio non permittit. Conſultum tamen videtur annotare, unde plura peti poſſint. Primus igitur quadraturam Hyperbolæ in ſerie infinita exhibuit *Nicolaus Mercator*, ſupra laudatus, *in Logarithmotechnia, prop. 17.* p. 31. ſeqq. cujus demonſtrationem dedere *Walliſius in Tranſ. Anglic. A. 1668. num. 38.* p. 756. & ſeqq. & *Jacobus Gregorius, Scotus, in Exercitationibus Geometricis Lond. 1668. in 4to. editis* p. 9. & ſeq. Eodem anno ſeriem infinitam pro hyperbola quadranda *in Transact. Anglic. num.* 34. p. 646 & ſeq. propoſuit *Guil. Brouncker, Vice-Comes.* Tertiam addidit *Walliſius in Mechanica, anno 1670. primum edita, cap. 5, prop. 31. f. 916. & ſeq. Vol. I. Oper. Math.* Autor tamen eſt idem *Walliſius in Algebra cap.* 90. *f. m.* 366. methodum ſerierum ad quadrandam hyperbolam jam ante hos omnes applicaſſe *Newtonum.* Immo *Leibnitius* quoque non ſolum jam circa illud tempus methodum invenerat quantitates quascunque in ſeries reducendi, quemadmodum ex litteris a *Newtono* anno 1675. d. 13. Jun. ad *Oldenburgium* datis & d. 26. Jun. cum *Leibnitio* communicatis colligitur, quæ leguntur apud *Walliſium Oper. Math. Vol. III. f. 622.* ſed & ad problemata utilia ſolvenda adhibuit, quorum ſpeci-

mina egregia una cum ipsa methodo traduntur in ipsis litteris A. 1676. d. 27. Aug. ad *Oldenburgium* datis & cum *Newtono* communicatis, quæ denuo leguntur apud *Wallisium* l. c. f. 629. & seq.

§. 42.

Varia quoque serierum exempla dedit *Leibnitius in Actis Eruditorum Lipsiensibus.* Ita e. gr. A. 1683. *Mens. Octobr.* p. 425. & seq. series infinitas ad definiendam accurato calculo quantitatem interusorii simplicis applicavit, duabus suppositionibus fundamenti loco ex jure petitis; & A. 1691. *Mens. Apr.* p. 178. & seq. easdem ad Quadraturam Arithmeticam communem sectionum Conicarum, quæ centrum habent, transtulit, indeque Trigonometriam Conicam ad quantamcunque in numeris exactitudinem a Tabularum necessitate liberatam deducit, usum insimul specialem ad lineam Rhombicam accurate æstimandam atque in plano projiciendam ostendens. Similiter *Iacobus Bernoullus*, cujus obitum merito lugent, quotquot profundior juvat Matheseos, ad usuras æstimandas in iisdem Actis A. 1690. *Mens. Maj.* p. 222. series infinitas adhibet: adhibet ad solvenda problemata alia. Vide e. gr. *Mens. Jun.* A. 1694. p. 274. Ex iisdem cum *Leibnitio* atque *Newtono* ad facile construendos Logarithmos, nec non ex Logarithmis datis inveniendos numeros utitur *Edmundus Halley in Transf. Angl. num.* 216. A. 1695. p. 58. & seq.

§. 43.

Dubitari quoque non potest, præclara per methodum serierum applicatam daturum nobis fuisse *Iacobum Gregorium*, supra laudatum, inter Geometras nomen celeberrimum, nisi mors præmatura impediisset, quo minus, quæ meditabatur, exequeretur. Testatur namque *David Gregorius*, ipsius ex fratre nepos, Mathematum quondam Professor in Academia Edinburgensi, nunc in Oxoniensi Astronomiæ Savilianus longe celeberrimus, in *Exercitatione Geometrica de dimensione figurarum, Edinburgi* 1684. in 4. edita p. 2—4, ipsum multa de figurarum dimensione aliisque problematibus per infinitas series solvendis meditatum esse, & ferente occasione cum quibusdam communicasse. Quis vero ab ingenio ejus in rebus Geometricis tractandis sperari debuerit successus, satis, opinor, constabit, quibus innotuere quæ in *Vera Circuli & Hyperbolæ Quadratura, Patauiæ*

taviæ A. 1668. in 4. *publicata*, ipſique ſubjuncta *Geometriæ parte univerſali, quantitatum curvarum transmutationi & menſuræ inſerviente*, de ſeriebus convergentibus dedit, in quibus ultimus terminus dat quæſitum, alterius adeo generis a ſeriebus noſtris, in quibus ſumma quæſito ſatisfacit. Summus certe Geometra *Newtonus* ſpem ſibi de ipſo conceperat ſummam. Vide *Walliſium Operum* Vol. 3. f. 636.

§. 44.

Quod vero præſtare prohibebatur *Iacobus Gregorius*; id præſtare conatus eſt *David Gregorius* in laudato jam aliquoties de dimenſione figurarum Tractatu. Cum enim in adverſariis patrui ſui nil præter methodi ſerierum infinitarum exempla quædam, nequaquam vero methodum ipſam & operandi formam deprehenderet; ipſe invenit methodum ſeriebus iſtis producendis aptam (cujus fundamentum, quod ſupponit, demonſtrat *Bernhardus Nieuwentiit* in *Analyſi Infinit. cap.* 2. p. 22) & non ſolum ad ſectiones Conicas ſed alias etiam curvas tum quadrandas, tum rectificandas applicavit. Utitur etiam, ſicuti opus eſt in præſtantiſſimo opere *Elementorum Aſtronomiæ Phyſicæ & Geometricæ*, e. gr. *prop.* 6. & 7. *lib.* 4. f. 293. & ſeq. pro determinando motu apſidum ex data lege vis centripetæ in orbibus ellipticis, qui circulis finitimi ſunt, & contra. Invenit etiam methodum, quibus infinitæ numero curvæ & ſpatia iis & rectis comprehenſa, nullius antea cognitæ methodi legibus ſubjecta menſurantur, in litteris cum *Walliſio* communicatam, quas legere eſt in ipſius *Algebra*, f. m. 377.

§. 45.

Gregorii conterraneus *Iohannes Craigius*, cui curvarum Quadraturæ huc usque multum cordi fuere, exempla ſerierum infinitarum complura dedit. Etenim non ſolum in *Methodo figurarum lineis rectis & curvis comprehenſarum Quadraturas determinandi*, quæ *Londini* 1685. in 4. *prodiit*, *probl.* 12. *& ſeq.* p. 14 & ſeq. *Quadraturarum* ad quadrandas præter circulum, Hyperbolam & Ellypſin aliquot curvas alias, *ac probl.* 1. *& ſeq. de rectificatione curvarum* ad rectificandam Parabolam & Hyperbolam ſeries infinitas adhibet, & *in Tractatu Mathematico de figurarum curvilinearum Quadraturis & locis Geometricis Londini 1693. in 4. edito part.* 1. *exempl.* 8. & 10. p. 11. *& ſeq.*

ad ſeries infinitas confugit; ſed elegans etiam exhibuit ſpecimen methodi generalis determinandi figurarum Quadraturas, quod ex *Actis Philoſophicis Anglicanis* n. 284. A. 1703. p. 136. *& ſeq. Actis Lipſienſibus Menſ. Iul. anni* 1704. p. 311. *& ſeq.* inſeri meruit.

§. 46.

Magis tamen, quam *Craigius* quadraturas per ſeries infinitas promovit ſummus Geometra *Iſaacus Newtonus*, in *Tractatu de Quadratura Curvarum*, quam opticæ ſuæ idiomate Anglicano Londini anno 1704 editæ ſubjunxit: ubi inprimis elegantes ſunt illæ ſeries, quæ, ſi quæſitum Algebraice exprimi poſſit, abrumpuntur, ſeu finiuntur. Opportune quoque iisdem ſeriebus uſus eſt in abſtruſo opere *Principiorum Philoſophiæ Naturalis Mathematicorum*, e. gr. *in ſchol. prop.* 93. lib. 1. p. 225, ubi oſtendit, quomodo inveniatur lex attractionis in planum ſecundum lineas perpendiculares factæ, ita ut corpus attractum in data quacunque linea curva moveatur: & in exemplis *prop.* 10. *lib.* 2. p. 263. *& ſeq.* ubi docet in medii denſitatem inquirere, quæ faciat, ut projectile in data aliqua linea moveatur.

§. 47.

Quin *Illuſtris Marchio Hoſpitalius* in parte poſteriori Analyſeos infinite parvorum ſerierum quoque infinitarum doctrinam multis egregiis exemplis illuſtraturus fuiſſet, nulli dubitamus. Unde miramur, DN. *Quadratum* (vernaculo idiomate *Carré* appellant) in *Methodo pro dimenſione ſuperficierum & ſolidorum, illorum centris gravitatis, percuſſionis & oſcillationis per applicationem calculi integralis*, eas plane non attigiſſe, cum tamen id præſtandum ſibi ſumſerit, quod *Hoſpitalius* ob promiſſam ab *Illuſtri Leibnitio* ſcientiam infiniti (*vid. præf. Hoſpitalii ad Analyſin infinite parvorum & Acta Lipſ. Menſ. Maj. anni* 1702. p. 219) præſtare renuerat, niſi forte, quæ ſublimiora ſunt, ideo aliis excutienda reliquerit, quia in tyronum unice gratiam prima calculi integralis quædam lineamenta in exemplis facilibus ducere ipſi viſum fuit.

§. 48.

Sibi itaque a Dn. *Quadrato* relictum eſſe credidit, in qua ingenii vires exerceret *Georgius Cheynæus*, Medicus Scotus, qui in *Fluxionum methodo inverſa, ſive Quantitatum fluentium legibus generaliori-*

lioribus, id potiſſimum agit, ut ſerierum infinitarum doctrinam promoveat, methodo exemplis pluribus illuſtrata. Utut vero non tyronibus ſed Mathematicis ſibi propoſuiſſet ſcribere: de eo tamen judicat *Moivre* in Animadverſionibus in ipſius Tractatum ſub finem præfationis, eum nec tyronibus, nec Mathematicis, ſed ſibi ſoli ſcripſiſſe, cum plures ab eo errores commiſſos eſſe oſtendat. Optandum ergo ut *Illuſtris Leibnitius* ſuam tandem nobis largiatur ſcientiam infiniti, arcana Geometriæ prorſus reſeraturam. Cæterum multa de ſeriebus infinitis utilia ex laudatis *Dn. de Moivre* Animadverſionibus addiſcere licet: & ſi earum lectionem cum evolutione Tractatus Cheynæi conjungas, ex hoc quoque utilitatem percipere poteris. Inprimis autem ſub calcem a p. 102. usque ad finem generalia quædam invenies Theoremata pro Quadraturis Curvarum aut earundem ad ſimpliciores reductione in *Transact. Anglic. num.* 278. A. 1702. p. 113. primum propoſita, adjecto tamen inventionis modo in caſibus ſimilibus imitando, qui in Transactionibus deſiderabatur.

§. 49.

Quæ *Bernhardus Nieuwentiit* de his ſeriebus attingit in *Analyſi infinitorum cap.* 2. §. 21. *& ſeq.* p. 146. *& ſeq.* perpauca ſunt, ablegare enim placuit lectores ſuos in ſchol. §. 23. cit. p. 150. ad ſuperius commendatum Dn. *Gregorii* Tractatum de dimenſione figurarum. Plura ſerierum exempla, quam *Nieuwentiit*, exhibet *Carolus Hayes* in *Tractatu de fluxionibus* ſive *introductione ad Philoſophiam Mathematicam & Mechanicam*, anno demum præterito Londini in fol. idiomate Anglico edito. Cum enim omnia fere congeſſerit, quæ in Analyſi infinite parvorum *Hoſpitalis*, Methodo ad §. 47. citata *Quadrati*, Analyſi infinitorum *Nieuwentiitii*, Tractatu gemino de Quadraturis *Craigii*, Methodo fluxionum inverſa *Cheynæi* Actis Lipſienſibus, alibique reperiuntur, *ſect.* 4. areas ſuperficierum curvilinearum determinans, eas, ubi opus eſt, per ſeries quoque infinitas exhibet.

§. 50.

Apparet itaque, unde plura deſumere debeat, qui hanc de ſeriebus infinitis doctrinam, cujus prima ſaltem rudimenta in tyronorum gratiam tradere hac vice libuit, plenius cognoſcere deſideraverit.

raverit. Ei tamen ſuademus, ut non promiſcue legat Autores quosvis, ne, dum diverſa notandi ratione, diverſa item methodo applicandi ſeries utuntur, confundatur magis, quam proficiat. Neque enim credendum eſt, eadem omnes ratione procedere, qua nos uſi ſumus in §. 38. & 39. ubi calculum integralem conjunximus cum methodo ſerierum ſed plerique via incedunt prorſus diverſa. Quamobrem conſultum eſſe judicamus, ut, ſi quis ad interiora Geometriæ penetrare ſtuduerit, cognitis Analyſeos vulgaris legibus, ex *Johannis Kerſey Elementis Algebræ* idiomate Anglico Londini 1673. in fol. editis, *Abrahami* de *Graaf* & *Kinckhuyſen* Algebra, hujusque Geometria & fundamento Geometriæ, ſcriptis in Belgio idiomate Belgico publicatis, aut libris etiam aliis; ex Analyſi infinitorum *Hoſpitalii* ſupra laudata calculum differentialem, ex *Quadrati* Methodo ſuperius ibidem commemorata calculum integralem familiarem ſibi reddat, atque his cognitis *Craigii* Tractatus de Quadraturis & *Gregorii* de dimenſione figurarum ita legat, ut, non juxta illorum methodos, ſed leges calculi differentialis atque integralis problemata ab iis tradita ipſe ſolvat, adhibitis, ubi opus fuerit, methodo ſerierum a nobis explicata, & circa calculum integralem iis quoque notatis, quæ ad ſpecimina quædam illuſtria doctrinæ fluxionum obſervavit *Abrahamus de Moivre in Tranſ. Anglic.* A. 1695. *num.* 216. p. 52. & ſeqq. Ita enim fiet, ut leges calculi differentialis & ſummatorii; itemque ſerierum infinitarum, earundemque ad problemata ſolvenda applicationem perſpiciat: quo facto, collatio Analyſeos infinite parvorum *Hoſpitalii* cum Tractatu de Fluxionibus *Caroli Hayes* differentiam calculi differentialis & methodi fluxionum prodet, in ſola notandi & dicendi ratione inter ſe differentium. Quodſi quis hanc differentiam a cognitis Analyſeos finitorum legibus ſtatim didicerit, is, ſepoſitis *Hoſpitalii*, *Quadrati*, *Craigii*, & *Gregorii* ſcriptis, ad lectionem Tractatus de Fluxionibus *Caroli Hayes* progredi poterit, cum in uno reperiat, quæ in reliquis conjunctis offendit, iisque longe adhuc plura.

§. 51.

Quoniam adeo multum laboris lucrari valemus, ſiquidem differentia methodi fluxionum & calculi integralis nobis conſtiterit; eandem breviſſimis exponere libet. *Fluxionem* ſcilicet vocant Angli,

Angli, quod *Leibnitius* primus inventor *differentiam* aut *qnantitatem differentialem* appellat. Illi *quantitatem* dicunt *Fluentem*; quam hic *integralis* aut *ſummæ* nomine indigitat. *Calculus differentialis* illis audit *Methodus fluxionum*: *calculus integralis* vero *Methodus fluxionum inverſa*, quia differentiali reciprocus, ſicuti extractio radicum elevationi ad potentias reciproca exiſtit. *Leibnitius* Quantitatis y differentialem denotat per dy; Angli per $\dot{y}$. Convertuntur adeo fluxiones in differentias pro puncto ſubpraſcripto| præfigendo d, e. gr. pro $\dot{y}$ ſcribendo dy. Leibnitianam vero notandi & ſcribendi rationem ea, quam Angli nonnulli adhibent, præferimus, ob rationes ſimiles in §. 15. expoſitas. Cæterum ex ſupra citatis Autoribus differentiis & ſummis utuntur cum *Leibnitio*, uterque *Bernoullius*, *Hoſpitalius*, *Quadratus*, *Craigius*; cum *Newtono* autem fluxiones uſurpant, *Walliſius*, *Halley*, *Gregorius*, *Moivre*, *Cheynæus*, *Hayes*; *Nieuwentiit* nec differentias, nec fluxiones adhibet, ſed infiniteſimarum appellatione contentus, quas inſueta prorſus aliis ratione notat. Optandum foret, ut in his quoque daretur Geometrarum conſenſus, ne tyrones confunderentur.

COROLLARIA.

I. Intellectus hominis finitus rerum non minus infinitarum, quam finitarum diſtinctos ſibi formare poteſt conceptus: diſtincte enim concipit ſeries infinitas & ſingulorum in iis terminorum generationem, utut omnes actu exhibere nequeat, vi §. 7. & 8. Immo quod admiratione dignum magis exiſtit, unico conceptu admodum ſimplici res numero infinitas, quarum ſingulæ ſunt diverſæ, exprimit: quemadmodum ex paragraphis citatis manifeſtum redditur.

II. Quod certo reſpectu eſt finitum, id alio reſpectu multis modis eſſe poteſt infinitum vi §. 13. & 14. Ex. gr. binarius, ſi conſideretur ut integrum aliquod, finitus eſt: ſi ut conſtans ex partibus, multis modis infinitus exiſtit, cum multis modis in partes numero infinitas ſit diviſibilis. Iam cum binarius poſſit accipi pro ente quocunque in duas partes diviſibili, adeoque pro omni re corporea; quod dictum eſt de binario, de omni quoque re corporea valet.

III. Unum infinitum alteri infinito vel æquale eſt, vel eodem majus, vel minus vi §. 14. & §. 4. E. gr. Binarius in ſeries infinitas numero infinitas eſt reſolubilis; ternarius item. Omnes ſeries infinitæ, in quas reſolvitur binarius, ſunt inter ſe æquales: omnes item ſeries, in quas ternarius abit. Sed una ſeries pro ternario major eſt una ſerie pro binario.

IV. Immo infinita ſunt inter ſe eadem ratione, qua finita: uti ex §. §. *citt.* colligitur. E. gr. Series infinita pro binario eſt ad ſeriem infinitam pro ternario in ratione ſubſesquialtera. Hanc ipſam propoſitionem ingenioſe ex Geometria demonſtravit *Edmundus Halley in Miſcellaneis Curioſis ab Anonymo ex Transactionibus Anglicanis, Anglico ſermone, Londini 1705. in 8. editis p. 288. & ſeqq.*

V. Si omnia ſub eadem proportione mutarentur corpora, nullum objectum nobis appareret minus, etiamſi ne milleſimam magnitudinis priſtinæ retinuiſſet partem, e. gr. corpora noſtra abirent in corpuſculum, vermiculo illi æquale, qui recenſente *Franciſco Tertio de Lanis in Magiſterio Naturæ & Artis Tom. I. lib. 1. c. 1. obſerv. 2. f. 2.* Euſtachii Divini oculis microſcopio munitis, lineas 143, adeoque corpora 294 207. vicibus augente, non major apparuit, quam nudo oculo unum arenæ minutiſſimæ granulum: nec appareret majus, etiamſi magnitudo nova reſpectu priſtinæ eſſet gigantea.

VI. Affirmare igitur non veremur, eundem reperiri Mechanismum in machinulis Naturæ minimis, qui in machinis majoribus deprehenditur, & utrasque, tum minimas, tum majores juxta easdem motus leges operari: id quod non ſolum obſervationibus microſcopicis, ſed legibus quoque ſapientiæ divinæ per Metaphyſicas demonſtrationes ſtabiliendis convenientiſſimum. Quamobrem ridendi non ſunt, qui de minimis corpuſculis eadem ratione loquuntur, qua de majoribus.

VII. Non obſtante immaterialitate & libertate mentis affirmari poteſt operationes quoque mentis noſtræ mechanica ratione peragi. Mechanicæ autem hujus & legum ipſius notitia ad ſcientias moralem & rationalem, omni fere perfectione adhuc indigas, perficiendas multum confert. Quamobrem mortalium ingenioſiſſimus *Leibnitius* Syſtema ſuum Harmoniæ præſtabilitæ explicaturus

rus Mentem & corpus nunc cum duobus pendulis, nunc cum duobus horologiis convenienter admodum comparat.

VIII. Qui *Geometriam*, *Arithmeticam*, *Algebram* & *Analyſin infinitorum* nondum didicit, ut ſolidam de rebus naturalibus acquirat ſcientiam, fieri nequit. Eundem in modum judicat *Dethlevus Cluverus in Nova Criſi temporum part.* I. p. 70, niſi quod Analyſi infinitorum inventam a ſe Analyſin infinitarum ſimilitudinum ſubſtituat, nullibi tamen adhuc ſatis explicatam.

IX. Qui omnem ſuam cognitionem tandem in concluſiones per inductionem probatas reſolvit, is non majorem de concluſionibus univerſalibus habet certitudinem, quam Scepticus, *vi* §. 22.

X. Cum Scriptura ſacra phænomena rerum naturalium tantum recenſeat, nonvero reſolvat; quæſtiones ad hiſtoriam naturalem ſpectantes, ubi eas attingit, inde quidem decidi poſſunt, nequaquam tamen quæ pertinent ad ſcientiam naturalem.

Num. VI.

Chriſtiani Wolfii, Conſiliarii Aulici Haſſiaci, Mathematum ac Philoſophiæ Profeſſoris Primarii in Academia Marburgenſi, Profeſſoris Honorarii in Acad. Scient. Petropolitana, Societ. Scient. Reg. Brit. & Boruſſ. Sodalis, Conſideratio Phyſico-Mathematica Hiemis proxime præterlapſæ, hoc eſt, An. MDCCIX. Quam ſub Ipſius Præſidio in Academia Halenſi ad diem XIII. Junii ejusdem Anni horis antemeridianis in Auditorio Majori defendit *Georgius Remus*, Gedanenſis.

Consideratio Physico-Mathematica Hiemis Proxime Præterlapsæ.

SECTIO I.

Historiam Hiemis proxime præterlapsæ tradit.

§. 1.

Hiemis initium unde deducendum.

Equidem juxta Astronomos hiemis initium in nostro climate cum Solis in principium Capricorni ingressu connectitur, quando scilicet in Meridiano maximam a vertice distantiam habet, adeoque per illorum calculum præterlapsa proxime hiems cum vigesima prima Decembris anni superioris 1708. cœpit; quoniam tamen ex frigore æstimari solet, quod non usque adeo connexas cum motu siderum leges habet, tunc ejus vulgo initium statuitur, cum frigoris manifestos experimur effectus. Quare cum nobis propositum sit in causas frigoris solito intensioris, quod hieme proxime præterlapsa sæviit, inquirere & effectuum ejus rationem reddere; ad vulgarem hiemis notionem in ejus historia concinnanda respiciemus.

§. 2.

Frigoris gradus nondum accurate æstimari possunt.

Annotandi igitur sunt variantis frigoris atque caloris gradus, quos ex ascensu & descensu Spiritus vini in thermoscopiis reciproco æstimari solere notissimum est. Ostendi *in Aërometriæ Elementis sub initium hujus anni editis p. 199. & seqq.* per thermoscopia hactenus usitata nonnisi confuse gradus caloris ac frigoris indicari, ita ut quidem constet, frigus nunc esse intensius, nunc remissius, nequaquam tamen appareat, quotuplum frigus hujus diei sit frigoris alterius. Inprimis etiam *in schol. II. prop. 73. p. 210. & seqq.* multum falli demonstravi, quotquot cum *Renaldino* ad proportionatos aquæ calidæ gradus frigus revocare student.

§. 3.

§. 3.

Irregularitas in thermoſcopio obſervata.

Immo merito dubitamus, num hujus quoque perfectionis gloria thermoſcopiis concedenda. Certe per obſervationes domeſticas quandam in iis renitentiam ad recipiendum gradum caloris vel frigoris aeris externi ſaltem aliquo tempore mihi animadvertere videor. Etenim liquor ad eundem gradum ſubinde depreſſus fuit, cum tamen oppoſiti frigoris & caloris effectus alii diverſitatem illius inſignem loquerentur. Immo interdum depreſſionem liquoris majorem cum effectibus frigoris remiſſioris; minorem vero cum effectibus multo intenſioris conjunctum reperio. Hujus rei unum adduxiſſe ſufficiat idque ſatis memorabile exemplum. Cum d. 5. Jan. interdiu nivis exiguam quantitatem dejeciſſet ventus & hora decima veſpertina ſtellarum fulgore undiquaque ſuperbiret cœlum, fluidis ac humidis frigore concretis ipſisque hypocauſti feneſtris glacie obductis, ad eundem gradum 56. hærebat liquor, ad quem die præcedente hora ſecunda pomeridiana deprehendebatur, cum imbrem ventus impetuoſus comitaretur. Die 6. h. 7. matutina frigoris intenſioris effectus in plateis obſervabantur, ipſaque ad feneſtram cubiculi collocata aqua in glaciem abierat, cum liquor gradum 68. occuparet, qui frigore notabiliter invaleſcente hora decima veſpertina ad $74\frac{1}{2}$ ſubſiſtebat. Enimvero cum d. 26. Jan. h. 10. v. glacies cum nive ſolveretur pluviaque decideret, idem liquor in gradu 72. notabatur. Die ſequente h. 7. m. ad gradum 71 aſcenderat, cum *Favonius* (W.) cœlum nubibus velaſſet, aëris inclementiam fugaſſet atque glaciem cum nivibus ad priſtinum fluiditatis ſtatum reduceret. Hæc miratus cum quibusdam circumſtantiis inductus ſuſpicaret, forſan murum thermoſcopio vicinum frigore ſuo impedire, quo minus aëris impreſſiones recipiat; illud ad feneſtram apertam vento leniter tum ſpiranti directe oppoſui. Enimvero cum per dimidiam horam immotus perſiſteret liquor, aliud minus ex hypocauſto allatum iſti junxi, & interea temporis, dum in eo liquor per quinque ſcalæ ſuæ gradus deſcenderat, ne dimidium quidem in majore abſolverat. Thermoſcopium majus priſtino loco poſtquam redditum fuerat ipſique junctum minus: in illo nulla, in hoc duorum adhuc graduum mutatio contigit. Idem diſcere licet ex obſervationibus,

quas iisdem diebus Cizæ celebravit Vir plurimum reverendus *Teuberus* Mathematicus præclarus. Etenim cum d. 5. Jan. nix copiosa decideret, liquor circa horam 12. thermoscopii gradum 77. attingebat *Arctapeliote* (N. O.) flante; ast d. 26. Jan. cum h. 6. pluvia jam ingrueret atque circa 8. copiosa præcipitaretur, immo cum die subsequente h. 10. antemeridiana glacies & nix in aquam jam redirent, liquor adhuc omnis intra globum continebatur, donec circa h. 11. subito egressus h. $1\frac{1}{2}$ ad 86. ascenderet, ad quem usque ad sextam immotus persistebat mox vero ascensum continuans h. 9. in gradu 83 quiescebat, regelatione fortiter continuata. Eandem irregularitatem in altero laudati Observatoris thermoscopio animadvertere licet. Nam d. 5. Jan. circa h. 12. liquor ad $5\frac{1}{4}$ descenderat; ast d. 26. h. 8. v. ad 9. d. 27. h. 12. ad 7, h. 1. ad 6. adhuc hærebat, nec per diem integrum gradum quintum repetebat.

§. 4.

Ratio instituti.

Apparet adeo methodum huc usque receptam determinandi frigoris gradum ad suam perfectionem nondum esse perductam. Cogitandum igitur adhuc est rerum naturalium curiosis de aliis, quibus quæsito exactius satisfiat. Nos vero in præsenti hoc Catone contenti esse jubemur, atque adeo frigoris gradus per descensum Spiritus vini in thermoscopio indicabimus, ita tamen ut una commemoremus alios effectus intensitatem ipsius palam loquentes. Triplicibus utemur observationibus, nempe *Dn. Hambergeri*, Mathematum ac Philosophiæ naturalis in Academia Jenensi Professoris celeberrimi, laudati supra *Dn. Teuberi* atque domesticis: quarum illas in posterum *Jenenses*, eas *Cizenses*, has denique *nostras* appellabimus.

§. 5.

Monitum primum de instrumentis, quibus observatum.

Ut harum observationum collatio rite instituatur, notamus *Halenses* atque *Cizenses* in eodem thermoscopii genere institutas, duplici scala instructi, quarum altera a temperato calore, qualis in cellis subterraneis plerumque existit, ad superiores gradus; altera ad inferiores ducit. In utraque gradus 65 dimidium pedum *Rhenanum*

nim adæquant. *Ienenſes* ad pedem *Florentinum* in 1200 partes diviſum referuntur.

§. 6.

Monitum alterum.

Thermoſcopium, ad quod obſervationes *Halenſes* diriguntur, affixum fuit parieti intergerino in conclavi Meridiem reſpiciente, avulſo ex feneſtra uno alteroque orbe vitreo, ut frigus aëris externi cum interno felicius communicaretur. Ad feneſtram hortum reſcicientem liber aëri undiquaque patet affluxus. Hæc ideo monemus, quia non idem in omnibus conclavibus, immo nec idem ubique ſub dio aëris ſtatus. Mira profecto deprehenditur varietas ab actione radiorum ſolarium & impetu ventorum diverſimode vel admiſſis, vel impeditis proficiſci ſolita: quæ cum experientia per hiemem quotidiana ubivis ex effectibus prorſus oppoſitis eodem temporis articulo obſervatis colligi poſſint, ſpecialius confirmari haud debent

§. 7.

Quænam in hiſtoria hiemis enarranda.

Sed non ſufficit varios frigoris gradus ejusque in corpora varia effectus commemorare; ſed ad reliquum quoque aëris ſtatum reſpiciendum eſt. Habenda nimirum eſt ratio gravitatis & levitatis atmoſphæræ, habenda eſt ratio tempeſtatum. Neque enim nudam hiemis hiſtoriam tradere intendimus, ſed phænomenorum quoque rationem ſuperaddere conſtituimus: quod poſterius fieri non poſſe, niſi modo enumerata ſatis conſiderentur ex ſubſequentibus patebit.

§. 8.

Defectus obſervationum Meteorologicarum notantur.

Optandum foret, ut nobis de propoſito noſtro conſtitiſſet, cum obſervationes adhuc in poteſtate erant. Etenim accutatas omnium, ſingularium præſertim, hiemis noſtræ phænomenorum obſervationes celebraſſemus: quales huc usque inſtitui nondum ſueverunt, inſtitui tamen deberent, ſi tandem in Meteorologicis ad certam ſcientiam pervenire libet. Certe huc usque inventis thermoſcopiis & baroſcopiis, immo & hygroſcopiis, paſſim viri induſtrii alterationes quasdam aëris obſervarunt & adhuc obſervant, tempeſta-

peſtatum etiam atque ventorum variationes annotarunt & annotant; ſed multum obſervationes a Geometrico rigore abſunt, qui ad ſcientiam condendam requiritur. Vulgare eſt verbum: Deum omnia numero, menſura & pondere creaſſe, hoc eſt, ſi philoſophice idem efferamus, res omnes finitas vi agendi determinata inſtrui & huic effectus, quos producunt, ſemper æquales eſſe. Eas igitur vere cognoſcere, hoc eſt quales ſunt & exiſtunt, idem eſt ac vim agendi, cui effectus cognoſcendi productio tribuitur, determinare ſeu metiri. Dedit hujus Phyſicæ præclara ſpecimina vir ſummus, *Iſaacus Newtonus*, in Principiis Philoſophiæ Naturalis Mathematicis, quod profundæ eruditionis opus nunc multo auctius in Anglia recuditur; dederunt viri ingenioſi alii alia per opera ipſorum excellentia paſſim ſparſa. Sed cum non omnibus, immo vero pauciſſimis, adire liceat *Corinthum;* Ego in Aërometriæ Elementis ſpecimen facilius dedi Philoſophis, ex veterno tandem ſuo excitandis, ut, ſi vel Arithmeticæ Geometriæ atque Algebræ communis elementa calleant, Matheſeos ad experimenta & obſervationes applicationem prorſus indiſpenſabilem percipere queant.

§. 9.

Meteorologiæ elementa Geometrica deſiderantur.

Optandum itaque foret, ut quis (cui ſatis ingenii ac otii eſt) elementa Meteorologiæ juxta methodum Geometrarum demonſtrata daret, & in iis potiſſimum de metiendis meteoris & corporum, a quibus pendent, viribus laboraret: quod præterquam in Iride a *Carteſio* & excellentius a Geometris celeberrimis *Hallejo* & *Hermanno* in vento a me hactenus factum non eſt. Ipſimet in hanc arenam deſcendere conſtitueramus, quatenus ab iis diſtincta hiemis cognitio pendet; ſed multitudo dicendorum, quæ hic ſeſe offerebat, ſententiam mutari juſſit.

§. 10.

Obſervationes Meteorologicæ quales eſſe debeant.

Non tamen poſſumus, quin moneamus, hunc laborem aggreſſuro multas occurſuras eſſe difficultates, ſæpius vix apparituras, niſi methodi excogitatæ ad praxin transferantur: id quod noſtra proferri meditata ulterius vetat. Inprimis autem ſuademus, ut de his cogitaturus non ſolum quantitatis effectus, ſed & temporis,

quo

quo producitur, rationem habeat. E. gr. Fluidorum congelatio eſt frigoris effectus. Sed utique frigus judicatur intenſius, ſi celeriter contingat. Conſtat nimirum ex doctrina virium, vires & majores & minores eundem ſæpe producere poſſe effectum, ſed diverſo tempore, iſtas quidem breviore has longiore: id quod ita obvium eſt, ut exemplo locus non detur.

§. 11.

Circa ventorum obſervationes quænam notanda.

Nec poſſumus non de ventorum obſervationibus ſpecialia nonnulla in medium afferre. Ipſe aër in oculos non occurrit, adeoque nec motus ipſius eorum judicio immediate ſubſunt. Motus igitur linea ex motu corporum in ſenſus incurrentium judicatur, quæ aër vel nude impellit, vel ſecum vehit. Pertinent huc flabella ſupra tectorum faſtigia eminentia atque nubes. Illa plagam, ex qua ventus inferior, hæ vero plagam, ex qua ſuperiores ſpirant, manifeſtant. Rara autem ventorum ſuperiorum & inferiorum concordia, quin plerumque non modo quantitate, ſed etiam ſpecie variant. Nec ſemper venti ſuperiores ex eadem plaga eodem tempore, quin potius ex diverſa ſæpius, immo non nunquam ex oppoſitis ſpirant. Et quemadmodum aëris ſtatus aliquando tranquillus, ut nubes tantum non immotæ perſiſtant: ita etiam datur turbulentus, ubi venti impetuoſi ex oppoſitis pluribus plagis ſpirantes nubes quaſi in aggeres cogunt. Merito ergo miramur, quo jure, qui hactenus obſervationes Meteorologicas dederunt, ventum nonniſi unum eumque ſemper regularem allegent. Quemadmodum vero hæc adeo manifeſta ſunt, ut oculis per aliquot ſaltem hebdomades in cœlum attollens eorum prorſus convincatur; ita ſimiliter ex obſervationibus inferius adducendis patebit.

§. 12.

Methodi ſpeciales ventos obſervandi.

Motum nubium Cœlum integrum, quatenus conſpicuum, obtegentium nec calore notabili a ſe invicem differentium, obſervare ſubinde difficillimum, præſertim ſi aër multis vaporibus iisque craſſioribus fuerit inſpiſſatus & per ſe quoque condenſatus; id quod hiberno tempore ſæpiſſime obtinet ac præterita hieme tantum non ſemper accidit. Tunc vero temporis commodam experti ſu-

mus methodum ſequentem, Scilicet ſæpiſſime per nebulas ac nubes rariores diſcus Solis omni ſplendore deſtitutus tranſparet, ita ut illæſo oculo eundem contueri detur. Jucundum certe ſpectaculum Sol præbebat, cum in nupera Eclipſi cœlo prorſus nubilo Lunam delinquentem exactiſſime exprimeret. Quodſi ergo in diſco Solis lineam a nubecula prætervecta deſcriptam notes, judicium inde feres de plaga, ex qua ventus ſuperior ſpirat in ea minimum cœli parte, in qua Sol conſtituitur. Hac ratione e. gr. d. 7. Martii h. 8. obſervationes noſtræ detexerunt *Arctapelioten* (N. O.) & paulo poſt nubes ſciſſæ motu ſuo obſervationem confirmarunt. Eadem valent de Luna nocturno tempore ſplendente. Geminus eſt modus ventum dignoſcendi ex appulſu nubium, tardius præſertim motarum, ad ſtellas.

§. 13.

Cautela in ventis obſervandis adhibenda.

Cæterum probe tenendum eſt, ut accurate plagam, ex qua venti ſuperiores ad nos deferuntur, definias, notandum eſſe illud cœli punctum, unde ventus in brachia quaſi dividitur. Illud ipſum enim punctum eſt plaga quæſita. Vel reſpiciendum eſt ad illud punctum, verſus quod undiquaque nubes pelluntur. Hoc enim eſt plaga quæſitæ oppoſita. Alias facile nubes vel diverſo vento agitari videbuntur, vel ſi ad unam unice attendas, falſam notare plagam poteris. Multum igitur obſervatori liber Horizontis adſpectus prodeſt. Præterea autem inde intelligitur, quanta circumſpectione opus ſit, ſi memoratis *in* §. 12. methodis uti libuerit.

§. 14.

Diviſio hiemis in Periodos.

His eum in finem præmiſſis, ut de hiſtoriæ veritate ac perfectione judicare detur; ipſam nunc aggredimur. Dividimus autem hiemem noſtram in quinque periodos, quarum initia per fluidorum cœptam congelationem, fines autem per faciei ac nivis regelationem determinantur.

§. 15.

Deſcriptio periodi primæ.

Initium periodi primæ in decimum nonum Octobris anni ſuperioris incidit. Cum enim d. 15. Octobris imbre delapſo per ſubſequentes 16. & 17. continuo fere plueret ventique impetuoſiores ſub-

ſubinde ſævirent, atque d. 18. cœlo non prorſus ſereno inferiorem aërem Boreas impelleret; d. 19. frigus ſatis intenſum ſubſequebatur. Liquor certe in thermoſcopio, qui d. 15. Octob. h. 5. pom. ad gradum 15. ſcalæ inferioris hæſerat, & diebus 17. & 18. ad 30. & 36. deſcenderat, non modo d. 19. h. 7. mat. ad 36. deprehendebatur, ſed cum thermoſcopium ad feneſtram apertam collocaretur, usque ad 65. delabebatur, atque humores orbibus vitreis feneſtrarum adhærentes ſtatim in glaciem vertebantur. Annotant quoque frigoris vehementiam obſervationes *Cizenſes* & eadem hora liquoris altitudinem ad $72\frac{1}{2}$ referunt. Cœlo ſereno frigus durabat, & ſequente mane pruina inſignis aliique frigoris effectus conſpiciebantur, liquore rurſus *Halæ* ad 36, *Cizæ* ad $71\frac{1}{2}$ hærente. Sed cum circa horam ſecundam pomeridianam *Favonius* (W.) nubes adveheret, liquor ad 19. aſcendebat & ab hora 7. usque ad 11. pluvia decidebat. Diebus 21, 22. & 23. cœlum admodum inconſtans erat, nunc clarum, nunc obſcurum: & inprimis h. 2. d. 22. & 23. imbres præcipitabantur. Liquor in thermoſcopio d. 22. in ipſo meridie ad 27. aſt d. 23. ad 36, d. 24. h. 7. ad 42, h. 12. ad 46, h. 10. veſp. ad 43. ſubſiſtebat, cœlo licet per diem nubilo & ſubinde pluente. D. 25. h. 7. mat. liquor 47. attingebat, cœloque nubilo pruinæ copioſæ alii frigoris effectus juncti cernebantur. Circa veſperam hujus & horis pomeridianis atque per noctem diei inſequentis ningebat, ita ut d. 27. mane omnia alta nive tecta conſpicerentur. Cum *Boreas* (N.) cœlo ſerenitatem interdiu reſtituiſſet, h. 10. veſp. ſplendente Luna frigus durum experiebamur & d. 28. Octob. liquor ad 52. pertingebat, feneſtris cubiculi glacie obductis. Nec radios Solis meridiani fluida concreta verebantur: eſto, *Cizæ* eorum actioni ſe ſubmiſerint. Idem fatum, quod d. 28. feneſtras cubiculi, d. 29. ipſas quoque hypocauſti feneſtras manebant, liquore ad $53\frac{1}{2}$. delapſo; quo die obſervationes quoque *Cizenſes* frigus inſolitum annotant & liquorem in thermoſcopio h. 9. mat. ad 107. depreſſum exhibent; aſt d. 31. ſtatim a meridie *Notolybicus* (S. W.) eandem notabiliter imminuebat, *Favonium* (W.) & *Olympium* (N. W.) ex inferiore, *Boream* (N.) ex ſuperiore aëris regione fugans. D. 1. & 2. Nov. cœlum erat nubilum, aër humidus, & guttulæ roridæ circa meridiem deſtillabant. Liquor per notabilia intervalla in thermoſcopio aſcendebat, ita ut h. 2. d. 3. Nov. 26. attingeret.

§. 16.

Descriptio periodi secundæ.

Hæc prima erat hiemis nostræ periodus. Integro mense Novembri nihil extraordinarii observatum & frigus adeo tolerabile extitit, ut fluida fere prorsus respuerint ipsius imperium. Sæpius liquorem thermoscopii in 21, immo d. 22. h. 3. pom. flante *Noto* (☉.) fere ad 14. deprehendimus. A. d. 3. usque ad 10. cœli serenitatem conservabat *Subsolanus* (☉.); Sed a d. 11. usque ad finem mensis cœlum plerumque erat nubilum, interdum pluebat. Et, si quando serenum vel interdiu, vel vespere potissimum appareret, nubes tamen id rursus statim obvelabant. Idem fere Cœli status in observationibus *Cizensibus* exhibetur. Sæpius ventus tam inferior, quam superior fuit *Boreas* (☊.) & *Olympius* (☊. ☌.) interdum &, circa finem præsertim Mensis, venti impetuosi regnabant nebulæque conspiciebantur. Per observationes *Cizenses* maxima spiritus vini depressio fuit 80. d 25 Nov. h. 7. mat. cum per *nostras* esset 48; minima vero deprehensa est 32. d. 20 Nov. cum per *nostras* esset 22. Eodem fere modo se res habuit mense Decembri, nisi quod subinde humida in glaciem abierint. Minimam liquoris in thermoscopio depressionem observationes Halenses annotant 34. d. 4. Dec. h. 12; maximam vero 64. d. 16. Dec. h. 8. mat. Observationes *Cizenses* minimam d. 4. Dec. h. 12. referunt ad 48; maximam vero d. 15. h. 8. mat. ad 104. *Halæ* minimam depressionem ventorum impetus & imbres concomitabantur, nec diversus ab hoc *Cizæ* erat aëris status. Ventus utrobique per plures dies erat fere *Zephyrus* (☌.) subinde ad plagas inter Meridiem & Occidentem intermedias declinans. In maxima depressione apud nos Cœlum erat serenum, flante *Borea* (☊.) frigorisque intensi effectus in fenestris etiam cubiculi cernebantur. Nihil hoc tempore singulare annotant observationes *Cizenses*. Cæterum per omme hoc tempus Cœlum interdiu nubilum magis & obscurum, quam serenum atque clarum deprehendebatur & venti *Boreæ* (☊.) atque *Subsolano* (☉) vicini frequentiores existebant. Furor ventorum aliquoties, nocte præsertim ea, quæ diem 13. Decembris præcessit, terrorem incutiebat. *Cizenses* observationes cum *nostris* extraordinariam quoque procellam d. 4. Dec. circa meridiem annotant & d. 3. quoque h. 12. nocturna similem fere exhibent.

hibent. Tum vero temporis ex plaga occidentali aliisque inter occidentem & meridiem intermediis ventus procedebat. Terra ipso illo quarto Decembris largo imbre imbuta, a meridie diei quinti, cœlo nubilo, *Olympio* (N. O.) flante, congelari cœpit, & postero die vento fere *Borea* (N.) frigus multa incrementa cepit. Subsequebatur *Ciza* d. 6. & 7, apud nos d. 7. aliquid nivis, & d. 8. jam summo mane satis alta terram tegebat. Sæpissime autem observationes & *Czenses*, & *nostræ* liquorem thermoscopii post ortum Solis magis depressum, quam ante ipsum exhibent, utut statim rursus ultra eum terminum ascenderit, in quo ante ortum conspiciebatur. Ita d. 13. Octob. h. 6. Venere per aërem vaporosum adhuc conspicua, *Halæ* depressio liquoris erat 26; at h. 8. Sole per eundem transparente 28; mox tamen h. 9. mat. 24. Similiter d. 29. Oct. h. 7. erat $53\frac{1}{2}$, at h 8. deprehendebatur 55. h. 12. vero 45, cœlo constanter sudo. D. 6. Nov. cœlo itidem sereno h. 7. erat 41, h. 8. mat. 43, h. 2. pom. 26. D. 8. h. 7. mat. 39, h. 9. vero 41, Sole lucente. Observationes *Czenses* d. 19. Octob. h 6. liquorem thermoscopii exhibent ad 72, h. 7. ad $72\frac{1}{2}$, h. 10. ad $71\frac{1}{2}$: & d. 29, cum frigus extraordinarium sæviret, h. 7. ad 106, h. 9. ad 107, h. 10. ad 106, h. 12. ad 102.

§. 17.

Intervallum inter periodum, secundam & tertiam.

Sed hæc quoque altera hiemis periodus, quæ tamen nihil insoliti habuit, cum initio anni præsentis finiit. Etenim jam die prima Januarii anni currentis *Halæ* ventus inferior ex plaga occidentali spirabat, superior in meridionalem declinabat, cœlumque semper erat nubilum. Et utut ventus inferior *Euronoto* (S. O.) vices suas committeret tandemque d. 3. *Subsolanus* (O.) nivem præcipitem daret; mox tamen d. 4. procella circa horam secundam pomeridianam imbrem adduxit, ita ut præter opinionem, flante inferius *Euronoto* (S. O.) nix intra dimidium diem & noctem unam cum glacie fere omni in aquas resolvetur. Liquor thermoscopii apud nos die 1. Januar. hor. 10. vespert. & per integrum diem secundum ad 53. notabatur, *Ciza* a 93. (ubi h. 5. mat. d. 1. Januar. hærebat) interea temporis usque ad $83\frac{1}{2}$ ascendit. Apud nos d. 3. Jan. h. 7. mat. depressio liquoris erat 54, a meridie h. 2. erat 53; ast h. 10.

veſp. 56, quanta etiam d. 4. h. 2. cum pluvia ingrueret obſervabatur. *Cizæ* non ſolum die quarta continuo aſcendebat, donec gradum 81. attingeret; ſed & d. 5. hor. 8. mat. aſcenſum uſque ad 75. continuaſſe obſervabatur. Similiter *Jenæ* d. 4. Jan. per diem dimidium pluvia notabatur, flantibus *Noto* (S.) & *Meſophœnice* (S. g. O.).

§. 18.

Deſcriptio periodi tertiæ.

Enimvero ſcena ſubito mutabatur & cum univerſæ Europæ admiratione cœpit periodus tertia, inſolito prorſus frigore notabilis. Etenim die quinta Januarii *Arctapeliotes* (N. O.), conſentientibus obſervationibus *noſtris*, *Cizenſibus* atque *Jenenſibus*, cœlo per totum diem nubilo aliquid nivis dejiciebat, aëremque ſatis ſenſibiliter apud nos agitans in plateis deambulantibus iterque ad nundinas Lipſienſes facientibus moleſtus admodum accidebat. Humida ſubito in glaciem convertebantur & hora decima veſpertina cœlo ſtellarum fulgore ſuperbiente frigoris vehementioris effectus in ipſis hypocauſti circa quintam pomeridianam probe calefacti feneſtris manifeſtiſſimi conſpiciebantur, utut liquor thermoſcopii ad $56\frac{1}{2}$ conſiſteret, adeoque nonniſi locum dimidio gradu inferiorem eo occuparet, quem die præcedente tenebat, cum a meridie plueret. *Cizæ* h. 8. matutina idem ad 75, & per integrum diem deſcendens tandem h. 8. veſp. ad 87. devenerat. Apud nos vero h. 8. mat. ad 58. deprehenſus per integram diem aſcendit, utut admodum lente. *Jenæ* cum d. 5. Jan. mane depreſſio liquoris eſſet $3'' 8''' 2^{iv}$, a meridie erat $6'' 5''' 0^{iv}$, veſp. $8'' 5''' 4^{iv}$ Die 6. Jan. frigoris invaleſcentis effectus ſe manifeſte prodebant, ita ut aqua juxta feneſtram collocata in glaciam ſpiſſam abiiſſet. *Halæ* & *Jenæ* ventus inferior erat *Subſolanus* (O.); aſt *Cizæ Arctapeliotes* (N. O.): ubique cœlum inconſtans, nunc ſerenum, nunc nubilum. In ipſo meridie orbes vitrei feneſtrarum in hypocauſto calefacta glacie obducebantur, quamprimum radii ſolares iis ſeſe ſubducebant. Per integrum fere diem liquor in thermoſcopio deſcendebat, niſi quod a meridie, poſtquam radii ſolares aërem conclavis alteraverant, ad 70. rurſus aſcenderet, ad quem h. $8\frac{1}{2}$ ante meridiem conſpiciebatur: etenim h. 12. ad $72\frac{1}{2}$, h. 10. autem veſp. ad $74\frac{1}{2}$ conſpiciebatur. *Cizæ* h. 9.

liquor

liquor omnis ex tubo delapſus & usque ad h. $10\frac{1}{2}$ diei 27. in globo delituit. Apud nos magis magisque continuo deſcendebat, donec tandem d. 11. Januar. hora 10. veſpertina totus globum ingrederetur: quemadmodum ex ſubjecta Tabula apparet.

Dies Menſis.	Horæ matutinæ.	Gradus thermoſcopii.	Horæ nocturnæ.	Gradus thermoſcopii.
VII.	7	$81\frac{1}{2}$	10	$84\frac{1}{2}$
VIII.	7	87	10	$84\frac{1}{2}$
IX.	7	87	12	$92\frac{1}{2}$
X.	7	100	10	100
XI.	7	$107\frac{1}{2}$	10	Totus intra ſphæram.

Diebus 12. & 13. nonniſi horis matutinis intra globum continebatur, reliquo autem tempore nonnihil ultra orificium ejus eminebat. Obſervationes *Jenenſes* eundem in globo exhibent a meridie diei 10. usque ad veſperam diei 12. incluſive. *Cizenſes* ab h. 3. diei decimæ usque ad nonam veſpertinam diei undecimæ ingens in globo ſpatium vacuum annotant. *Jenenſes* d. 22, 23. & 24. liquorem denuo intra globum contentum referunt; aſt apud nos iisdem diebus in confiniis globi atque tubi ſubſtitit. Maxima depreſſio h. 8. d. 23. obſervabatur ubi non niſi 5. a globo diſtabat. Cæterum per totam illam periodum cœli inconſtantia unanimiter arguitur, quod tamen nubilum magis, quam ſerenum deprehenſum, nec ob aërem vaporoſum motus in nubibus ſatis diſcerni potuerunt. Cum frigus ad ſummos gradus perduceretur, ventus inferior, conſentientibus obſervationibus *Jenenſibus*, *Cicenſibus* & *noſtris* erat nonnunquam *Subſolanus* (O.), nonnunquam *Arctapeliotes* (N.O.). Dum liquor apud nos intra globum abſcondebatur, in altero thermoſcopio *Cizenſi* d. 12. Jan. h. 7. mat. profunditas ejus erat 35, quam tota hieme non attigit: quemadmodum & apud nos illo die minimus ejus e globo in tubum aſcenſus obſervatus. Frigus interim d. 22. intolerabilius erat, quam d. 12, conſentientibus denuo obſervationibus *Cizenſibus*; quo tamen tempore apud nos depreſſio liquoris erat 105, *Cizæ* 32. Et d. 24. Jun. aër aſperitate ſua faciem adeo læ-

debat

debat, ut dolor per aliquod temporis ſpatium ſupereſſet. Nec injucundus erat circa meridiem adſpectus lamellarum glacialium aërem opplentium radiosque ſolares inſtar adamantis micantis reflectentium.

§. 19.

Finis periodi tertiæ.

Finis aderat periodi tertiæ, cum *Favonius* (W.) d. 25. Jan. h. 2. pom. nubes adveheret, vento inferiore adhuc ex plaga Orientali h. 8. ſequentis diei flante. Decrementa enim frigoris non modo liquoris in thermoſcopio aſcenſus; ſed & alia phœnomena palam loquebantur. Certe liquor thermoſcopii, qui d. 25. h. 10. nocturna ad $85\frac{1}{2}$ hærebat, d. 26. h. 7. mat. ad $84\frac{1}{2}$ & h. 10. noct. ad 72. notabatur. Imprimis d. 26. parietes ædium externi & januæ tam ædium, quam conclavium non calefactorum pruinoſæ conſpiciebantur. Feneſtræ eorundem conclavium extus glacie ſpiſſa obducebantur, quemadmodum alias intenſo frigore intus obduci ſolent. Aër deprehendebatur valde humidus, & lamellæ glaciales politæ, figuram vel quadrati, vel alius parallelogrammi ut plurimum habentes atque in locis obſcurioribus egregie micantes, pruinis adhærentibus copioſæ immixtæ cernebantur. Hora 2. pomeridiana ejusdem diei ventus quoque inferior ad plagam occidentalem converſus obſervabatur, *Jenenſibus* obſervationibus eundem d. 5. & 6. ad Meridionalem referentibus, & h. 10. noct. pluvia regelationem promovebat. Similiter obſervationes *Cizenſes* pruinam d. 26. Jan. parietibus, foribus ligneis, ciſtis ac libris majoribus adhærentem memorant, & circa h. 8. veſp. *Notolybicum* (S.W.) pluviam adduxiſſe addunt. Liquor thermoſcopii ab eo tempore apud nos continuo aſcendit, donec h. 2. d. 30. in 39, aſcenſum finiret. Diebus autem 27, 28, 29. & 30. flante *Notolybico* (S.W.) regelatio continuabatur, nec pluviæ ventorumque impetus erant infrequentes. *Cizæ* liquor e globo thermoſcopii usque ad 77. a d. 27. usque ad h. 6. d. 30. aſcendit. *Jenenſes* obſervationes aſcenſum maximum d. 29. in ipſo meridie notant 406.

§. 20.

§. 20.

Descriptio periodi quartæ.

Die 31. Januarii quarta cœpit periodus & ad 9. usque Februarii duravit. Apud nos d. 31. Jan. h. 7. mat. liquor ad 46. descenderat: maxima depressio d. 7. Febr. h. 9. mat. observabatur 71. *Cize* d. 31. Jan. h. 7. mat. liquor gradum 90. occupabat: maxima vero intra hanc periodum depressio contingebat d. 7. Febr. cum intra globum totus contineretur. Jenæ d. 31. Jan. mane profunditas liquoris erat $6''' 2''' 8'^{v}$; maxima vero d. 6. Febr. mane itidem $8''' 4''' 7'^{v}$ notabatur. Cœlum fere semper per omnes observationes erat nubilum; ventus vel *Arctapeliotes* (N.O.), vel *Subsolanus* (O.), vel *Boreas* (N.), vel *Olympius* (N.W.). D. 1. Febr. inferius spirabat *Arctapeliotes* (N.O.), sed nubes agebat *Zephyrus* (W.), *Cize* autem *Notolybicus* (S.W.). Nix intra hanc periodum non infrequens erat. Cæterum d. 9. Febr. h. 7. *Notolybico* (S.W.), tandemque fere *Zephyro* (W.) in locum *Olympii* (N.W.) succedente, circa hor. 10. liquor thermoscopii a 65. continuo ascendebat, ita ut die 10. ad 56. cerneretur & resolutio frigore concretorum contingeret. Die decima integra pluviis indulgebat *Favonius* (W.) & cœli nubili statum usque ad 17. Febr. conservabat, interea d. 12. 13. & 14, ac ea præsertim nocte, que diem 15. præcessit, furens. Minima, quæ circa finem hujus periodi contigit liquoris in thermoscopio depressio observata est *Cize* 45. d. 16. Febr. h. 4. pom. *Jenæ* $1''' 6''' 0'^{v}$ die eodem in ipsa meridie *Halæ* 26. d. 17. Febr. h. 8. matutina.

§. 21.

Descriptio periodi ultimæ.

Ultima tandem periodus extraordinarium frigus iterum reduxit & diutissime conservavit. A vespera diei 17. Febr. Spiritus vini in thermoscopio ascendere cœpit, it ut cœlo sereno, flante *Subsolano* (O.) & humidis in glaciem abeuntibus, hora decima vespertina ad 35. & eadem hora sequentis diei quo de frigore ipsæ cubiculi fenestræ testabantur, ad $58\frac{1}{2}$ hæreret. Utut vero d. 19. a meridie, frigus decrescere videretur; mox tamen rursus depressio satis notabilis facta, quæ usque ad quintam Martii continuo major existebat; prout ex adjecta Tabula comparet.

Dies Menſis	Horæ matut	Gradus thermoſcopii.	Horæ nocturnæ.	Gradus thermoſcopii.
XX. Feb.	7	61	11	61
XXI.	7	65	10	$64\frac{1}{2}$
XXII.	8	71	10	68
XXIII.	8	$78\frac{1}{2}$	11	81
XXIV.	7	$92\frac{1}{2}$	9	87
XXV.	7	94	9	$81\frac{1}{2}$
XXVI.	7	$89\frac{1}{2}$	10	86
XXVII.	7	$89\frac{1}{2}$	10	82
XXVIII.	7	84	10	73
1. Mart.	7	79	11	68
2.	7	70	10	59
3.	7	70	10	65
4.	7	72	10	54
5.	7	58	11	$48\frac{1}{2}$

Et licet d. 5 Martii *Notolybicus* (S. W.) nives & glaciem colliquaret, Spiritusque vini h. 11. veſpertina ad $48\frac{1}{2}$ reperiretur, & cadente pluvia per integrum diem ſubſequentem usque ad 45. deſcenderet; mox tamen *Olympius* (N. W.) h. 10. veſpertina pluviam in nivem convertebat frigusque revocabat, ita ut ejus effectus die ſubſequente manifeſte ſeſe proderent. Quamvis vero Sol circa h. 9. diei ſextæ ex nubibus emergens nives in tectis ædium liquaret, guttæ tamen ab iis deſtillantes in umbra ſtatim in glaciem vertebantur. Ventus inferior erat fere *Boreas* (N.), ſuperior mane ex motu nubium *Arctapeliotes* (N O.) colligebatur. Die 8. liquor ad 56. conſiſtebat; Sed thermoſcopio ad feneſtram apertam collocato usque ad 90. intra horæ dimidiæ ſpatium delabebatur frigorisque vehementioris effectus obſervabantur. Notatu dignum judicamus, quod cum circa horam nonam radii Solis e nubibus prodeuntis glaciem, qua feneſtræ cubiculi obductæ conſpiciebantur, in humorem reſolverent, hic aperta feneſtra, præſentibus licet radiis ſolaribus, in glaciem ſtatim redierint, clauſa feneſtra mox iterum liquefactam. Sol vero nubibus brevi rurſus immergebatur & per reliquum

liquum diei cœlum erat nubilum, flante tam in ſuperiore, quam inferiore aëris regione *Borea* (☊.) A d. 9 Martii usque ad 17 intervalla aſcenſus & deſcenſus liquoris reciproca intra 60. & 86. continebantur, cumque d. 14. h. 7. mat. depreſſio eſſet 86, ad feneſtram apertam 92. graduum facta, ſuperiorem aëris regionem *Favonio* (♈.), inferiorem *Subſolano* (☌.) peragrante. Venti inferiores per hanc periodum ex plaga Occidentali & Septentrionali tantum non ſemper adveniebant, quanquam ſubinde ad intermedias declinarent: omnium tamen frequentiſſimus fuit *Boreas* (☊.). Ventus ſuperior ſubinde cum inferiore coincidit, ut d. 19. Martii, cum *Subſolanus* (☌) nubes repelleret; d. 8. 9. & 10. cum *Boreas* (☊.) & d. 11. cum primum *Arctapeliotes* (☊. ☌.) mox *Subſolanus* (☌.) easdem veheret: ſæpius tamen ab eo diverſus extitit. Ita d. 20. Martii ventus inferior erat *Subſolanus* (☌.), quo & nubes inferiores propellebantur; attamen nubes ſuperiores adducebat *Zephyrus* (♈.). D. 7. h. 8. mat. ventus inferior erat *Olympius* (☊. ♈.), ſuperior *Arctapeliotes* (☊. ☌.): d. 13. h. 1. ventus inferior maxime inconſtans, ſuperior *Favonius* (♈.), mox h. 2 *Boreas* (☊.) d. 14. h. 7. ventus inferior *Subſolanus* (☌.), ſuperior *Favonius* (♈.). Obſervationes *Cizenſes* a d. 23. Febr. usque ad 1. Mart., nec non d. 3. 9. & 10. horis antemeridianis d. 11. & ab h. 9. veſp. ejusdem diei usque ad 7. veſp. d. 15. liquorem in globo thermoſcopii exhibent, niſi quod d. 14. Mart. h. 5. pom. eundem ad 106. & octava veſp. ad 107. referant. Cæterum per hanc quoque periodum maximam temporis partem præſertim interdiu cœlum erat nubilum &, ſi quando Sol apparuit, non tamen omnes defuere nubes. Sæpius etiam ſub initium præſertim periodi d. 21. & 22. Febr. procellæ furebant. Nix copioſa decidebat, prodigioſa præſertim ejus quantitas d. 26. & 27. Febr. in omnibus obſervationibus annotatur.

§. 22.

Finis periodi ultimæ.

Finem periodi ultimæ ad d. 17. Mart. referimus. Cum enim circa h. 11. antemeridianam Sole lucente nubes adveheret *Notus*

(S.), nix liquari cœpit. Die sequente *Zephyrus* (W.) cœlum nubibus obvelabat &, postquam ab h. 10. vespertina d. 18. usque ad 9. mat. d. 19. defæviisset, circa h. 2. pom. pluviis materiam præbuit per integrum fere diem 20. continuatis. Equidem nec hoc mense aura statim mitior evadebat, quin d. 19. & 20. liquor thermoscopii nunquam ultra 40; d. 21. & 22, nunquam ultra 31. d. 24. usque ad finem mensis nunquam ultra 17. ascendit: tales tamen alterationes ad frigus hiemale minime referendæ. Suffecerit itaque nobis annotasse, ecquando Spiritus vini in thermoscopio scalam caloris primum attigerit. Contigit id circa meridiem diei 13. Aprilis, cœlo sudo, vento in aëris regione inferiore inter plagam intermediam inter Meridiem atque Occidentem (S.W.) & intermediam inter Meridiem atque Orientem (S.O.) vario, in superiore autem h. 1. pomeridiana nubes quasdam ex plaga inter Meridiem & Occidentem intermedia (S.W.) advehente. A. d. 19. Mart. usque ad d. 18. Aprilis cœlum fere semper nubilum pluviæque fuerunt frequentes. Rarus hoc tempore fuit ventorum inferiorum & superiorum, immo rarus quoque superiorum inter se consensus. Venti superiores plerumque fuere *Zephyrus* (W.) & *Notolybicus* (S.W.); inferiores sæpissime *Boreas* (N.) & *Olympius* (N.W.) d. 3. & 4. April. *Subsolanus* (O.) & *Arctapeliotes* (N.O.) Memoratu autem dignum existimamus, quod d. 11. Apr. h. 6. mat. usque ad 9. densissimæ conspectæ fuerint nebulæ instar pluviæ subtilioris decidentes. Ventus inferior tum erat *Arctapeliotes* (N.O.), superior h. 2. pom. ex motu nubium conjiciebatur *Notolybicus* (S.W.), cum quo illo temporis articulo & inferior consentiebat, qui jam circa meridiem in hanc plagam & septentrionem alternatim aberrabat. Jucundum erat, nebulam decidentem instar filorum ab araneis contextorum plantis & arboribus, aliisque corporibus adhærentem contueri, quæ ab una arbore vel planta usque ad alteram per intervallum sex, immo plurium pedum extendebantur. Fila ista guttulis contiguis plena, qui per microscopium instar sphærularum ex crystallo pellucidissimo formatarum apparebant, filis per ipsarum centra trajectis. Cum guttulæ halitu oris aut digitis admotis dissiparentur, fila ob tenuitatem nudo oculo vix conspiciebantur; ast foliis plantarum circumvoluta per microscopium admodum candida & politæ superficiei videbantur.

videbantur. Sole circa h. 11. ex nubibus egreſſo, fila omnia diſparebant. Paſſim etiam guttulæ in terra atque plantis collectæ tela quædam tenuia formabant, qualia eſſe ſolent aranearum induſtriæ debita: ſed tactus eadem ex templo in humorem transmutabat.

§. 23.

Quod motus Mercurii in tubo Torricelliano attinet, circa eum quædam notatu digna occurrunt. Satis equidem ſuperque notum eſt, eas cum incrementis frigoris atque caloris minime connecti, & poſt alios ego id oſtendi in Elementis Aërometriæ *ſchol. 2. prop. 67. pag. 184. & ſeq.* atque adeo abſit, ut incrementa frigoris barometro metiamur; nihilominus tamen experientia docuit, altitudines Mercurii hieme plerumque majores eſſe ſolere, quam æſtate, ac duriſſimo præſertim frigore maximas exiſtere, utut non ſemper maximum frigus maxima Mercurii altitudo comitetur. Videbatur quoque Mercurius hac ipſa hieme conſuetas motus leges obſervaturus. Cum enim d. 4. Jan. a 29. 5. ſubito h. 2. pom. ad 29. 2. delaberetur, procella cum imbre irruente ac per noctem integram ſæviente, & d. 5. Jan. h. 8. mat. ad 28. 5. conſpiceretur, ſub primordia frigoris h. 10. veſp. ad 29. 1. aſcenderat. D. 6. Jan. h. 7. mat. altitudo Mercurii erat 29. 5. h. X. 29. 6, h. XII. 29. 6½, h. X. veſp. 30. ad quem ultimum gradum per integrum fere ſeptimum Jan. immotus conſiſtebat. Enimvero frigore creſcente, Mercurius continuo deſcendit usque ad h. 7. d. 14. Januarii, a quo durante adhuc frigore aſcenſum acceleravit: prout ex ſubjecta Tabula diſcere licet.

Dies Menſis.	Horæ.	Altit. Mercur.	Grad. thermoſc.
D. VIII. Jan.	VII. mat.	29. 6.	87.
	IX.	29. 5.	89.
	X. veſp.	29. 3.	84½.
IX.	VII. m.	29. 3.	87.
	XII. noct.	29. 4.	92½.
X.	II. pom.	29. 4.	98.
XI.	VII. m.	29. 3½.	107½.
	II. pom.	29. 2.	Liquor aut totus intra globum, aut per exiguum intervallum ex eo aſcendit.
	X. v.	29. 1.	
XII.	XI. noct.	29. 1½.	
XIII.	VIII. m.	29. 1.	
	IX. v.	29. 0.	
XIV.	VII. m.	28. 6.	
	X. v.	28. 7.	
XV.	III. p.	28 7½.	100.
XVI.	VII. m.	29. 1.	96¼.
	II. p.	29. 2.	91.
	III.	29 3½.	89¼.
	XI. n.	29 4.	84½.
XVII.	VII. m.	29. 6.	86.
	III. p.	29 7.	86.
	XI. n.	30. 0.	86⅓.
XIX.	VIII. m.	30. 1.	90.
	IX.	30. 2.	87.
	X. v.	30. 2½.	90.
XX.	VII. m.	30. 3¼.	94.
	XI.	30. 3½.	91.
XXX. } Jan. XXXI. }	— —	28. 5.	43. 45. 39. 46. 49. 44. 47.

Dies Mens.	Horæ.	Altit. Mercur.	Grad. thermoſc.
I. Febr.	VII. m.	28. 1½.	54.
	IX.	28. 6.	55.
	X. v.	29.	48.
II.	VII. m.	29. ½.	49.
	XI.	29 1.	58.
	X. v.	29. 2.	45.
III. } IV. }	—	29. 4.	50 51. 46½.
	—		51. 53. 52. 54.
V.	VII. m.	29. 2½.	59½.
	II. p.	29. ½.	56.
	X. v.	28. 7.	57.
VI.	VII. m.	28. 6½.	63.
	X.	28. 7.	65.
	XI. n.	29. 1.	65.
XX.	VII. m.	28. 7½.	61.
	III. p.	28. 7.	61.
XXI.	VII. m.	29. 0.	65.
	X n.	28. ½.	64½.
XXII.	VIII. m.	29. 1.	71.
	I. p.	29. 1½.	69.
	X. v.	29. 2.	68.
XXVII.	VII. m.	29. 1.	89½.
	II. p.	28. 7½.	85.
	X. v.	28. 6.	82.
XXVIII.	X. v.	28. 5.	73.
I. Mart.	VII. m.	28. 6.	79.
	II. p.	29. 0.	74.
	XI. n.	29. 4.	68.
II.	VII. m.	29. 6½.	70.

Eadem notata ſunt d. 30. & 31. Jan. d. 1, 5. & 6, it. 20, 21, 27. & 28. Febr. atque 1. Mart.

Maxi-

Maxima Mercurii altitudo hac hieme obſervata fuit $30\frac{1}{4}$ d. 20. Jan. h. 7. mat. cœlo per continuas 7. dies jam nubilo & denſitate aëris impediente, quo minus motus nubium cernerentur, vento inferioris regionis non prorſus ex plaga Orientali flante, ſed in Septentrionem declinante. Minima vero altitudo notata eſt diebus 30. & 31. Jan. atque 28. Febr. 28. 5. D. 30. Januar. poſt pluvias præcedentis & nubila præſentis tum diei ſequebatur Phœbus, nubibus tamen prorſus abactis, & poſt procellas aëri tranquillitas reddebatur flante *Noto*. D. 31. Jan. nebulæ denſæ comparebant, quas ubi Sol præcipitaverat, circa meridiem jubare ſuo Tellurem colluſtrabat. Ventus occidenti admodum vicinus & parum in ſeptentrionem declinans nubeculas quasdam agebat. D. 28. Febr. cœlum erat maxima ſui parte ſerenum, paucæ paſſim comparebant nubes & ventus a ſeptentrione exiguo angulo in occidentem declinabat. Ab iis, quæ diximus, non abludunt obſervationes *Jenenſes* & *Cizenſes*: ſed prolixitatis evitandæ gratia iis recenſendis ſuperſedemus.

§. 24.

Effectus frigoris 1. *in fluida.*

Hiemis noſtræ duritiem etiam iis ſatis ſuperque perſuaſerunt inſoliti frigoris effectus, qui obſervationibus thermoſcopicis non incubuerunt. Neque enim ſolum aqua infra ſolitam profunditatem in glaciem abiit; ſed & alii liquores congelati apparuere, qui alias extra congelationis periculum media hieme conſtituuntur. Pertinet huc fons in quodam Sileſiæ pago, qui cum alias æſtate frigidus, hieme calidus deprehendatur, hac tamen hieme ſpiſſa ſatis glacie non ſine omnium admiratione obductus fuit. Certe novellæ publicæ aliquoties thermas in glaciem converſas nunciarunt: id quod tamen calidioribus non accidit, veluti *Carolinis*, quas ſolito fervidiores fuiſſe affirmant accolæ. *Halæ* ſtirias fontibus ſalſis adhærentes vidimus: id quod intra ſeculi ambitum non contigiſſe fertur. Ex literis Dn. *Breynii*, Medici Gedanenſis celeb. Soc. Reg. Anglicanæ Socii, ipſum mare, quo usque oculorum acies etiam armata penetrare poterat, adhuc d. 8. Aprilis glacie tectum fuiſſe conſtat. Cum is lixivium cineribus clavellatis ad ſaturitatem ferme imprægnatum aëri expoſuiſſet, licet nunquam congelare ab hominibus, qui pluri-

pluribus annis id tractaverant, aſſereretur, brevi tamen tempore in glaciem converſum eſſe expertus. Addit amicum quendam ſuum Tartari quoque ſpiritum dephlegmatum congelatum obſervaſſe. Referunt obſervationes *noſtræ* ſputum ex ore vix dimiſſum in glaciem abiens: id quod tanto minus quidem admirari debemus, cum d. 15. Mart. adhuc obſervatum fuerit. Inprimis notatu dignum, quod hac hieme fluvii ter in glaciem abierint, etiam illi, quibus ob celeritatem, qua feruntur, frigus alias non infeſtum.

§. 25.

2. *In Vegetabilia.*

Vegetabilibus intra terræ gremium latentibus nihil damni attulit frigus, ubi nix copioſa agros obtexit: id quod plerisque in locis contigit. In *Anglia* tamen & aliquot *Galliæ* Provinciis, ſi novellis publicis fides habenda, ob nivis defectum fruges plurimæ corruptæ. Arbores vero & frutices ultra nivis ſuperficiem prominentes magno numero frigus deſtruxit. Ceraſus, malus & prunus riſere hiemis minas. Multa ramorum ſegmenta menſe adhuc Martio microſcopio ſuppoſuimus, nec quicquam integritati & turgeſcentiæ fibrarum deeſſe deprehendimus. Apparuit quoque viriditas corticis & ſuccus intra ipſum & lignum aſcendens nudis oculis, ligniique candor & medullæ ſolitus color utriusque ſanitatem loquebatur. Flores quoque copioſi præſertim in ceraſo, rariores in malo ſatis teſtati ſunt, parum aut nihil damni gemmis a frigore datum. Enimvero nuces, amygdalæ, mali Perſicæ & mali Armeniacæ nobiliores pariter ac ignobiliores, roſarum frutices tantum non omnes interierunt, pyri plurimum damni perpeſſæ. Vites ſub terra defoſſas & ſatis tectas a frigoris ſævitie immunes vidimus: at reliquas contra illud non ſufficienter munitas prorſus deſtructas & ipſi conſpeximus, & novellæ publicæ iterata plus ſimplici vice nunciarunt. Commemoranda vero hic ſunt, quæ circa hoc argumentum annotavimus. Cum ſtatim ab æquinoctio nive liquefacta & glacie reſoluta aditus in hortos pateret, cortex, lignum & medullla in iis arboribus, quibus frigus infeſtum fuerat, e. gr. in pyro & malo Armeniaca, nigricabant. Unde multi promovebantur, ut omnes iſtas arbores atque frutices roſarum extirparent. Cum ſegmenta ramorum, qui præterita æſtate adoleverant, microſcopiis ſubjicerentur, fibril-

fibrillæ hinc inde diſruptæ, non ſecus ac in ligno putrido, conſpiciebantur: in reliqua autem parte nulla iſtiusmodi diſruptio notari poterat, ſuccus unice deſiderabatur & viriditas. Enimvero cum circa medium Aprilis arbores calore Solis foverentur, in malis Armeniacis ex ligno ſeniore paſſim novæ gemmæ erumpebant, in quibusdam etiam ex juniore ibi proveniebant, ubi flores progerminare debuerant; in nonnullis nullus ſurculus protruſus. Pyri gemmæ omnes evolutæ & flores prodiere, conſueto tamen vigore plerumque deſtituti atque hinc nulla fructuum rudimenta relinquentes. Tunc temporis viriditatem plenariam conſequebatur cortex, nigror ex centro medullæ verſus peripheriam migrabat, ligni ſubſtantia candorem recuperabat. Fibrillæ novi anni adhuc nigricabant per microſcopium tamen conſpectæ non minus ac fibrillæ eædem in ceraſo & malo, quas frigus intactas reliquerat, ſucco turgeſcere videbantur. Equidem medulla ſub gemmis inſolita nigredine paſſim tingebatur; radicula tamen gemmæ in ſurculum proruſæ admodum turgita & virens oculo armato ſiſtebatur. Et reliquarum etiam gemmarum nondum explicatarum radiculæ in medullam corruptam hiantes illæſæ deprehendebantur. Neque vero diffiteri poſſumus, quarundam malorum Armeniacarum ſurculos minus læte procreviſſe & nunc flaccida apparere folia debita magnitudine debitoque vigore, non minus ac ipſe ſurculorum truncus, deſtituta. Aliarum tamen ejusdem generis arborum frondes & lætæ vireſcunt, & ſurculi inſolita fere ratione indies incrementa capiunt. Notabile vero, quod quemadmodum frigus pruno, ita etiam gemmis malorum Armeniacarum intra corticem ſurculorum pruni immiſſis pepercerit, in proceras frondes nunc excreſcentibus juxta arbores ſui generis, quibus ne unicam gemmam intactam reliquerat frigus.

§. 26.

3. in corpora animalia & humana.

Animalia quoque corpora injurias hiemis noſtræ experta eſſe abunde conſtat. Summo frigore piſces plurimos in aquis dulcibus expiraſſe paſſim annotatum eſt & *Dantiſci* annotavit laudatus ſupra Dn. *Breynius*. Avium præſertim minorum ſtragem & idem in litteris ſupra citatis commemorat, & alii complures confirmant. Non deſunt, qui alites ex aëre, per quem volabant, ſubito ad

terram decidentes, viribus ad volatum deficientibus, nec manum capientem effugientes ſe vidiſſe affirmant: id quod etiam ex litteris Tubingenſibus menſe Februario novellis publicis inſertum. Litteræ ex Luſatia nunciarunt in ipſis ſtabulis vaccas præ frigore obiiſſe plures: nec venatoribus prædæ mortuarum ferarum ignotæ ſunt. Homines, qui contra frigus vehemens conſueta ratione muniti iter fecerunt, aut ex officii ratione in frigidiſſimo aëre diu commorati ſunt, vel membrorum quorundam, vel vitæ ipſius jacturam fecerunt. Ex Anglia menſe Februario novellæ publicæ nunciarunt plurium hominum ſtragem. Faber e. gr. quipiam in itinere mortuus, quo vehebatur equo, illæſo. Nobilis quidam vita orbatus equo domum advectus eſt. Alius una cum duobus equis præ frigoris vehementia in via periit. Earundem fide novimus in locis non procul *Pariſiis* diſſitis 60 & amplius homines una cum multis pecudibus ob frigoris furorem periiſſe: quales caſus etiam *Venetiis* notati. Non memoramus 80. milites Gallos, quos *Namurcum* abeuntes frigus e medio ſuſtulit; nec milites imperatorios, qui in *Hungaria* manuum, pedum, naſorum, aurium jacturam fecerunt. Illud unice addimus, quod in ſolo Archiepiſcopatu Pariſienſi numerus eorum, quibus frigus intulit, ſub initium Martii ad 3500. extendi ferebatur. Novimus non neminem ex frigore intenſiore domum redeuntem pedes fornaci propiores, quam par erat, admoviſſe: quos calor adeo corrupit, ut malum inde enatum ipſius mortis cauſa extiterit. Similiter alius ex aliquot horarum itinere domum redux vires adeo debilitatas eſſe ſuas ſenſit, ut ſemimortuum de curu in hypocauſtum deportari debuerit. Caloris vero ex fornace fortiter exhalantis vi perculſus animi deliquium paſſus eſt, & dubio procul extinctus fuiſſet, niſi medicus advocatus corpus jamjam emoriturum aquæ frigidæ immergi juſſiſſet. Cæterum Dn. *Breynius* in laudatis jam aliquoties litteris fatetur, etiam ſi pauperes in ſuburbiis peſſime habuerit frigus, illud tamen Pruſſis atque Polonis plus beneficii, quam maleficii apportaſſe, in eo potiſſimum, quod contagioſam peſtem (quæ anno elapſo non tantum Poloniam, ſed etiam quædam utriusque Pruſſiæ devaſtavit oppida) initio ſedaverit, mox plane ſuſtulerit, ita ut commercia cum locis infectis antea prohibita, jam die 6. Aprilis, iterum

iterum licita fuerint. Monet autem morbos, qui *Dantiſci* hac hieme graſſati ſunt, non fuiſſe inſolitos, catarrhales ſcilicet potiſſimum, cæteros ſpaſmodicos.

§. 27.

Tempeſtas menſis Maji extraordinaria.

Antequam hiſtoriæ noſtræ finem imponamus, quædam adhuc de inſolita illa tempeſtate annotanda ſunt, quæ circa medium Maji obſervata eſt. Nimirum ſicuti per totum fere Aprilem, ita etiam per dimidiam Maji partem priorem cœlum magis nubilum, quam ſerenum extitit: immo nullum obſervationes *noſtræ* diem exhibent, quo integro faciem Solis contueri licuiſſet. Præterea hoc tempore pluviæ fuerunt frequentes, nec procellæ ac imbres infrequentes circa medium præſertim menſem. Venti denique ſæpe notati ſunt boreales aut boreæ minimum vicini. D. 16. Maji h. 6. mat. liquor thermoſcopii ad 8. ſcalæ inferioris conſiſtebat, tempeſtate pluvia, nubibus inferioribus a *Zephyro* (☿.), ſuperioribus ab *Olympio* (☽. ☿.) actis, vento inferiore inter duas plagas, ex quibus ſuperiores proficiſcebantur, variabili. Pluviæ per diem continuæ, durantibus iisdem ventis, notabantur & liquor continuo deſcendebat, ita ut h. 9. mat. ad $11\frac{1}{2}$, h. 3. ad $14\frac{1}{2}$, h. denique 10. veſp. ad 20 conſpiceretur. Hor. 5. mat. diei ſubſequentis 17, idem ad 16. hærebat, tectaque ædium, & folia arborum atque plantarum nive conſperſa cernebantur. Nubes adhuc vehebat *Olympius*; ventus inferior inter ſeptentrionem & occidentem variabilis erat. Ad feneſtram apertam intra unius horæ quadrantem usque ad 34. & per dimidiam adhuc alteram usque ad 36. delabebatur liquor. Circa h. 6. nix copioſa aërem totum opplebat & in terram præcipitabatur, quam ubi attigerat non multo poſt liquabatur. Hic aëris ſtatus turbulentus aliquoties horis antemeridianis obſervabatur, donec tandem circa h. 12. nix in pluviam degeneraret. Hactenus ex Diario noſtro Meteorologico excerpſimus, quæ *Halæ* annotata ſunt. Cl. Reſpondens iter per *Miſniam* tum facies campos nive aliquot pedes alta tectos & ſtirias pedis longitudinem adæquantes ex arboribus pendulas conſpexit.

SECTIO II.

In Causas Hiemis proxime præterlapsæ & Effectuum ejus inquirit.

§. 1.

Imperfectio meteorologiæ notatur.

Omnis doctrina Meteorologica, si quædam ipsius argumenta Opticorum dogmatibus agnata excipias, male huc usque tradita: Nec *Meteorologiæ* principia rite adhuc constituta. Tempestatum præsertim theoria nondum prima incunabula vidit. Nec mirum. Tota enim scientia physica ab observationibus & experimentis, atque a Matheſi pendet. Quantum autem ab observationum & experientiarum perfectione absimus, ex §. 8. *sect. 1.* colligitur: quam pauci γεομετρήτως philosophentur, experientia palam loquitur. Quamobrem frustra Physicorum scripta evolvimus, cum de causis hiemis nostræ solito rigidioris cogitaremus.

§. 2.

Generalis de hieme tractatio cur præmittatur.

Quamvis itaque nobis minime probetur illorum institutum, qui more pervulgato maximam tractionis partem ab argumento tantum non alienis impendunt, ut ne desint, quæ multas plagulas impleant, cum id aut judicii defectum, seu ignorantiam Logicæ, aut rei pertractandæ insufficientem in sciente cognitionem aut utplurimum utrumque supponat; nemo tamen nobis vitio jure vertet si generalia quædem de causis hiemis meditata præmiserimus. Etenim si de nostra hieme dicendis sua constare debet veritas, eorum demonstratio ex principiis certis fieri, hoc est, theoria hiemis nostræ ex theoria hiemis generali deduci debet. Caremus autem hac theoria, *per §. præced.* Ergo ne hiemis nostræ theoriam gratis effinxisse videamur, quæ aliunde supponi nequeunt, hic præmittenda sunt.

§. 3.

Cur sublimiora seponantur.

Quoniam vero generalia de hieme eum unice in finem proferre licet, quatenus theoriæ hiemis nostræ debita ratione constituendæ inserviunt; nemo hic integram hiemis theoriam expectabit.

Atque

Atque adeo ea potiſſimum ſeponimus, quæ ad cognitionem hiemis diſtinctam faciunt, cum iisdem ad noſtrum negotium minime utamur. Alias nec illuſtria quædam mihi defuiſſent hujus quoque cognitionis ſpecimina, quorum aliqua ſuo hinc inde loco indicabo.

§. 4.

Caloris & frigoris in Tellure ultima cauſa.

Extra controverſiam poſitum eſt, ut luminis, ita quoque caloris, quo indulgente natura fruuntur terricolæ, ſcaturiginem in Sole quærendam eſſe. Jam ex principiis Philoſophiæ primæ notum eſſe debere ſuppono, quamdiu cauſæ conditiones omnes eædem fuerint, nec ullum in effectu obſervari poſſe diverſitatem. Quare cum experientia manifeſtum ſit, calorem non ſemper eundem a Sole in Tellure produci, in rationes diverſitatis inquirendum. Conſtituendæ autem ſunt vel in variato Solis ad Tellurem, vel Telluris ad Solem reſpectu.

§. 5.

Variatio Apogæi & Perigæi Solis non mutat ejus influxum calorificum.

Agedum itaque enumeremus variationes iſtas, quas partim Aſtronomorum induſtriæ debemus, partim experientiæ propriæ acceptas referimus. Collegerunt Aſtronomi ex diametri Solis apparentis variatione obſervata, Solem ſub initium brumæ aliquot millibus milliaribus Germanicis Telluri propiorem eſſe, quam ſub initium æſtatis. Unde mirum videri poterat, quod radii ſolares in Solſtitio hiberno minus calefaciant, quam in æſtivo. Et licet ſtatim alias allaturi ſimus rationes, ob quas hac vicinia Solis non obſtante radiorum brumalium vis minor eſſe debet vi æſtivorum, non defuere tamen viri, quibus rerum naturalium notitiam judiciique acumen non denegaveris, qui vicinitatem Solis in Perigæo verſantis impedire affirmant, ut frigus hibernum minus intenſum ſit quam alias futurum eſſet. Enimvero ex Opticis adſumens, diſtantias objecti viſibilis eſſe in ratione directa Cotangentium magnitudinum apparentium, & (quod paſſim ab Opticis de diffuſione luminis, a doctiſſimo autem *Gregorio*, Aſtronomiæ apud *Oxonienſes* Profeſſore *Saviliano* celeberrimo in præclaro Elementorum Aſtronomiæ Phyſicæ & Geometricæ opere prop. 48. lib. 1. de vi quacunque a

centro in lineis rectis undiquaque per regiones in circuitu propagata demonstratum est) efficaciam radiorum esse in ratione duplicata reciproca distantiarum a puncto radiante, cæteris paribus, juxta methodum inferius §. 14. exemplo illustratam inveni virium solarium differentiam ortam ex variatione Apogæi & Perigæi in calefacienda atmosphæra nostra & Tellure pro nulla haberi debere.

§. 6.

Falsa ratio hiemis rejicitur.

Absona igitur est eorum sententia, qui causas extraordinariarum in Tellure tempestatum reddituri ad mutationem insuetam distantiæ Telluris a Sole confugiunt. Etenim cum alia a præsente non extiterit ætas, qua tot Observatores instrumentis exquisitioribus eodem tempore in locis diffitis una cœlorum phænomenis observandis incubuerint; impossibile est insuetam in diametri solaris apparente magnitudine mutationem accidisse, quæ ipsis non fuerit observata. Nemo autem Observatorum hactenus ne per somnium quidem de extraordinaria semidiametri apparentis parvitate aut magnitudine cogitavit: nihil enim de istiusmodi phænomeno in Transactionibus Societatis Regiæ Anglicanæ, in Historia & Commentariis Academiæ Regiæ Scientiarum Parisinis aliisque Eruditorum Actis, quæ singulis mensibus eduntur, reperies, utut singularia cœli phænomena in iisdem cum cura annotentur. Quare cum ea, quæ ordinarie contingit, in diametro Solis apparente mutatio respectu influxus calorifici in Tellurem pro nulla habenda sit, *per §. præc.* nec, si qua vel maxime contingeret insensibilis distantiarum Solis ac Telluris mutatio, ea sensibilem influxus calorifici in Tellurem mutationem inferre poterat.

§. 7.

Alia itidem reprobatur.

Magis autem adhuc a scopo aberrant, qui omnis Astronomiæ ignari Tellurem, salva ejus a Sole distantia, situm suum respectu cœli mutasse fingunt. Hæc enim mutatio altitudines Solis ac stellarum meridianas non solum, sed & dierum ac noctium artificialium longitudines mutaret, ita ut non modo in Astronomorum, sed plebis

bis etiam imperitæ oculos incurreret: quorum tamen neutrum nec hac hieme, nec unquam antea, quantum conſtat, obſervatum.

§. 8.

Cur refutentur.

Vix operæ pretium eſt talia refutare, quæ cum primis Aſtronomiæ principiis pugnant, niſi ſpecimine quodam oſtendere conſultum duxiſſemus, quantopere in ſcientia naturali hallucinentur, qui dextro oculo carentes ſiniſtro tantum opera Naturæ contemplantur, hoc eſt, qui ſine principiis Mathematicis de rebus naturalibus ex ſolis experientiis philoſophari ſibi præſumunt. Immo prorſus cæcutire oportet eos, qui etiam ſiniſtro oculo carent, hoc eſt, experimenta pariter ac Matheſin ignorant. Miſſis igitur hiſce ad alia progredior, quæ firmiori nituntur talo.

§. 9.

Radii Solis obliqui minus calefaciunt perpendicularibus.

Non modo per obſervationes Aſtronomorum, ſed & vulgi conſtat Solem non quotidie eandem a vertice habere diſtantiam, ſed nunc majorem, nunc minorem. Et quidem per leges Aſtronomicas & principia Geographica habetur, quod Sol a principio Capricorni usque ad principium Cancri continuo ad verticem propius aſcendat, contra vero a principio Cancri uſque ad principium Capricorni a vertice continuo recedat. Quodſi Sol vertici propior exiſtit, radii ejus ſunt minus obliqui. Si remotior, magis obliqui. Etenim ſi Sol Zenith attingit (id quod per Geographorum dogmata in Zona torrida fieri ſolet) radii in Tellurem perpendiculares incidunt; ſi vero a Zenith diſtat, radii quoque a linea perpendiculari declinant. Angulus, quem facit radius Solis cum linea Horizontali, obliquitatem ejus metitur. Neque vero probatione multa indiget, quod radii, quo magis obliqui, eo minus calefaciant. Ipſo enim ſenſuum judicio patet, inſignem eſſe differentiam inter calorem Solis meridiani & occidentis, radiorumque Solis occidui vim inſigniter imminutam eſſe, vel exinde colligitur, quod faciem ejus oculo illæſo contueri detur, non ſecus ac ſi per nebulam radiis prorſus orbata tranſparet. Immo multo minus Sol occiduus, quam per nubes pluvioſas tranſparens, oculos offendit. Evidens vero eſt, radios Solis meridiani eſſe magis perpendiculares, radios vero occidui

occidui magis obliquos. Nullum adeo est dubium, quin Sol vertici propior, aut circulum diurnum in puncto vertici propiore Meridianum intersecantem describens magis calefaciat, quam cum communis Meridiani & circuli diurni intersectio a Zenith remotiore intervallo distat.

§. 10.

Ratio a priori.

Quodsi quæsiveris, unde sit, quod radii obliqui minus calefaciant perpendicularibus; causa assignanda erit duplex. Facile nimirum concipitur, radios obliquos esse rariores, perpendiculares vero densiores. Si enim ponamus certum radiorum numerum parallelis AB & CD terminatum, evidens est lineam BD esse breviorem linea BE, Fig. I. *per 24. Elem. 1.* Radii igitur in linea BD sunt propinquiores, in BE minus propinqui. Experimenta autem speculis & lentibus caustics facta loquuntur, radiis densioribus inesse vim calefaciendi majorem, quam rarioribus. Tenendum vero ulterius, calorem consistere in certa specie motus moleculis corporum calefactorum impressi: quod in Physicis jam satis probatum arbitramur. Vid. inter alios *Franciscus Bayle* in Instit. Physic. Tom. 1. Phys. gener. disput. 8. art. 1. §. 1. & seqq. p. m. 231. & seqq. Radii igitur solares atmosphæram nostram calefaciunt, quatenus moleculis in ea sibi obviis impetum imprimunt. Demonstratum vero est a *Johanne Alphonso Borello* in Tractatu de vi percussionis prop. 46. & Scriptoribus Staticis aliis, vim percussionis Fig. II. obliquæ AB esse ad vim perpendicularis CB ut Sinum anguli incidentiæ ABH ad Sinum totum, hoc est, ut IK ad IB. Unde cum idem theorema radiis solaribus atmosphæram Telluremque calefacientibus applicari possit; altera quoque ratio in aprico posita, cur radii solares minorem vim calefaciendi habeant, quo magis oblique incidunt.

§. 11.

Mora Solis supra Horizonte auget calorem.

Experientia porro constat, calorem semel corpori impressum non statim cessare; quin potius impressionem cessante impetu adhuc retineri. Atque hinc non mirum, quod corpus radiis solaribus diu expositum magis calefiat, quam quod exiguo temporis intervallo

tervallo eorum actioni ſubeſt. Cum enim calor pendeat a motu moleculis corporum per radios Solares impreſſo; moleculis ab anteriore impetu certum velocitatis gradum jam habentibus dum per impetum novum gradus celeritatis novus accedit, juxta communes leges motus calor augeri debet, ſi actio Solis diu continuatur. Mora ergo Solis ſupra Horizonte auget calorem.

§. 12.

Sol pomeridianus cur magis calefaciat antemeridiano.

Quoniam altitudines Solis per horas antemeridianas continuo creſcunt, per pomeridianas autem rurſus decreſcunt; evidens eſt vim radiorum Solarium continuo augeri horis antemeridianis, continuo autem rurſus imminui horis pomeridianis, cæteris quidem paribus. Major tamen eſt effectus radiorum pomeridianorum, quam antemeridianorum, cæteris itidem paribus, quatenus aliqua effectus pars radiis antemeridianis debita adhuc ſupereſt. Unde obſervationes thermoſcopicæ, actione Solis non aliunde impedita (de quo mox plura) liquorem paulo a meridie, e. gr. hor. 2. altiorem exhibent, quam in ipſo meridie ſeu h. 12: quæ cum quotidie obſervari queant, exemplis ut confirmentur opus non eſt. Cæterum hinc liquet, quod, qui obſervationibus Meteorologicis incumbunt, ut maximam in quolibet die liquoris altitudinem venentur, non tam h. 12. quam h. 2. immo & h. 3. thermoſcopium contueri debeant.

§. 13.

Theoremata de viribus calefaciendi Solaribus.

Poteramus equidem hic exponere theoremata, quæ de actione Solis invenimus, niſi obſtarent ea, quæ in §. 3. monuimus: ſufficerit itaque nobis ea tantum breviter indicaſſe. Sunt autem ſequentia: 1. Vires radiorum ſolarium perpendicularium ſunt ad vires obliquorum in idem planum exercitas, quatenus a denſitate pendent, in ratione Secantis complimenti anguli incidentiæ CBD, nempe Fig. III. Anguli CBA, ad ſinum totum. 2. Vires radiorum obliquorum, quatenus ab eorundem denſitate pendent, ſunt inter ſe in ratione ſinuum angulorum incidentiæ CBD. 3. Vires radiorum obliquorum, quatenus ab obliquitate ictus pendent, ſunt ad vires perpendicularium ut ſinus angulorum incidentiæ BCD ad

ſinum totum. 4. Eædem vires ſunt inter ſe ut ſinus angulorum incidentiæ BCD. 5. Vires radiorum obliquorum in idem planum exercitæ, quatenus & a denſitate & ab obliquitate ictus pendent, ſunt inter ſe in ratione duplicata ſinuum angulorum incidentiæ BCD. 6. Determinatio actionis Solis diurnæ, quatenus vires a denſitate radiorum pendent, ſupponit quadraturam ungulæ, in qua ordinatæ ad baſin (qui eſt ſemicirculus ſolis diurnus) habent rationem ſinuum angulorum incidentiæ BCD. 7. Determinatio actionis Solis diurnæ, ſi ad ſolam ictus obliquitatem reſpicias, pendet itidem a quadratura ungularum Cylindricarum: quod theorema jam dedit celeberrimus Geometra *Halley* in Transactionibus Anglicanis, translatum inde in Tomum II. Supplementorum Actorum Lipſienſium. 8. Determinatio actionis Solis diurnæ, quatenus in rerum natura obvia, id eſt, & denſitatem radiorum & ictus obliquitatem una ſupponit, pendet a quadratura ungularum, quarum baſes ſunt ſemicirculi ſolis diurni, applicatæ autem in ratione duplicata ſinuum angulorum incidentiæ.

§. 14.

Maculæ num vires calefaciendi imminuant.

Omnis autem hæc varietas actionis radiorum ſolarium, de qua hactenus dictum eſt, a motu vertiginis Telluris circa proprium axem & ejus motu revolutionis circa Solem pendet. Et omnia quidem ita ſe habebunt, prout dictum eſt, ſi Sol eadem ratione indeſinenter radiet, aut minimum radiationis diverſitas reſpectu influxus calorifici in Tellurem pro nulla haberi debeat. Equidem natura Solis nondum adeo nobis huc usque perſpecta, ut definire liceret, num radii conſtanter eodem numero & ejusdem efficaciæ emittantur, nemo enim præter *Villemotum* in novo ſyſtemate, ſeu nova explicatione motus Planetarum, Lugduni Gallorum 1707. edita c. 6. p. 65. & ſeqq. per leges Mechanicas ex ſtructura ſyſtematis Planetarii illam a priori deducere hactenus tentavit & vim, qua Sol æſtuat, ad calculum revocare allaboravit; illud tamen ſatis liquet, maculas in diſco ſolari ſubinde conſpicuas quandam radiorum partem intercipere. Equidem eclipſes ſolares majores, qualis fuit illa, quam anno 1699. menſe Septembri conſpeximus, itemque altera, quæ menſe Majo anno 1706. iis in locis obſervata, ubi

non

non totalis extitit, abunde docent; si radii solares a corpore opaco inter Tellurem & Solis quandam partem interposito intercipiuntur, calorem notabiliter imminui: an vero maculæ solares sensibilem alterationem causari queant, merito inquirendum. Sexto Jan. an. præs. duæ in Sole conspectæ sunt maculæ, quarum major d. 5. Febr. nondum disparuerat: sed major vix quadragesimam diametri solaris partem adæquabat. Agedum itaque despiciamus, num hæ maculæ vim Solis calefacientis adeo imminuere potuerint, ut imminutio in thermoscopio observabilis extiterit. Quodsi macula circularis ponatur, *per 2. Elem. 12.* $\frac{1}{1600}$ radiorum solarium intercepit. Quare si singulis radiis eadem calefaciendi vis tribuatur, vis calefaciendi in Sole imminuta fuit parte sui una millesima sexcentesima. Ponamus jam diametrum globi in thermoscopio esse ad diametrum tubi ut 1. ad 15. id quod fere obtinet in thermoscopio nostro atque 1. simul exprimere altitudinem unius gradus in Scala tubo applicata: erit soliditas totius globi (supposita ratione diametri circuli ad peripheriam ut 100. ad 314.) 17. 66. 250. & soliditas liquoris unum gradum replentis 785. adeoque unus gradus continet fere 1. 2250. liquoris totius. Quodsi ergo totus liquor in tubo contineretur, ejus altitudo ex 2250. gradibus constare deberet. Cum d. 6. Jan. macula in Sole appareret, liquor in thermoscopio ultra orificium globi eminebat 40. gradibus. Sed macula vim calefaciendi in Sole tum imminuebat parte una millesima sexcentesima, *per demonstrata*. Quare si dilatationes spiritus in thermoscopio viribus solaribus proportionales ponantur; incrementum quoque voluminis minus fuit una parte millesima sexcentesima, quam fuisset absente macula. Dividatur adeo illud per 1600. quotus $\frac{1}{40}$ metietur dilatationem impeditam. Apparet itaque maculæ isti minime sensibilem in frigoris intensionem adscribendum esse influxum, ita ut ejus absentia non impediisset, quo minus frigus extraordinarium sæviret.

§. 15.

Diversitas tempestatum hiemalium unde.

Ex hactenus dictis liquet, incrementa & decrementa caloris eodem in loco constanter eadem, fore singulis anni temporibus, nisi actio Solis per diversa atmosphæræ symptomata turbaretur.

Ab his itaque potiſſimum cum diverſitas tempeſtatum hiemalium pendeat, in ea nobis nunc ulterius cum cura inquirendum.

§. 16.

Nubes & nebulæ actionem Solis impediunt.

Notamus igitur (1) actionem radiorum ſolarium a nubibus & nebulis impediri. Cum enim Solem tempore hiemali per nebulas contueri licet, in ipſo Meridiano inſtar lintei diſcus ejus pallet nec ullo ſplendore corruſcat: multo minus objecta ipſi in directum poſita ab ejus radiis ſplendorem concipiunt. Et, quando nebulæ aut nubes teneriores fuerint, ut fulgor Solis tranſparentis oculos adhuc offendat; objecta tamen ipſi oppoſita exiguo admodum ſplendore tinguntur. Satis ergo claret, pauciores tum radios atmoſphæram ferire inferiorem: adeoque multo adhuc pauciores ad eam pertingant neceſſe eſt, ſi nubes Solem conſpectui prorſus eripiant. Et quis dubitet, nubes ac nebulas impedire, quo minus radii plures atmoſphæram inferiorem feriant. Nubes enim & nebulæ ex collectis vaporibus concreſcunt. Vapores ſunt veſiculæ aqueæ, hieme & ipſa etiam æſtate in ſuprema aëris regione in glaciem concretæ. Multos igitur radios cœlum verſus reflectunt: quæ reflexio numerum radiorum neceſſario minuit. Quamobrem cum nubes ac nebulæ radiorum atmoſphæram inferiorem calefacientium numerum imminuant; calor quoque tempeſtate nebuloſa ac nubila non erit tantus, quantus produceretur, ſi nubes ac nebulæ abeſſent. Et quoniam calor ſemel conceptus non ſtatim ceſſat, *per* §. *12.* quo longiori temporis intervallo nubes cœlum obvelant, eo remiſſior calor fieri debet.

§. 17.

Vapores item diſperſi.

Nubes ac nebulæ non ſunt niſi vapores collecti. Haud difficulter ergo concipimus (2) etiam vapores per atmoſphæram diſperſos, nec oculis obvios, obſtare debere, quo minus plures radii ad atmoſpæram inferiorem pertingant. Atque hinc rationem reddimus phænomeni, quod in Academia Regia Scientiarum Pariſina admirationem excitaſſe legitur in Hiſtoria Anno 1705. obſerv. 10. phyſ. gener. pag. 50. edit. Batavæ. Obſervavit ſcilicet Cl. *Hombergius*, æſtu intenſo minorem ſpeculorum cauſticorum efficaciam, quam ubi

ubi Sol pluvia copioſa delapſa Tellurem radiis ſuis primum rurſus colluſtrat. Etenim Sol calore ſuo exhalationes ſuſcitat, quæ per aërem ſerenum diſperſæ radiorum quendam numerum intercipiunt. Pauciores ergo radii in vitrum cauſticum incidunt, quam ſi exhalationes iſtæ abeſſent. Enimvero ubi pluvia per atmoſphæram decidit, tam vapores quam exhalationes reliquas ſecum præcipitat atque aërem purum reddit. Abſunt ergo obſtacula radiorum ſolarium progreſſum impedientia. Quid mirum, ſi vis multiplicata fortior agat?

§. 18.

Ad objectionem reſpondetur.

Quodſi objicias, qui tamen fiat, ut radii pauciores aërem magis calefaciant, quam plures, facilis eſt reſponſio. Ut enim alia taceamus, quæ uberiorem deductionem poſtulant, ex ſuperioribus (§. 12.) conſtat, quod aër conceptum ſemel calorem non ſtatim deperdat, & hinc minore vi ad majorem caloris gradum perducatur, ſi jam aliquo gaudet; quam majore, ſi nullum, aut certe inferiorem obtinet. Ipſe igitur calor per incrementa ſua incrementis ſuis obeſt.

§. 19.

Venti quomodo ad frigus concurrant.

Impediunt (3) actionem Solis ventorum impetus: quod adeo manifeſtum eſt, ut ad fugandum calorem ventus artificialis excitari ſoleat. Accuratius vero inquirendum, cur ventus calefactioni obſiſtat. Repetimus adeo ex Phyſicis, ventum eſſe motum aëris, nec ſemper eundem aërem eodem in loco permanere, ſed alium inſtar aquæ currentis a nobis aliorſum, alium aliunde ad nos deferri. Quodſi contingat, moleculas atmoſphæricas minus calefactas iis, quæ abiguntur, ad nos advehi &, ubi aliquantum caloris acquiſiverunt, iterum avehi, aliis frigidioribus in earundem locum ſuccedentibus; minor omnino *per §. 12.* effectus radiorum ſolarium eſſe debet, quam alias foret, ſi hoc obſtaculum non adeſſet. Haud difficulter autem definiuntur caſus, in quibus aërem & exhalationes frigidiores advehere debet. Nimirum α) id contingit, ſi ſuper montes prælatos & terram glacie atque nivibus tectam feratur; unde hiemali tempore *Subſolanus* (☉.) & *Boreas* (♑.) frigus augent, præſertim ubi multas glacieculas ſecum vehunt: β) ſi ex plaga ſpi-

ret, ubi Sol nunquam fit verticalis, *vi* §. *10*; unde & ipſa æſtate ventus ſeptentrionalis frigidus eſſe ſolet. Notandum tamen, hos ipſos quoque ventos varios habere frigoris gradus, prout nimirum iis in locis, quorum aërem ad nos pellit, major vel minor extitit calor; actionibus Solis ibi magis vel minus aut adjutis, aut perturbatis. Forſan autem venti non modo calorem impediunt & frigus adeo augent, quatenus materiam calefactioni minus aptam continuo advehunt, ſed etiam quatenus ipſimet calorem diſſipant. Etenim calor in determinato quodam molecularum motu conſiſtit. Ventus vero ſimiliter eſt quidam machinularum aërearum motus. Quodſi itaque contingat, ut motus integrarum machinularum motui partiali quarundam molecularum, ex quibus iſtæ conſtant contrarius ſit; ceſſabit motus colorificus, aër frigefiet. Aſt num talis motuum contrarietas in aëre poſſibilis ſit, certo affirmari nequeo; ſed ulteriori Phyſicorum diſcuſſioni relinquo. Suſpicio inde augetur, quod aër in hypocauſto calefacto refrigeretur per artificialem venti excitationem: quorſum ſpectat machina a *Bæcklero* in Theatro machinarum f. 83. repræſentata. Quemadmodum vero in hoc opere plures occurrunt machinæ, quæ prorſus impoſſibiles; plures adhuc, quæ a perfectione ſua, ad quam jamdudum evectæ ſunt, plurimum abſunt; ita quoque multo commodior machinæ refrigeratoriæ ſtructura excogitari poterat. Denique ventus impetuoſi eo ipſo quoque productioni caloris obeſſe videntur, quod moleculas feriendas radiis ſubducunt, ut aut plane non, aut certe minus valido ictu percutiantur.

§. 20.

Cauſæ hiemis enumerantur.

Ex hactenus dictis apparet, quænam ad frigus hibernum producendum concurrere poſſint. Nimirum ex parte Solis requiritur ingens a vertice diſtantia & exigua ſupra Horizonte mora *per* §. *9. & 11*; ex parte Telluris vero atmoſphæra exhalationibus plena & nubibus gravida, *per* §. *16.* & *17*, ventique orientales & ſeptentrionales, præſertim impetuoſi, *per* §. *19.* requiruntur. Omnium autem maxime neceſſarium, ut actiones Solis & diu, & tum inprimis impediantur, quando cauſæ frigoris concurrunt.

§. 21.

§. 21.

Ratio motuum irregularium in barometro redditur.

Antequam vero ex his de hieme noſtra rationem reddamus; monemus, quod inſignis Mercurii depreſſio, quæ *in §. 2. ſect. 1.* nonnunquam cum vehemente frigore conjuncta fuit, aëris levitatem inſignem indicet. Supponimus nimirum dudum evictum eſſe, Mercurium in tubo *Torricelliano* a pondere atmoſphærico ſuſtentari. Et quamvis ſubinde reperiantur, qui variationem altitudinis Mercurii in prædicto tubo mutationibus potius elateris, quam gravitatis adſcribendam judicant: illi ipſi tamen ſine ratione diſſentiunt: neque enim perpendunt elaterem ſemper æqualem eſſe ponderi incumbenti, adeoque impoſſibile eſſe ut elater augeatur pondere, quod incumbit, imminuto, *per prop. 5. noſtrorum Elem. Aërometr.* Conſtat vero aërem condenſari, *per cor. 2. exper. 11. Elem. cit.* Aër vero condenſatus plus maſſæ ſub eodem volumine continet quam rarefactus, *per def. 16. & 17. Elem. cit.* adeoque gravior exiſtit; *per Cor. 7. prop. 24. lib. 2. Princip. Philoſ. Natur. Newtonianorum*: Mercurius itaque in barometro frigore invaleſcente aſcendere debebat. Contrarium tamen experientia docuit. Quænam igitur hujus rei ratio? Scilicet cœlum tunc temporis fuit adeo nubilum, ut ne facies quidem Solis tranſparuerit, & atmoſphæra exhalationibus adeo imprægnata, ut ne motum quidem nubium advertere licuerit. Radii igitur ſolares copioſi a vaporibus cœlum verſus reflexi aërem ſuperiorem rarefecerunt, *per cor. 1. exp. 1. Elem. cit.* adeoque eundem leviorem reddidere, *per def. citt & cor. 7. prop. Newton. cit.* Prævaluit itaque elater aëris inferioris adverſus frigoris actionem, ut conſueta ratione condenſari non potuerit *per prop. 6. & ax. 7. Elem. cit.* Cæterum in dubio relinquimus, an aliæ cauſæ ad levitatem aëris ſuperioris una concurrerint. Quamvis enim aliæ nobis non ſuccurrant; quoniam tamen quantitatem effectus a noſtra pendentis hactenus metiri non detur, nec aſſerere licet, quod ea ſola fuerit. Ecce tibi cauſam incertitudinis hypotheſium phyſicarum, in Præfatione ad Elementa ſæpius citata a nobis indicatam, exemplo illuſtratam.

§. 22.

§ 22

Ratio periodi primæ hiemis.

Quæ ad frigus intenſum producendum in §. 20. requiſivimus, in ſingulis hiemis noſtræ periodis ſuperius deſcriptis deprehendimus: & ultima inprimis circumſtantia in illis occurrit, in quibus frigus maxime ſæviit. Notum eſt, per æſtatem A. 1708. fere omnem cœlum fuiſſe nubilum & ventos regnaſſe plerumque occidentales ſæpius & boreales: unde & maxima ejus pars autumno ſimilior, quam æſtati extitit, atque juxta noſtram theoriam exiſtere debebat. Terra igitur parum calefacta calorem ſuum citius expirare frigorisque effectus admittere poterat, quam alias per experimenta *Mariotti* in Tentamine phyſico tertio de calore & frigore fieri ſolet. Quare cum *per §. 15. ſect. 1.* imbrem pluviæ aliquot dierum ſubſequerentur, non modo tellus exiguo ſuo calore notabiliter privari, ſed & atmoſphæra multum refrigerari debebat, ventis præſertim impetuoſis accedentibus. Quoniam vero tunc temporis ventus inferior ex plaga ſeptentrionali aerem frigidiorem ſtatim advehebat, tum quia verſus Polos obliqui jam nimis radii Solis exiguo tempore ſupra Horizonte commorantis aërem ibi locorum parum calefacerant, tum quia forſan & ibi cœlum nubilum calefactionem impedierat ventorumque furor aërem calore adhuc reſiduo magna ex parte privaverat; non mirum, quod jam menſe Octobri tale frigus notatum fuerit, quale alias multo tardius ingruere ſolet. Intenſum frigus d. 19. Octob. a meridie d. 20. omnino remitti debebat ob ventum occidentalem pluviasque ſubſecutas. Interim tamen cœli inconſtantia d. 21, 22. & 23. actionem Solis non parum impediebant, cumque d. 27. omnia alta nive tecta cernerentur, ventus ſeptentrionalis aërem & terram nunc magis quam antea caloris expertem offendens inſolito frigori cauſam præbere debebat.

§. 23.

Ratio periodorum reliquarum.

Eodem modo theoria noſtra convenit periodis reliquis. Neque vero neceſſarium arbitramur, ut conſenſus cum reliquis eadem ratione oſtendatur, qua eundem cum prima in §. præc. evicimus. Conferat enim (cui aſſerti noſtri veritatem intueri libuerit) §§. 16, 18, 20. & 21. ſect. 1. cum §. 20. cap. præſ. & rem ita ſe habere non

non amplius diffitebitur. De ſingularibus tamen phænomenis, quæ hinc inde in hiſtoria annotata ſunt, quædam nobis dicenda ſunt.

§. 24.

Ratio frigoris extraordinarii.

Frigus extraordinarium cum menſe Januario fere cœpit. Erat vero tum maxima Solis a vertice diſtantia & exigua ejus ſupra Horizonte mora, quod nemini dubium. Pauculum caloris quod in Tellure & atmoſphæra a *Zephyro* (W.) *Noto* (S.) & *Euronoto* (S. O.) atque exigua Solis per ſpiſſas nubes & aerem exhalationibus plenam actione ſupereſſe poterat, ventus ſuo impetu d. 4. Jan. maxima ex parte extinxerat. Quare cum d. 5. Jan. *Arctapeliotes* (N. O.) aërem frigidiorem adveheret atque agitatione vehementi magis adhuc refrigeraret; ſubita, quæ veſperi contigit, tempeſtatis mutatio a memoratis circumſtantiis non abludit. Cœlum interdiu fere ſemper nubilum viſum, & aër quoque inferior exhalationibus craſſioribus adeo inſpiſſatus, ut per eum motum nubium diſcernere non daretur. Ventus inferior erat *Apeliotes* (O.) & *Arctapeliotes* (N. O.), ſuperior tamen dubio procul licet non ſemper, attamen ſubinde *Zephyrus* (W.) aut aliquis ab hac plaga parum in *Auſtrum* (S.) declinans, id quod ex nimia levitate aëris conjicimus, quæ cum ventis borealibus conjungi haud ſuevit. Quemadmodum vero conjunctas hic reperias omnes circumſtantias, quæ ad intenſitatem frigoris *per* §. *20.* concurrere debent: ita quoque notandum eſt, ipſam aëris levitatem *per* §. *23. ſect. 1.* cum maximo frigore conjunctam obſervavimus, frigori intendendo inſerviiſſe. Etenim cum aër rarior pauciores moleculas ſub eodem volumine contineat quam denſior; radii per ejus volumen transmiſſi paucioribus quoque eum motum imprimere valent, qui ad caloris naturam conſtituendam requiritur. Minus igitur calefieri debet quam denſior. Hinc & aër ſuperior non ſolum ideo frigidior inferiore deprehenditur, quod radii a terra reflexi minorem ibi denſitatem habeant; ſed & quod raritas actioni radiorum ſolarium obſtet.

§. 25.

Cur frigus d. 22. Jan. intolerabilius quam d 12.

Utut autem levitas aëris frigoris productionem adjuvet; idem tamen etiam minus ſentiri facit. Etenim quo corpora denſiora, eo

frigus eorundem magis ſentitur, propterea quod plures moleculæ corpus contingunt. Probo experimento ex obſervationibus noſtris deprompto. Cum *per* §. *3. ſect. 1.* thermoſcopium minus impreſſionem aëris externi nulla aſperitate ſenſui moleſti ſufficienter recepiſſet aquæ ex fonte vivo recenter hauſtæ & intra vitrum quod per plures dies ad feneſtram collocatum fuerat, ubi orbes evulſi erant vitrei, contentæ immitttebatur. Sed ecce tibi liquorem, globo vix immiſſo, per 5 ſcalæ ſuæ gradus aſcendentem, cum tamen digitus ultra bihorium jam libero aëri expoſitus nullam inde incommoditatem ſentiret, at infra aquam demerſus moleſtiam ſtatim perciperet. Atque jam conſtat, cur d. 22. Jan. frigus intolerabilius fuerit, quam d. 12, utut per obſervationes thermoſcopicas longe intenſius hoc quam illo die fuerit *vi* §. *23. ſect. 1.* Etenim d. 12. inſolita erat aëris levitas, conſequenter & raritas, *per* §. *21;* aſt d. 22. conveniens tali frigori gravitas, conſequenter & denſitas, *per* §. *cit.* Conſentientem habemus virum plurimum Reverendum Dn. *Teuberum* in notula obſervationibus *Cizenſibus* adjecta.

§. 26.

Cur frigus d. 24. Jan. faciem læſerit.

Nec obſcura eſt ratio, cur d. 24. Jan. aër faciem adeo læſerit, ut dolor per aliquod temporis ſpatium ſuperfuerit. Nam *vi* §. *18. ſect. 1.* aërem illo die lamellæ glaciales cuſpidatæ opplebant, quæ cum impetu adverſus faciem latæ tenues ejus fibrillas fortiter pungebant & forte ſcindebant.

§. 27.

Ratio phænomeni ſingularis periodi tertiæ.

Quod circa finem periodi tertiæ parietes & januæ ædium, feneſtræ item conclavium non calefactorum materia quadam pruinoſa obductæ fuerint, rationem hanc habeto. Extraordinario periodi hujus frigore omnes quoque parietes admodum frigefacti, itemque aër in conclavibus non calefactis contentus una cum feneſtris & januis eorundem. In fine *Favonius* (♋) plurimos vapores aëremque calidiorem advehebat: unde & inclementia aëris ceſſebat, ipſe humidus admodum evadebat inprimis cum etiam vapores conglaciati aërem inferiorem opplentes reſolverentur. Aër calidior ad corpora frigidiora appellens condenſabatur, quamobrem vapores excluſi

excluſi ſuperficiebus eorundem aſperis adhærebant & frigore eorum concreſcebant. Dum vero aër ad parietes condenſabatur, lamellæ quoque glaciales nondum in vapores reſolutæ excludebantur & una cum his corporum ſuperficiebus adhærebant in interioribus præſertim ædium locis, per quæ aër externus non usque adeo libere circulari poterat.

§. 28.

Ratio phænomeni ſingularis periodi ultimæ.

In ultima periodo attentionem meretur phænomenon de glacie feneſtrarum occluſarum in aquas reſoluta & de his aquis in apertis ſtatim iterum congelatis. Scilicet radii Solis per vitrum refracti denſiores evadunt, cum orbes vitrei non ſint perfecte plani, ſed hinc inde in ſphæricam ſuperficiem protuberent. Unde notiſſimum eſt, radios Solis per vitreos feneſtrarum orbes tranſeuntes fortius calefacere, quam per feneſtram apertam in conclave incidentes, ſæpiusque radios ſit refractos in focum coire & corpora facile combuſtibilia adurere novimus. Præterea aër conclavis non ambit glaciem ubi radii eandem feriunt, & vitrum ipſum quoque ab actione radiorum ſolarium caloris quendam gradum concipit. Aſt ubi feneſtra aperitur, radii ſolares ad humorem orbibus adhærentem per nudum aerem pertingunt, & in noſtro præſertim caſu ventus borealis aërem frigidiorem advehebat. Quoniam adeo feneſtra occluſa vis radiorum ſolarium intendebatur, aperta vero imminuebatur: quid mirum, quod vis major & minor tales produxerint effectus, qui ſi rem accurate conſideres, nonniſi gradu differebant: ſummum enim frigus eſt minimus caloris gradus, ut egregie oſtendit *Mariotte* in Tentamine ſuperius laudato?

§. 29.

Cur liquor in thermoſcopio ab ortu Solis deſcendat.

Cæterum nulli dubitamus, liquorem ab ortu Solis ideo in thermoſcopio deſcendiſſe, quod is aërem ſuperiorem rarefecerit, ut vapores frigidiores delapſi frigus inferioris auxerint, donec radii Solis altioris eundem fortius calefacerent atque illum ad aſcenſum rurſus cogerent. Apparet enim ex obſervationibus noſtris hunc deſcenſum vaporum in oculos ſæpius incurriſſe. Ita d. 31. Jan. a gradu 46 ad 49½ liquor deſcendebat, cum nebula guttatim deſtillaret;

quamprimum vero disparuerat, rursus ascendebat. Similiter cum d. 1. Febr. nebula oriretur, liquor a gradu 54. ad 55. delabebatur; quamprimum vero Sol eandem dissipaverat, extemplo superiores gradus repetebat. Et cum d. 7. Febr. circa h. 9. nix decideret, liquor subsidebat intervallo unius gradus, circa 10. vero jam rursus altius enitebatur.

§. 30.

Cur thermoscopia non satis fideliter frigoris gradus exhibeant.

Sed magis abscondita esse videtur ratio ejus irregularitatis, quam §. 3. *sect. 1.* commemoravimus. Nobis meditantibus sequentia occurrerunt. Variis experimentis edocti sumus, dum fluida condensantur, aërem intus latentem multum expelli, pro ratione frigoris & densitatis fluidorum. Nullum itaque est dubium, quin idem spiritui vini in thermoscopio condensato acciderit. Quare certum est, ex ejus substantia frigore sæviente aëris multum in vacuam tubi partem prorupisse. Cum itaque rursus rarefieret, ascensui aer resistebat. Unde non mirum, quod ad inferiores gradus hærebat, quam calor aëris externi ferebat. Quoniam tamen per experimentum *Mariotti* in Tentam. Phys. sec. de natura aëris p. 97. & seqq. relatum, certa aëris portio cum quovis fluido commiscetur & si expulsum quid ejus fuerit, denuo ab eodem absorbetur; aer quoque tubo contentus cum spiritu vini rursus misceri atque sic resistentia tolli debebat.

§. 31.

Ratio effectuum hiemis in fluidis observatorum.

Denique hiemis hujus effectuum rationis nobis reddendæ sunt. Quoniam vero effectus sunt causis suis adæquatis proportionales; hiemis quoque nostræ effectus solito majores esse debuerunt, quoniam frigus solito majus extitit. Unde explicatione non indiget, cur *vi* §. *24. sem. 1.* talia humida concreverint, quæ ad minus frigus alias extra congelationis periculum constituuntur & cur glacies in fluminibus solito spissior hac hieme deprehensa fuerit. Quod vero thermæ *Carolinæ* fervidiores fuisse ferantur hac hieme, quam aliis; Sensuum præjudicio tribuendum. Novimus enim, frigus esse meram caloris privationem. Privatio igitur caloris in corpore contiguo alteri gradum caloris superaddere nequit. Præterea experientia

perientia ſatis conſtat calida ſenſui videri, quæ manu calidiora exiſtunt. Ita e. gr. communis eſt perſuaſio, quæ ipſi *Verulamio* in Sylva Sylvarum cent. 9. §. 885. f. m. 943. impoſuit, cum caloris differentes gradus ante inventa thermoſcopia nondum accurate dignoſcere daretur; aërem in cavernis hieme magis calere, quam æſtate: contrarium tamen longa obſervatione didicit *Mariotte*. vid. ipſius Tentam. Phyſ. de calore & frigore ſupra laudatum pag. 38. & ſeqq. Et cum præſente hieme fons ille in Sileſia glacie obductus fuerit, qui alias calidior hieme, quam æſtate fertur; hoc ipſo ſenſuum præjudicium manifeſte refellitur.

§. 32.

Ratio effectuum hiemis in animalibus, hominibus & plantis notatorum.

Poſtquam Anatomia a recentioribus ita excoli cœpit, ut, quæ propter exilitatem ſuam oculorum aciem effugiunt, per microſcopia conſpicua reddantur; nemo nunc Philoſophus, niſi vel Anatomicorum inventa & Mathematicorum Mechanicam ignoret, vel ſonis ſine mente præpeditus fuerit, verba a rebus diſcernere neſcius ob defectum notitiæ verioris Logicæ & Grammaticæ generalis ſeu Philoſophicæ, diffitebitur corpus animale quodcunque, ipſum etiam humanum, ex innumeris tubulis contextum eſſe, per quos diverſa fluida continuo circulantur, & tamdiu corpus eſſe ſanum, quamdiu tubuli ſunt integri & fluidorum circulatio nulla ratione impeditur, prorſus autem vita privari, ſi circulatio iſta prorſus ceſſet. Fluiditatem corporum a calore pendere, per tot experimenta Phyſicorum & tot experientias vulgi adeo manifeſtum eſt, ut Soli meridiano lucem afferre ſupervacaneum merito judicemus. Cum vero corpora aëri frigidiori expoſita frigefiant, h. e. calore ſuo priventur; quid mirum ſi intenſum frigus etiam ſanguini aliisque fluidis in corpore animali circulantibus tantum caloris adimat, ut, quod relinquitur ad fluiditatem eorum, quæ tubulos ſupradictos replent, conſervandum non ſufficiat vel in aliquibus ſaltem vaſculis minimis, vel etiam in majoribus. Immo maximis. Unde non mirum, ſi vel alicubi fluidorum ſtagnatio fiat, vel cum præſentiſſima morte circulatio tota eſſet. Notum vero præterea fluida ob aërem elaſticum per ea diſperſum dilatari, dum concreſcunt, ea quidem vi, quæ non ſolum vaſis vitreis & æneis, ſed craſſis etiam

ſclopetorum ductibus diffringendis ſufficit, quemadmodum non modo *Hugenius* coram Academia Regia Scientiarum Pariſina oſtendit, referente *Johanne Baptiſta du Hamel*, in Philoſ. Vet. & Nov. Tom. 4. Phyſ. Part. 1. Tract. 3. diſſ. 2. c. 4. p. 4. 287. ſed Gedani expertus eſt Medicus præclari nominis, *Iſaraël Conradus*. Vid. ipſius Diſſertatio Medico-Phyſica de frigoris natura & effectibus, quæ ingentem experimentorum farraginem complexa typis & ſumptibus Monaſterii Olivienſis Anno 1677. in 12. prodiit, cap. 6. p. 101. Quodſi igitur tubuli in aliqua corporis animalis parte frigoris vehementia diffringantur & cor tamen per arterias ſanguinem continuo eo propellat, quin ibi tumor oriatur & (niſi medela in tempore adhibeatur) ſanguis extravaſatus putreſcat, tandemque gangræna partem quoque ſinceram trahat, mirum haud quaquam videri debet. Poſtquam *Marcellus Malpighius* & *Nehemias Grevv* in egregiis de Anatomia Plantarum operibus aliique ipſorum veſtigia ſecuti clariſſime monſtrarunt, arbores quoque & plantas ex meris tubulis componi, per quos circulari ſuccum nutritium variis experimentis evidentiſſime comprobarunt *Mariotte* in Tentamine Phyſico de Vegetatione Plantarum p. 63. & ſeqq. & *Perrault* in peculiari Tentamine de circulatione ſucci nutritii Plantarum, quod Tomo primo Tentaminum Phyſicorum ab ipſo editorum inſertum; non obſcurum eſt, quæ de frigoris in corpora animalia vi dicta ſunt, arboribus etiam & plantis applicari poſſe: de quo tanto minus dubitari fas eſt, cum obſervationes microſcopicæ ſupra relatæ (§. 25. *ſect. 1.*) theoriam confirment. Cæterum cum extraordinarium hiemis noſtræ frigus nonniſi iis nocere potuerit, qui ejus furori ſe ſubmiſerunt; nulla quoque apparet ratio, cur ægrotis ſingularia ſymptomata accidere, vel etiam morbi peculiares graſſari debuerint.

§. 33.

Ratio tempeſtatis inſolitæ menſis Maji.

Denique utut Sol menſe Majo ad verticem jam propius accederet atque longiore temporis intervallo ſupra Horizonte commoraretur; ejus tamen actio *vi* §. *27. ſect. 1. &* §. *20, ſect. præf.* multum impediebatur, atque hinc atmoſphæra parum calefieri poterat. Cum adeo circa menſem medium in regionibus borealibus nix & glacies atteſtantibus novellis publicis ſolveretur & *Olympius* (R. B.)

inde

inde vapores frigidos copioſe adveheret, qui in aura frigidiore concreti in nivem abibant; ea omnino oriri debebat tempeſtas, quam ſupra deſcripſimus. Quoniam vero iſtiusmodi aëris ſtatus turbulentus ordinarie menſe Aprili obſervatur, poſtquam jam menſe Martio aër multo mitior ſæpiſſime deprehenſus, non vana nobis ſuſpicio eſt, eundem ſemper cum regelatione in terris ſeptentrionalibus facta conjungi ejusque cauſam immediatam in ventos boreales conjiciendam eſſe: quod num ita ſe habeat, obſervationes per annos ſubſecuturos plurimos inſtituendæ docebunt.

Num. VII.

Examen ſyſtematis ſolium dimidiatorum,

quod Præſide *Chriſtiano Wolfio*, Conſiliario Aulico Haſſiaco, & Mathematum ac Philoſophiæ Primario Profeſſore, Societatum Regiarum Britannicæ atque Boruſſicæ ſodali, in Acroaterio Philoſophico d. XXVIII. Aprilis a. o. r. M. DCCXXV. publice defendet *Joannes Thomas Schenckel* Zierenberga Haſſus.

Marburgi Cattorum, Typis Philippi Caſimiri Mülleri, Acad. Typogr. & Bibl.

Examen ſyſtematis ſolium dimidiatorum.

§. 1.

Fixæ variabiles quænam.

Inter admiranda cœli phænomena, quorum difficilis eſt explicatio, haud poſtremo loco collocari meretur alternans quarundam ſtellarum fixarum apparitio & diſparitio, quæ ſub *ſtellarum novarum* appellatione vulgo comprehenduntur; rectius *variabilium* nomine inſigniuntur.

§. 2.

Exempla illorum.

Eminet inter eas ſtella, quæ dicitur *Mira*, in collo Cygni, cujus hiſtoriolam conſcripſit *Johannes Hevelius* Tractatui de Mercurio & Venere in ſole viſis ſubiunctam; nec non altera in eodem collo cygni a *Bayero* littera χ notata, in qua obſervanda multum operæ poſuit *Godofredus Kirchius*, prout ex Miſcellaneis Berolinenſibus p. 208. & ſqq. apparet. Nec minus famoſa eſt, quæ ab *Iſmaële Bullialdo* & deinde a *Caſſino* atque *Maraldo* in ceto ſolerter obſervata: de qua legi merentur Commentarii Academiæ regiæ Scientiarum Pariſinæ Anno 1719. pag. 122. & ſeqq. editionis Batavæ.

§. 3.

Hypotheſis Bullialdi de ſtellis variabilibus.

Bullialdus, cujus magna penes Aſtronomos auctoritas, cum perpenderet, corpora mundi totalia eſſe partim lucida, veluti Solem & ſtellas fixas conſtantes, partim opaca, veluti planetas, atque utrumque genus motu vertiginis cieri, incidit in hypotheſin, quod ſtellæ fixæ variabiles conſtent ex hemiſphærio opaco & hemiſphærio lucido motuque vertiginis convolvantur: quæ *Syſtema ſolium dimidiatorum* appellari ſuevit, voce *Solis* in ſignificatu generali corpus mundi totale lucidum deſignante, propterea quod in eo Soli cum ſtellis fixis conſtantibus convenit. Non ſine applauſu exceptum eſt hoc Syſtema fateturque *Ricciolus*, e Societate Jeſu, egregiis in Scientiam meritis clarus, ſibi quoque idem occurriſſe, cum de alternantis apparitionis ac diſparitionis ſtellarum variabilium cauſa meditaretur.

§. 4.

Qua certitudine nitatur Syſtema ſolium dimidiatorum.

Quoniam corpora cum lucida, veluti Sol, tum opaca, veluti planetæ, motu vertiginis gaudent; nulla ratio diſſuadet, cur non & fixis variabilibus iſtiusmodi motus tribuatur. Quodſi dimidiatio Solis eadem firmitate niteretur, haud procul a certitudine abeſſet Syſtema. Enimvero cum illa tantum in gratiam phænomeni explicandi ſumatur, nec ulla ratione confirmetur; intra conjecturarum cancellos coarctatur, cum circumſtantiis ſingularibus phænomeni conferenda,

conferenda, ut appareat, utrum ad amuſſim iisdem congruat, an vero repugnet.

§. 5.

Qua methodo uſus Bullialdus in ſyſtemate iſto inveniendo.

Omni ævo, quo Aſtronomia exculta fuit, indefeſſa primum induſtria motuum cœleſtium phænomena Aſtronomi obſervarunt, mox hypotheſes condituri ea ſumſerunt, per quæ iſta intelligi poſſe videbantur, tandem ex hypotheſibus deduxerunt, quæ neceſſaria conſequentia inde inferri poterant, & cum obſervationibus magna accuratione repetitis contulerunt, ut bene ſumta confirmarentur, male conjectata emendarentur. Et ea quidem generalibus conjecturalis methodi inveniendi regulis conformia ſunt. *Iſmaël Bullialdus*, Aſtronomus præſtantiſſimus, in condendo Syſtemate ſolium dimidiatorum morem Aſtronomorum ſecutus, methodum conjecturalem adhibuit, poſterorum induſtriæ examine ipſius relicto. Anſam inprimis dederat Syſtemati ſtella variabilis in ceto, cujus ipſe periodum primus determinavit. Quamobrem cum nuperrime *Maraldus*, ſolertiſſimas cum proprias, tum magni illius Aſtronomi *Dominici Caſſini* obſervationes de hac ſtella loco ſupra (§. 2.) citato in publicum protulerit; agedum diſpiciamus, quomodo ſyſtema ſolium dimidiatorum iisdem reſpondeat.

§. 6.

Cur illud admiſerit.

Bullialdus, collatis obſervationibus ſuis trium vel quatuor annorum cum aliis antiquioribus, quantitatem periodi, intra quam a prima apparitione ad alteram redit, 333. dierum determinavit. Cum adeo perſuaſus eſſet, ſtellas variabiles intra determinatum tempus periodum ſuarum variationum abſolvere; quod motu vertiginis eædem ſalvari poſſint, ſi quidem ſoles dimidiati ſumantur, haud quaquam improbabile ipſi videbatur. Facile autem apparet, *Bullialdum* ſuppoſuiſſe periodi variabilitatis conſtantiam, cui paucorum annorum obſervationes non contradicebant. Cum enim primus eſſet, qui de periodo determinatæ longitudinis cogitaret, aliorum ea in re obſervationes non proderant ad ſtatuendum, num ſingulæ periodi ſint inter ſe æquales, an vero inæquales.

§. 7.

Quantum satisfaciat observationibus.

Solem dimidiatum motu vertiginis circumactum satisfacere phænomenis stellarum variabilium, si constans supponatur variabilitatis periodus & in ea constans apparitionis ac disparitionis tempus, nec non constans magnitudinis apparentis incrementum & decrementum, minime obscurum est. Quodsi enim portio lucida sit ad portionem opacam in ratione temporis apparitionis ad tempus occultationis & motus vertiginis æquabilis, tempora apparitionis & disparitionis stata erunt & luminis successiva incrementa atque decrementa æqualia, consequenter in singulis apparitionibus magnitudo apparens eadem ratione augetur, iterumque imminuitur: immo si motus vertiginis æquabilis, tempore dimidio apparitionis magnitudo apparens maxima erit. Ut igitur appareat, num systema cum observationibus congruat, quicquid eam in rem ab Observatoribus memoriæ proditum, nobis jam curatius perpendendum, & cum hisce, quæ ex systemate consequuntur, conferendum.

§. 8.

Num motus vertiginis quantitas difficultatem faceſſat.

Jam a nobis annotatum fuit (§. 6.) *Bullialdum* stellæ variabilis in ceto periodum variationis constituisse 333. dierum. Enimvero *Dominicus Cassini* Anno 1670. eandem determinavit nonnisi dierum 330. observationibus plurium annorum usus quam *Bullialdus*. Similiter *Kirchius* in Miscellaneis Berolinensibus loco citato (§. 1.) monstravit, stellam variabilem in collo cygni intervallo $404\frac{1}{2}$ dierum ad eandem phasin redire. Motus vertiginis Veneris atque Telluris nonnisi unius diei sive horarum 24. Martis $24\frac{2}{3}$. horarum & Jovis nonnisi 9. horarum & scrupulorum horariorum 56. Solis vero motus vertiginis, qui omnium nobis observabilium maximus, dierum 27. horarum 9. vel 10. Non igitur quantitas periodi variationis stellarum variabilium cum quantitate motus vertiginis satis convenit: videtur enim justo major. Et quoniam motus Telluris circa Solem est 365. dierum, horarum 5. minutorum 49. quantitas temporis, quo elapso stella variabilis ad eandem phasin redit, magis convenire videtur cum motu revolutionis. Neque dissimulandum, exstitisse

exſtitiſſe jam complures, quibus vel hoc nomine ſyſtema ſolium dimidiatorum ſuſpectum fuerit, quod motus vertiginis ſupponendus ſit ſine exemplo, tanta eidem tributa quantitate, quæ cum exemplo motui revolutionis tribueretur. Enimvero etſi ad ſpeciem componatur objectio, re tamen penitius perſpecta nulla cenſebitur. Etenim motus vertiginis Telluris eſt ad motum vertiginis ſolis ut 1. ad 27. vel propemodum ut 1. ad 28. motus vero vertiginis ſolis ad motum vertiginis ſtellæ variabilis ſeu ſolis dimidiati ex hypotheſi fere ut 1. ad 12. Cum igitur nil obſtet, quo minus motus vertiginis ſolis tanquam corporis lucidi ſit ad motum vertiginis Telluris tanquam corporis opaci, ut 27. ad 1; cur abſonum videri debet, ſi ſtellæ variabilis naturam utriusque corporis participantis motus vertiginis ſit in ratione ut 12. ad 1. ad motum vertiginis Solis. Naturæ nempe rerum conſonum eſt, ut corporum totalium diverſi generis motus vertiginis non exiguo exceſſu ſe invicem ſuperent. Nec hoc ſcrupulos movere debet, quod periodus variationis ſtellarum variabilium magis conveniat cum motu revolutionis, quam cum motu vertiginis, poſtquam *Caſſinus* invenit, lunam moveri motu vertiginis motui revolutionis æquali, nec a natura rerum abhorret, quod motus vertiginis quantitate conveniat cum motu revolutionis. Quamobrem ſi hypotheſis ſolium dimidiatorum non aliis premeretur difficultatibus, quam quas a quantitate motus vertiginis arceſſunt nonnulli, rationes ſufficientes non adeſſent ad eam rejiciendam.

§. 9.

Num irregularitas periodi motui vertiginis contraria.

Motus vertiginis in noſtro ſyſtemate planetario hactenus deprehenſus fuit uniformis, nec obſervata ſunt ab Aſtronomis, quæ difformitatem ſuadent. Motum vertiginis Telluris noſtræ eſſe uniformem, tota Aſtronomia loquitur. Cum enim is ſit menſura omnium motuum cœleſtium, ſi ſingulæ revolutiones diurnæ non eſſent ejusdem quantitatis, irregularitates inde in omnes motus cœleſtes redundarent, quales tamen hactenus obſervatæ ſunt nullæ. In motu vertiginis Solis tot repetitis obſervationibus ſtabilito nihil irregularitatis animadverſum: quam enim primi obſervatores *Fabricius*, *Scheinerus*, *Galilæus* determinarunt quantitatem, hodiernæ

obſervationes abunde confirmant, non alio intercedente diſcrimine, quam quod in caſibus aliis ex rationibus Aſtrorum peritis non ignotis occurrere ſolet. Cum Anno 1719. Mars in oppoſitione cum Sole Telluri propior eſſet, quam in ceteris, quæ intervallo integri ſeculi acciderunt, & *Maraldus* arte obſervandi excellens in maculas attenta mente oculos defigeret, motum vertiginis hujus planetæ eundem reperit, qualem in prima determinatione conſtituit *Dominicus Caſſini*, horarum nempe $24\frac{2}{3}$. Videantur Commentarii Academiæ Regiæ Scientiarum Annum 1720. p. 146. edit. Pariſ. Periodus ſtellæ variabilis in balæna ab eodem *Caſſino* Anno 1670. determinata (§. 8.) omnibus obſervationibus ab Anno 1596. (quo prima fuit celebrata) usque ad Anno 1687. continuatis ſatisfacit: id quod cum uniformitatem motus vertiginis fulciat, Syſtema Solium dimidiatorum robur hinc acquirere videbatur. Enimvero ipſe *Caſſinus*, cum obſervationes *Maraldi* annorum 1697. & 1698. cum periodo ſua conferret, eam non amplius ſatisfacere didicit, quoniam ab Anno 1687. usque ad An. 1697. decennii intervallo, retardatio ad menſem integrum cum dimidio excreverat. Immo retardatio iſta annis ſubſequentibus continuo crevit, ita ut Anno 1698. duorum menſium intervallum cum una parte tertia excederet, Anno 1699. & 1701. tres propemodum menſes adæquaret, & Anno 1710. ultra quatuor menſes excreſceret, immo anno ſequente usque ad menſes quatuor cum dimidio extenderetur. Nimirum ſtante periodo *Caſſiniana* ſtella variabilis d. 8 Julii ad maximam phaſin redire debebat, quæ per obſervationes *Maraldi* d. 17. Novembris demum determinata. Etſi autem hac ratione longitudo periodi continua ceperit incrementa; *Maraldus* tamen Anno 1719. eandem iterum decreviſſe didicit, cum retardatio periodi *Caſſinianæ* nonniſi quatuor menſium eſſet, quæ novennio ante jam erat menſium quatuor atque dimidii: etenim phaſis maxima, quam periodus *Caſſiniana* referebat ad d. 9. Sept. Anno 1718. de 10. Jan. 1719. obſervata fuit. Intervallo igitur nonaginta annorum & amplius periodus ſtellæ fuit uniformis: poſtea intervallo 23. annorum maximas paſſa eſt inæqualitates, facta continuo longior: nunc vero iterum fit brevior per decrementa tendens ad quantitatem priorem. Quoniam itaque negari haud quaquam poteſt, iſtiusmodi irregularitates in

motu

motu vertiginis esse sine exemplo; quin probabilitati Systematis solium dimidiatorum plurimum obsit, vix dubitari potest. Etsi enim hinc minime sequatur motus vertiginis impossibilitas, propterea quod demonstrari non possit, istiusmodi irregularitates eidem prorsus repugnare; ægre tamen admittitur motus vertiginis tot ac tantis irregularitatibus implicitus sine exemplo, ubi in gratiam tantum phænomeni explicandi sumitur. Ceterum non sola hæc stella variabilis exorbitantibus istiusmodi inæqualitatibus obnoxia est: verum & *Hevelius* de stella *Mira* in collo cygni jam annotavit, reditum ejus ad eandem phasin tantis inæqualitatibus implicari, ut de periodo determinanda desperaverit.

§. 10.

Num variabilitas apparentis magnitudinis adversetur.

In Systemate solium dimidiatorum stella eandem constanter habet a terra distantiam, quoniam nonnisi motu vertiginis gaudet, quo locus non mutatur. Quamobrem cum mutationes physicæ in corporibus totalibus ex eo præsertim, quo fixæ distant, intervallo observabiles in eorum censum minime referendæ, quæ intra unam alteramve periodum accidere possunt, consequenter ratio partis lucidæ ad opacam constans esse debeat: in phasi maxima eadem constanter erit magnitudo apparens. Enimvero hæc experientiæ conformia non sunt. Etenim *Maraldus*, qui omnes hujus stellæ mutationes magna assiduitate observavit notabiles advertit in diversis apparitionibus differentias quoad magnitudinem apparentem. Subinde stellis secundi honoris accessit, immo splendore suo eas tantum non vicit: alio autem tempore vix ad honorem quartum pervenit, communiter splendorem fixarum tertii honoris æmulata. Non invitis Astronomis sumitur, fixas variabiles esse soli æquales. Quoniam itaque ob immensam fixarum a terra distantiam magnitudines apparentes sunt ut veræ; pars lucida enormes prorsus magnitudinis pateretur mutationes. Immo si vel maxime luminis potius, quam molis haberetur ratio; non tamen mutationes minoris momenti supponendæ sunt, ut tantæ emergant luminis differentiæ. Equidem *Maraldus* systema solium dimidiatorum ad majorem perfectionis gradum perducturus physicam mutationem partis lucidæ admittit: enimvero nostrum est inquirere, quam probabilitatis speciem habeat.

Contendit nimirum materiam lucidam, vi cujus in conſpectum prodit ſtella variabilis, eſſe fluidam & motibus irregularibus obnoxiam nunc majus in ſuperficie globi occupare ſpatium, nunc minus. Quando enim per majus ſpatium diffunditur, ſtella major apparebit, dum integram partem lucidam nobis obvertit. Quando vero ad minus ſpatium illa redigitur, eadem minor videbitur, parte lucida integra nobis adhuc obverſa. Et quoniam motus materiæ lucidæ ſunt irregulares ad nullam datam legem adſtrictæ, variatio quoque magnitudinis apparentis omnem reſpuit ordinem. Non diffitemur, admiſſa hac acceſſione hypotheſin ſatisfacere variationibus magnitudinis apparentis, quantum nobis huc usque eædem ſunt perſpectæ: an vero iſta ſit admittenda, de eo merito dubitatur. Et ſane ipſe *Maraldus* non alio fine variabilitatem materiæ lucidæ proponit, quam ſub hac conditione, ſi per ſyſtema ſolium dimidiatorum variationi magnitudinis apparentis maximæ in diverſis apparitionibus ſatisfieri debet, atque ſic ſcopo ſuo ex aſſe potitus.

§. II.

Num tempus maximæ phaſeos motui vertiginis reſpondeat.

Quodſi motus vertiginis ſumatur æquabilis (§. 9.), & in ſole dimidiato conſtans partis lucidæ ad opacam ratio (§. 10.); maxima phaſis incidet in momentum dimidiæ apparitionis. Enimvero ſtellæ variabilis, cum qua nobis res eſt, phaſis maxima terminum hunc antevertit. A prima apparitione 15. vel 20. dies elabuntur, dum per ſucceſſiva incrementa ad maximam phaſin pervenit: contra inter phaſin maximam & tempus diſparitionis minimum 30. aut 40. dies intercedunt. Eſt adeo tempus ſtellæ creſcentis ad tempus decreſcentis in ratione ſubdupla. Immo probe notandum eſt, ſupereſſe hanc inæqualitatem, etiam computato tempore, quo per teleſcopium conſpicitur ſtella nudo oculo non obſervabilis. Etenim cum paucis tantummodo diebus ante apparitionem per teleſcopium detegi poſſit, longo ſatis temporis intervallo adhuc viſui armato obvia eſt, dum nudis oculis ſeſe ſubduxit. Equidem corpora mundi totalia cum lucida, tum opaca maculis ſubinde conſperguntur, ut minime abſonum videatur in parte quoque lucida ſolium dimidiatorum maculas nonnunquam exiſtere. Etſi autem exemplo ſatellitum Jovis conſtet, ob faciem maculoſam adeo minui eorundem magni-

magnitudinem apparentem, ut umbra in discum Jovis projecta ipsis satellitibus major appareat, quam iisdem longe minorem esse debere ex opticis principiis liquet; nihil tamen hinc præsidii est inæquali distantiæ phaseos maximæ ab utroque apparitionis termino. Maculæ sunt causa inconstans, quæ effectum constantem producere nequit. Sane si maculæ causarentur inæqualem distantiam phaseos maximæ ab utroque apparitionis termino, nulla apparet ratio, cur non perinde intervallum inter phasin maximam & primæ apparitionis momentum nonnunquam superare debeat intervallum inter illam & tempus disparitionis, quemadmodum a posteriori superari prius constans observatio est. Non jam urgemus sine exemplo admitti constantem macularum apparitionem ex tanto intervallo, quo distant fixæ, observabilium. Equidem *Maraldus* systema solium dimidiatorum perfecturus, donec phænomenis hactenus observatis respondeat, monuit, materiam lucidam, quæ stellam visibilem reddit concipi debere diversa ratione per hemisphærium lucidum diffusam, ita ut altera parte, quæ primum in conspectum prodit, majus occupet spatium versus polos, in altera autem, quæ postrema conspectui subducitur, minus versus polos, amplius vero in æquatore & parallelis vicinis: Enimvero ut taceamus, hanc diffusionem unice in gratiam hypotheseos sumi, ut difficultati obviam eamus, nec istiusmodi materiæ lucidæ diffusio satisfacit, nisi & ipsam mutabilem ponamus, quoniam inæqualitas distantiæ phaseos maximæ ab utroque apparitionis termino non semper eadem. Cui differentia inter corpora lucida & opaca totalia cognita & perspecta est, is in admittendis mutationibus materiæ lucidæ, qualis diffusionis inconstans diversitas requirit, haud adeo liberalis erit. Repetendum vero, quod supra jam (§. 10.) monuimus, *Maraldum* hæc unice proferre in gratiam hypotheseos, non quod ea sese ita habere persuasus sit, sed ut tanto rectius appareat, quousque hypothesis satisfaciat.

§. 12.

An temporum apparitionis inæqualitas motui vertiginis consona.

Quod si hemisphærii lucidi ad hemisphærium opacum constans fuerit ratio, & motus vertiginis æquabilis; tempus apparitionis constanter ejusdem erit quantitatis. Enimvero per observationes apparet,

apparet, ſtellam non in ſingulis periodis eodem temporis intervallo ſeſe conſpiciendam præbere. Sane *Maraldus*, qui obſervationes ab anno 1660. usque ad 1719. ſolertiſſimè inter ſe contulit, animadvertit ſtellam ſubinde integris quatuor menſibus cum dimidio, interdum nonniſi tribus menſibus apparere, atque adeo differentiam inter apparitionem, quæ maximi temporis intervalli, quo ſeſe conſpiciendam præbet ſtella, tertiam partem conſtituit. Quodſi ergo ſyſtemati ſolium dimidiatorum locus eſſe debeat, aut motus vertiginis inæquabilis admittendus, ita ut in diverſis periodis diverſa ratione acceleretur, vel retardetur, aut ratio portionis lucidæ ad opacam variabilis ſupponenda, aut utrique aliquid deferendum. Enimvero utrumque durum videbitur illis, qui in conjectando de rebus naturalibus non admittunt ſine exemplo, quod omni ratione alia deſtituitur. Vidimus autem jam ſupra (§. 9.), motum vertiginis in diverſis revolutionibus diverſa ratione acceleratum, vel retardatum eſſe ſine exemplo, conſtantiæ naturæ adverſum. Nec ingens adeo mutatio partis lucidæ, qualis pro ſalvanda inæqualitate temporis apparitionis ſupponenda, probabilitatis quandam ſpeciem habet (§. 10. 11.). Quamobrem *Maraldus* jam obſervavit, ſyſtema Solium dimidiatorum non poſſe habere locum, niſi materia lucida ponatur mobilis motusque ipſius admodum irregularis, ita ut nunc directionem motus vertiginis, nunc vero eidem contrariam ſequatur. Talia quidem in gratiam hypotheſeos facile ſupponuntur: ſed, cum in ſe ſpectata nulla probabili ratione nitantur, inter precaria fundamenta utique referenda, cum & ipſa hypotheſis, cujus ſalvandæ gratia ſumuntur, nulla probabili ratione nitatur. In veteri Aſtronomia, antequam *Copernicus* ſyſtema terræ motæ in eandem introduceret, & *Keplerus* veram planetarum orbitam cum legibus motuum cœleſtium detegeret, precaria ſuppoſita in gratiam hypotheſium facilius admittebantur, ut ſyſtema ſolium dimidiatorum non fuiſſet hypotheſis ſine exemplo, etſi determinationes ſpeciales accederent quas addidit *Maraldus*; enimvero noſtro ævo, quo a fictionibus in Aſtronomia ſumus alieni, ea hypotheſin magis infirmare quam confirmare cenſentur.

§. 13.

§. 13.

Syſtema Solium dimidiatorum rejicitur.

Quodſi itaque ſyſtema Solium dimidiatorum conſtantem rationem partis lucidæ ad opacam & motum vertiginis æquabilem atque inalterabilem non invitis obſervationibus admitteret, probabilitate omni non deſtitueretur, etſi dimidiatio Solis difficulter concipiatur juxta principia moderna, quod ſol ſit ignis formalis, corpora opaca vero totalia ſint telluri ſimilia. Enimvero cum periodi variationis inconſtantia ſeu diverſa quantitas (§. 10.), phaſeos maximæ ab utroque termino inæqualis diſtantia (§. 11.) & denique temporum apparitionis inæqualitas (§. 12.) cum ſyſtemate Solium dimidiatorum non conſiſtat, niſi irregularitates in motu vertiginis ſine exemplo & mutationes phyſicas ſubitas ex tanto, quo fixæ diſtant, intervallo obſervabiles admittas; nullam probabilitatis ſpeciem habet. Immo cum irregularitates, quibus motus vertiginis obnoxius eſſe debet, atque mutationes phyſicæ ad nullam certam legem attemperentur; omni quoque utilitate in Aſtronomia deſtituitur. Etenim hypotheſium aſtronomicarum is eſt uſus, ut phænomena in futurum prædici queant: ex ſyſtemate vero Solium dimidiatorum determinari non poteſt, quando ſtella variabilis, poſtquam diſparuit, denuo ſit apparitura, quo die a prima apparitione ad phaſin maximam ſit perventura, quanta in data quadam apparitione phaſis maxima ſit futura, quanto denique temporis intervallo ſit effulſura. Quoniam igitur Aſtronomi eſt phænomena corporum cœleſtium quæ a motu eorundem pendent, ita determinare, ut olim ventura prædicere queat; ſyſtema vero Solium dimidiatorum operam Aſtronomorum eludit, dum ex eo phænomena ſtellarum variabilium determinare conantur; nullus quoque in numero hypotheſium Aſtronomicarum eidem locus eſt. Immo deſideratur adhuc hypotheſis Aſtronomica de Stellis variabilibus, quæ ipſarum phænomenis determinandis utcunque ſufficiat. De ea vero cogitare non licet niſi illi, qui magna obſervationum copia inſtructus. Non igitur inutile fuiſſet, ſi *Maraldus*, qui ex plurimarum obſervationum collatione phænomena generalia ſtellæ variabilis in ceto collegit, *Bullialdi*, *Caſſini* atque domeſticas de eadem obſervationes cum publico communicaſſet.

Num. VIII.

Quod Deus bene vertat! ex Decreto & Auctoritate Venerandi Philoſophorum Ordinis in Inclyta Academia Marburgenſi ad Theſes Philoſophicas ſequentes, Præſide *Chriſtiano Wolfio*, Conſiliario Aulico Haſſiaco, Mathematum & Philoſophiæ Profeſſore Primario, Profeſſore Petropolitano Honorario, Societatum Regiarum Britannicæ atque Boruſſicæ Sodali, Promotore rite Deſignato, V. Magiſterii Philoſophici Competitores, eo ordine collocati, quo diſputarunt, pro ſupremo in Philoſophia Gradu conſequendo Magnifico & Ampliſſimo Senatui Academico publice in Auditorio ad Lanum Solenni reſpondebunt D. XIII. Aug. Hor. VIII. Anno MDCCXXVII.

Marburgi Cattorum, Typis Philippi Caſim. Mülleri, Acad. Typogr.

Joannes Daniel Chriſtophorus Jacobus Lyncker. S. R. I. Eques & Nobilis de Lutzenwick.

I.

Logica & Phyſica ſunt ſcientiæ proprie dictæ.

II.

Utraque eſt pura Speculativa.

III.

Principia Corporis naturalis in fieri & facto eſſe duo poſſunt.

IV.

Nempe materia & forma, ſine privatione.

V.

V.

Voluntas non potest facere ens rationis.

VI.

Datur tamen, & solus intellectus illud efficit.

Philippus Guilielmus Albertus Timotheus Lyncker.
S. R. I. Eques & Nobilis de Lützenwick.

I.

Scientia & opinio non possunt stare simul in eodem intellectu de eodem objecto.

II.

Habitus autem scientiæ & opinionis sunt compatibiles.

III.

Idem effectus non potest dependere a duabus causis totalibus.

IV.

Datur materia prima.

V.

Quæ etiam divinitus non potest existere sine omni forma.

VI.

Mundus non potuit esse ab æterno.

Joannes Henricus Vilmar;

Vitzenhusa Hassus.

I.

Optime definitur Philosophia per amorem Sapientiæ, vel notitiam rerum divinarum humanarumque, in quantum ductu rectæ rationis cognosci possunt.

II.

Rerum essentiæ non cognoscuntur, nisi ex attributis. Cum autem attributa non omnia nobis sint perspecta, mirum non est, nec essentias plene & adæquate a nobis cognosci.

III.

In Deo nulli dantur veri proprieque dicti affectus, qui Deo insunt per modum effectuum.

IV.

Potest quis vera loqui, & tamen mendacium committere.

V.

Mens immediate a Deo creatur, quando corpus perfectum, & quidem in *meris naturalibus*, ut bona vel mala fieri possit.

VI.

Graviter hallucinantur, qui summum bonum vel in *divitiis* bonisque hujus mundi, vel in *carnis voluptatibus*, vel in honoribus, vel in actione seu *virtutis exercitio*, vel in *animi tranquillitate*, & *voluptate ejus* quærunt. Quæ sententiæ omnes, utut veri aliquid contineant, parum tamen sufficientes sunt, & acceptione dignæ.

Adamus

Adamus Ixſtaat.
Mogovus.

I.

Logica recte diſtinguitur in docentem & utentem.

II.

Logica docens verſatur circa regulas, quibus intellectus utitur in inquirenda veritate.

III.

Vtens in applicatione harum regularum occupatur.

IV.

Logica probabilium pro objecto habet ea, quorum veritas ex iis, quæ de re cognoſcimus, non ſatis determinatur.

V.

Idem magis vel minus probabile, prout plura vel pauciora requiſita ad veritatem cognoſcuntur.

VI.

Uſus logices probabilium ampliſſimus eſt in omnibus negotiis vitæ humanæ & qui eam in ſcientiis negligunt, ſomnia ſæpius pro rei veritate venditant.

VII.

Metaphyſica conſiderat prædicata entis & mundi in genere, naturam animæ, entis perfectiſſimi exiſtentiam & attributa.

VIII.

Fruſtra ſcientiam quærit in aliis diſciplinis, qui ſolida Metaphyſicæ cognitione animum non imbuit.

IX.

Nullas in Metaphyſica notiones admittimus, niſi quarum realitatem in objectis ipſis deprehendimus, vel ex jam cognitis conſequentia legitima deducimus.

X.

Naturam animæ inveſtigaturus ad ea attendat, quæ indubia experientiæ fide conſtant.

XI.

Animæ vis tantum unica eſt, etſi plures ſint facultates.

XII.

Carteſii demonſtratio exiſtentiæ Dei ex notione Entis perfectiſſimi incompleta eſt.

XIII.

Errant qui naturam corporis naturalis ex notionibus Geometricis deducunt.

XIV.

Extenſum in abſtracto conſideratum non confundendum cum corpore phyſico.

XV.

Illius proprietates & relationes Geometra conſiderat.

XVI.

Planetas eſſe corpora terræ noſtræ ſimilia, ſtellas vero fixas totidem ſoles tanta probabilitate nititur, ut rite perpenſis rationibus veritatem hanc determinantibus aſſenſum ſuſpendere nequeamus.

XVII.

XVII.

Eadem probabilitate nititur quemvis planetarum ſuos habere incolas, docente Hugenio in Coſmotheoro.

XVIII.

Veritates phyſicæ & aſtronomicæ ſummo cum fructu adhibentur in Theologia ad illuſtranda attributa divina, exemplo Dn. Præſidis in Tractatu Germanico de finibus rerum naturalium & Derhami, Theologi ac Philoſophi Angli, in Theologia phyſica & aſtronomica.

XIX.

A ſocietate recedere non licet cum damno Sociorum.

XX.

Axiomata præcipua Statuum Europæ hodie ſunt Aequilibrium virium & commerciorum ſtabilimentum.

XXI.

Non abs re foret ſcientiam militarem & Oeconomiam in Academiis docere.

XXII.

Scholas publicas privatis præferimus.

Juſtus David Wagener,
Eſchwega Hallus.

I.

Theologia naturalis eximium licet tum in vita communi, tum in ſocietate civili, tum circa diſciplinas reliquas, tum denique circa revelationem externam, uſum præſtet, ad veram æternamque ſalutem tamen impetrandam inſufficiens eſt.

II.

II.

Falsum est illud Scholasticorum axioma: nil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.

III.

Dari ideam Dei innatam, tam certum est, ut, ea negata, omnis naturalis de Deo notitia labescere videatur.

IV.

Voluntatis natura est ferri in bonum, præcipue verum, & summum.

V.

Errant qui conscientiæ vim vel a mente ipsa ortam ajunt, vel melancholiæ, vel consuetudini, vel temperamento, vel infantiæ præjudicio, adscribunt; vel denique à Parentibus, Præceptoribus, aut Magistratibus, hoc sibi jugum impositum credunt. Deus est, qui hoc in hominibus tribunal erigit, cui insidens leges promulgat, iuxta quas actiones hominum examinat, eosque vel absolvit, vel condemnat.

VI.

Supereſſe penes Deum aliquod gratiæ consilium, rationi sibi relictæ valde probabile comparet. At qualenam illud sit, ignorat; neque mirum, cum res facti sit, quæ à libero Dei beneplacito pendet.

FINIS.

SECTIO III.

SCRIPTVRAS

WOLFIANAS

VARII ARGVMENTI CONTINENS VELVT

PROGRAMMATA
ORATIONES
EPISTOLAS
PRAEFATIONES

SACRO. MS.

SCRIPTURAS

VOLLANAS

ELOGRAMMATA

ORATIONES

EPISTOLAS

TRANSLATIONES

Num. I.

Christianus Wolfius, Mathematum Professor Publicus & Ordinarius, Studiosæ Juventuti in Academia Fridericiana lectiones publicas & privatas proxime inchoandas intimat. 1707.

Matheſis adhuc imperfecta, multa tamen incrementa noviora cepit. Analyſis aucta regulis æquationum & Arithmetica literali, applicatione ad geometriam; Analyſi Situs, Leibnitiana cum ſignis novioribus ejusdem.

Acceſſit Geometria ſublimior, calculus differentialis ejusque applicationes.

Quadraturæ curvarum. &c.

Augmenta Optices. Convexitatum, planetarum ellipſium, legum mechanicæ, Hydroſtaticæ, Architecturæ militaris, Trigonometriæ, phyſicæ.

Ulteriora: Arithmetica binaria, cum machina Leibnitiana

Geometriæ incrementa linearum.

Optices, theoria luminis, colorum, vitrorum.

Aſtronomica inventa, Horologia, Tubi, calculi noviores.

Architecturae civilis & militaris inventa.

Mechanices major peritia veterum, merita tamen modernorum.

Superveniens neglectus matheſeos in Academiis.

Profeſſio Matheſeos Autori demandata.

Methodus quam promittit, cum fructibus inde ſperandis.

Prælectiones futuræ diſciplinarum matheſeos.

Diſciplinas Mathematicas multa quidem adhuc laborare imperfectione, rerum Mathematicarum apprime periti non diffitentur: haud tamen eſt quisquam eorum, quin fateatur, intra unius ſeculi ambitum inſignia prorſus illas cepiſſe incrementa, nonniſi vaſto opere pro dignitate commemoranda & in Collegiis noſtris more nobis conſueto cum cura annotanda. Ne tamen rerum Mathematicarum parum gnaris aliquid gratis aſſeruiſſe videamur, circa aliquas tantum diſciplinas quædam eaque non in vulgus nota commemorare libet. Et primo quidem loco mirari convenit faſtigium, ad quod *Analyſis*, h. e. Ars inveniendi veritates Mathematicas (*Algebram* vulgo vocant) perducta. Veteres nonniſi quæſtionibus Arithmeticis ſolvendis eam applicabant, quemadmodum videre eſt ex *Diophanto*: aſt noſtro ævo nullum datur nec concipitur ens finitum, circa quod utiliter illa non verſetur. Certe *Franciſcus Vieta* non regulis modo reſolvendarum æquationum *Algebram* ditavit; ſed &, *Arithmetica litterali* inventa, eam communibus omnium quantitatum affectionibus inveſtigandis inſervire docuit: cujus inventa cum multum perfeciſſet ac auxiſſet *Harriottus*, Anglus, divinum *Carteſii* ingenium primus Analyſin ad quæſtiones pure Geometricas reſolvendas adhibuit, conſtructiones problematum Geometricas multum promoventibus *Backero*, *Hallejo*, *Philippo de la Hire* atque *Ozanamo*. Enimvero cum ordinaria magnitudinum ſeu Quantitatum Analyſis conſtructiones ſuppeditet minus concinnas, nec omnia Geometrica per eam tractari queant, multis nempe ad ſitum Linearum redeuntibus; pro ſumma ingenii ſagacitate celeberrimus *Leibnitius* novam excogitavit *Analyſin Situs*, ab Analyſi magnitudinum prorſus diverſam, peculiare calculi genus, quod *Calculum Situs* vocat, ex punctorum quorundam datis relationibus alias incognitas determinans: cujus tamen leges adhuc premit. Summopere hic quoque commen-

mendandæ ſunt ejus circa ſigna Analyſeos meditationes. Quoniam enim litteræ Alphabeticæ juxta methodum communem uſurpatæ non ſemper omnes relationes notas quantitatum datarum exprimunt, ut omnes per eas determinabiles iſtorum ſignorum ope eruantur fieri nequit. Prudenter itaque ab ipſo pro datis circumſtantiis ſigna variantur. Summus enim hic Geometra cum arctis admodum limitibus circumſcribi ſentiret Geometras, in *Geometria ſublimiori* Curvarum proprietates, quadraturas & rectificationes inveſtigaturos parumque ipſis præſidii ab *Arithmetica infinitorum* per *Walliſium* inventa, per *Bullialdum* exculta accedere animaduerteret; novum cum publico communicavit calculi genus, quod *differentialis* et *integralis* fert nomen & cujus inſignem per univerſam Matheſin uſum tot egregia problemata a variis excellentibus Geometris illius ope ſoluta abunde loquuntur. Facta nimirum eſt *Analyſeos utriusque* non modo ad *Geometriam* & *Matheſin mixtam*, ſed & ad *Phyſicam* atque alias diſciplinas applicatio. E. gr. *Curvarum Quadraturas* multum promovere *Gregorius*, *Craigius* & inprimis *Newtonus*; multas *Cycloidis* proprietates detexere *Bernoulli* Fratres; multas *Spiralium* eruit *Varignonius*. Dedere in *Opticis* exempla *Hallejus* & *Abbas Guiné*, quorum iſte per theorema generale omnes vitrorum ſphæricorum; hic *Illuſtris Leibnitii* ſpeculatione de *Circulis Curvas oſculantibus* uſus per theorema generaliſſimum omnes vitrorum omnium cujusvis poſſibilis convexitatis aut concavitatis determinavit. Taceo, quæ in *Dioptrica Illuſtris Hugenii* & alibi reperiuntur. In *Aſtronomicis* leges virium ad orbitas Ellipticas decas deſcribendum Planetis neceſſariarum *Newtonus* & *Gregorius*; ad orbitam quamvis poſſibilem abſolvendam requiſitarum *Varignonius* in apricum produxit: *Aetmundus Halley* modum obſervandi ſolſtitia accuratius; *Parent* punctum Elipticæ, in quo Sol ſi exiſtat, motus ejus in Ecliptica æqualis eſt motui in aſcenſione recta, monſtravit. In *Statica* & *Mechanica* leges virium centrifugarum *Hoſpitalio*; leges motus generales & effluxus aquæ per quodcunque vaſis cujuscunque foramen *Varignonio*; leges affrictus machinarum Dn. *Parent* debemus. In *Hydroſtaticis* exemplum dedit *Cuſterus*, *Autor Princip. Pantoſ. Hamburgi* editorum; in *Architectura militari* complura *Teylerus*.

lerus. Invenerunt in *Trigonometria* theoremata generalia *Leibnitius* atque *Newtonus*, quorum ope ex dato arcu invenitur ſinus rectus, ſinus verſus vel tangens, & contra; item ex dato logarithmo numerus & contra. In *Phyſica* quantitatem ætheris in quovis corpore ac magnitudinem unius machinulæ aëreæ *Jacobus Bernoullus*; leges motus muſculorum in corpore animali *Johannes Bernoullus*; leges propagati luminis *Leibnitius*; magnitudinem unius effluvii odoriferi *Joh. Keilius* determinavit. Sed properandum eſt ad diſciplinas alias. *Arithmetica* parum hactenus docuit de natura numerorum & legibus *Progreſſionum Arithmeticarum*, *Geometricarum* & *Harmonicarum*. Rationem monſtravit mortalium ſagaciſſimus *Leibnitius*: defuerunt nempe characteres numerorum ad inveniendum commodi, notis vulgaribus praxi computandi unice adaptatis. Invenit itaque *Arithmeticam binariam*, myſteriis numerorum explicandis aptiſſimam: unde multa tum in Matheſi, tum in Philoſophia reliqua pendent, quæ hic loci commemorare nil attinet. Summis quoque laudibus evehenda ingenioſiſſima ejusdem Machina Arithmetica, omnibus operationibus Arithmeticis per merum luſum expediendis idonea; cujus tamen ſtructuram cum publico nondum communicavit. *Geometria* quanta cœperit incrementa, dici vix poteſt. Cum enim Veteres nonniſi *lineam rectam* & ex curvis *Circulum*, *Sectiones Conicas* (*Parabolam* nempe, *Hyperbolam* atque *Ellipſin*) *Conchoidem Nicomedis*, *Ciſſoidem Dioclis*, *Spiralem Archimedis* conſiderarent; noſtro tempore non infinitus modo *Circulorum*, *Parabolarum*, *Hyperbolarum*, *Ellipſium*; *Spiralium*, diverſorum prorſus generum, expenditur numerus, ſed infinitarum etiam Curvarum aliarum infinita occurrunt *genera* & generum *familiæ*. Immo cum Veteres nonniſi areas lineis rectis comprehenſas inveſtigare valerent, & ex Curvarum numero ſolius *Parabolæ Quadraturam* dediſſet *Archimedes*; nobis jam per *Calculum Leibnitianum* unico theoremate generali infinitorum curvarum generum & integrarum familiarum *Quadraturas* exhibere licet. Enimvero Curvis omnes quantitatum relationes poſſibiles repræſentantibus, omnibusque in Natura pariter ac Arte numero, menſura ac pondere factis & operantibus: quantum hinc præſidii ad Naturæ ac Artis effe-

effectus explicandos ſperandum, optime conſtabit illis, quibus inter cognitionem exactam & confuſam diſtinguere datum eſt, quique illius præ hac in vita humana utilitatem ſunt edocti. In *Optica* naturam Luminis accuratius, quam antea factum, explicavit *Hugenius* & leges propagationis luminis, reflexionis ac refractionis a priori demonſtravit: cui non tantum oppoſita eſt theoria Luminis *Newtoniana*, quantum vulgo putatur; conſona prorſus theoria P. *Par dies* ab *Angone* in Optica expoſita. Egregias de Coloribus demonſtrationes deoit *Mariottus*: ſucceſſivam luminis propagationem & hujus legem primus manifeſtavit *Roemerus*. Lentes & Specula cauſtica mirifica arte paravit *Illuſtris de Tſchirnhauſen*, effectibus nobilitata ſtupendis: nec methodum ex glacie conficiendi lentes, ex ſtramine & ligno ſpecula cauſtica parandi noſtra ignorat ætas. Microſcopiorum perfectioni conſuluerunt *Hooke*, *Bonannus*, *Muſchenbroek & Leeuwenhoek*: tuborum vero laudatus *Hooke*, *Newtonus*, *Campanus*, *Hugenius* & *Hartſœker*. Multa in hac ſcientia ab Illuſtri DN. *de Tſchirnhauſen* adhuc expectamus, expectationem Mathematicorum longe ſuperatura. Cæterum ex ſpeculis & lentibus varias Machinas tum hominum curioſitati, tum indigentiæ eorundem ſatisfacientes conſtruere novit ſeculum noſtrum: quemadmodum vel ex ſolo fundamento tertio Oculi artificialis Teleodioptrici R. P. *Zahnii* apparet. In *Aſtronomia* tantus ſe offert dicendorum campus, ut, unde incipiendum, ubi deſinendum, non appareat. Omnis doctrina Aſtronomica ab obſervationibus pendet: obſervationes requirunt inſtrumentorum exactitudinem & Obſervatoris dexteritatem. Sunt autem obſervationes duplicis generis: aliæ naturæ ac affectionibus ſiderum eruendis, aliæ legibus motuum ordinandis deſtinantur. Priores ob defectum teleſcopiorum olim fere penitus neglectæ; poſteriores ob defectum ἀκριβείας inſtrumentorum non ſatis accurate iuſtitutæ. Sed noſtro ævo *Gallilæus a Gallilæis*, *Simon Marius*, *Chriſtophorus Scheinerus*, *Dominicus Caſſinus*, *Johannes Hevelius*, *Chriſtianus Hugenius* & nuper Dn. *de Tſchirnhauſen*, aliique tales dedere obſervationes, ex quibus certiora de ſiderum natura deducere conceditur operum divinorum ſcrutatoribus. Inſtrumentis Aſtronomicis perficiendis non levem operam impenderunt *Tycho*

de

de Brahe, *Johannes Hevelius*, *Robertus Hookius*, *Philippus de la Hire*, *Piccardus*, *Azoutus*, *Hautefeuille* aliique. Habemus Sextantes, Octantes, Quadrantes, accurate ſingula ſecunda monſtrantes, ut altitudines ac diſtantias ſiderum, ex quibus pleraque ad motus leges condendas neceſſaria eruuntur, exactiſſime capere liceat. Habemus Tubos *micrometris Kircherianis*, *Piccardianis*, *Azoutianis*, *Lahirianis* inſtructos, ut diſtantiis ſiderum minimis, diametris ſtellarum apparentibus, maculis Solis, eclipſibus Lunæ, occultationibus fixarum à Planetis vel unius Planetæ ab altero factis omni cum circumſpectione obſervandis ſufficiamus. Habemus *horologia oſcillatoria Hugeniana*, ut tempus, ſicubi in obſervationibus opus fuerit, melius, quam per ſciatheria, horologia vulgaria aut pendula *Riccioliana*, definire & aſcenſiones rectas fixarum facilius reperire liceat. Habemus denique (ut alia taceamus) tubos *Philippi de la Hire* induſtria Quadrantibus applicatos, ut interdiu ſtellas una cum Sole in Meridiano conſpicere, ſicque earum aſcenſiones rectas, ac Mercurii inprimis & Veneris longitudinem optima ratione cognoſcere queamus. Nullum etiam ſeculum, quam proxime elapſum & præſens, tot tantoque inſtrumentorum apparatu cœleſtibus obſervationibus incumbentes aluit viros: ut adeo dubitandum non ſit, leges motuum ſidereorum magis nobis, quam veteribus eſſe perſpectas. Immo plura adhuc ſperare jubemur, ubi obſervationes DNN. *Flamſtædtii*, prælo jam commiſſæ, *Rœmeri*, *Cāſſini*, *de la Hire*, *Kirchii* & *Wurzelbaueri* prodituræ ſunt. Miſera erat divinæ hujus ſcientiæ facies, cum motus ſiderum circularis defenſores abſurdis ſuis Epicyclis & Epicycepicylis, Homocentrepicyclis & Eccentrepicyclis omnia intricarent: aſt ſerena magis evaſit, ex quo ſagaciſſimus *Keplerus* motum ſiderum ellipticum proponere cœpit. Quæ *hypotheſis Copernicano-Elliptica* omnino merebatur, ut ab *Iſmaële Bullialdo* ulterius exculta *a Comite de Pagan* ac *Setho Wardo* magis perficeretur. Laudabile quoque erat ejusdem *Kepleri* inſtitutum, cum cauſas motuum cœleſtium phyſicas hariolari tentaret: aſt magis laudanda ſingularis *Leibnitii* atque *Newtoni* induſtria, cauſas iſtis longe meliores ac veriores ſubſtituentium. Equidem *Architectura Civilis* id jam apud veteres faſtigii aſſecuta creditur, ut non tam

de le-

de legibus novis inveniendis, quam olim jam inventis in praxi applicandis laborandum esse ducant artifices: non tamen nulla sunt, quæ ævum nostrum in hac quoque Matheseos parte jactet nova inventa. Mirari convenit Gallorum methodum ita cædendi saxa, ut juxta se posita in fornices cujusvis generis abeant, proprio pondere cohærentes: prædicemus fas est industriam *Goldmanni*, qui doctrinam de 5 Ordinibus eorundemque usu e labyrintho eduxit, ac planam, facilem & perspicuam reddidit: nec debita laus deroganda *Cl. Sturmio*, cujus labori ac studio non sextum solum Ordinem, sed alia multa incrementa debet *Scientia Architectonica*. Cæterum alia occasione manifesto demonstraturi sumus, quanta adhuc utilia hic invenienda restent, ut nova detegenda non desint, utilem publico operam præstare gestienti. *Architectura Militaris* ab invento pulvere pyrio novam tota induit formam, & cum primo detecta methodus Belgica per sat multum temporis pro perfectissima haberetur, nostro hoc ævo viri complures experientia rerum bellicarum & scientia Mathematica instructi, ut Comes de Pagan, Vaubanius, Blondellus, Cœhornius aliique magno numero a Dn. *Sturmio* in Architectura Militari Hypothetica commemorati, plures correctiones ac mutationes addiderunt novasque muniendi methodos protulerunt. Inprimis etiam huic scientiæ excolendæ multum incubuit laudatus sæpius Dn. *Sturmius*, & egregios ingenii sui fœtus in scriptis variis protulit, augustas præsertim Rimpleri meditationes praxi adaptare studuit. Quod in Mechanicis major fuerit veterum, quam modernorum Mathematicorum peritia pene dixerim, quia omnis instrumentorum bellicorum apparatus in machinis ingentium virium nobis plane ignotis consistebat. Interea tamen negari non potest, nostros Mathematicos non theorias solum Machinarum simplicium eruere; sed novas etiam antiquis ignotas invenire & jam inventas perficere. Exemplo est horologium oscillatorium ab Hugenio inventum atque descriptum, & nautis, & Astronomis & rerum naturalium Curiosis insignem sui præbens usum: exemplo sunt machinæ, quarum structuram cum publico communicavit Perrault: exemplo sunt machinæ a Papino exogitatæ, & partim jam publicatæ, partim adhuc publicandæ. Injurii quoque essemus in illustrem Leibnitium, nisi novam ejus

methodum machinarum vires ac leges motus ex unico principio, quod effectus ſemper ſit cauſis ſuis æqualis, demonſtrandi extolleremus: imo injurii eſſemus in Dn. *Parent*, niſi novas ejus pro viribus machinarum ſimplicium determinandis leges, in quibus neglecti hactenus a Theoreticis, in praxi tamen nunquam negligendi affrictus habetur ratio, maximopere commendaremus. Enimvero alit non modo ævum noſtrum viros, qui ſcientiarum incrementis ſunt intenti; ſed dantur etiam, qui ad præclara virorum ſummorum inventa fores tyronibus pandunt. Ita duces habent in Algebra finita Johannem Kerſey, Abrahamum de Graaf, Gerhardum van Kinckhuyſen, Johannem Preſtetum, Bernhardum Lamy; in calculo differentiali Marchionem Hoſpitalium, in integrali Quadratum: in utroque Carolum de Hayes: in Arithmetica numeroſa & ſpecioſa Horchium & Eduardum Wels; in Geometria Theoretica Tæquetum & laudatum Lamy; in practica Schwenterum, Ozanamum, Malletum: in Trigonometria plana & ſphærica Jacobum Gooden: in Optica Angonem, Gregorium, Molyneuxium, Zahnium: in Aſtronomia Keplerum, Wingium, Gregorium atque inprimis Mercatorem: in Horographia Philippum de la Hire, Ozanamum, Cœtſium: in Architectura civili Goldmannum, & in ordinibus deſignandis Lauterbachium: in Mechanica Rohaultium, Bernhardum Lamy, Philippum de la Hire: in Architectura militari Malletum Equitem de Saint Julien multosque alios &c.

At in Academiis Studium Mathematicum, utut certiſſimam ſui cultoribus ſpondeat utilitatem, hactenus parum floruit, immo ex multis quaſi penitus proſcriptum fuit. Ratio in promptu eſt: exiguus admodum illorum numerus, qui ſolida Matheſeos univerſæ, ſublimioris præſertim, notitia inſtruuntur; magis adhuc exiguus illorum, qui Matheſin aliis apte tradendi & Theorias in ſe vel abſtruſas vel pro ſterili habitas ad praxes per omnem vitam & utiles & neceſſarias applicandi dexteritate pollent. Multum tamen refert, ut ſcientiis Mathematicis imbuantur, quotquot ad bonas litteras tractandas animum appellunt, cum ſedula illarum tractatio ingenii excolendi medium præſtantiſſimum exiſtat, prætereaque ſalus vitæ huius terreſtris magna ex parte ipſi ſuperſtruatur. Quæ alio loco & tempore evidentiſſime demonſtrabuntur.

Hæc

Hæc profecto cauſa eſt, cur Rex noſter Potentiſſimus Dominus Meus Clementiſſimus, mihi jam alii Academiæ dicato Profeſſionem Mathematum Ordinariam in celeberrima hac Muſarum ſede clementiſſime demandans, ut Mathemata & communia, & ſublimia Studioſæ Juventuti pro virili familiaria redderem, mandaverit. Vt itaque nihil prætermittam, quod mearum partium eſt, eam in tradenda Matheſi ſelecturus ſum methodum, quæ ſua facilitate ac certa, quam ſpondet, utilitate multum ſe commendaturam eſſe confido. Scilicet in explicandis veritatibus Mathematicis a Methodo Mathematica pro dirigendo ingenio in veritate inveſtiganda, inveſtigata dijudicanda, dijudicata ad caſus vitæ humanæ ſingulares applicanda leges abſtraham generales. Tales enim abſtrahi poſſe dubitandum non eſt. Dantur in Matheſi veritates rigidiſſime demonſtratæ; explicantur methodi veritates Mathematicas inveſtigandi ac perpetuis exemplis illuſtrantur; theoremata ad ſolutiones problematum, h. e. theoriæ ad praxin certo ſemper obtinendam ſucceſſu felici applicantur. Habemus igitur in Matheſi veritatum demonſtratarum exempla; habemus methodos ſpeciales, Marte proprio veritates latentes eruendi; habemus denique exempla promptæ veritatum cognitarum ad caſus ſingulares applicationis. Quare cum detur Methodus a ſingularibus ad univerſalia aſcendendi, ſitque illa ipſa in poteſtate noſtra quemadmodum alias oſtendemus; promiſſis ex aſſe quo minus ſtemus, impedire valet haud quicquam. Immo quoniam Matheſin, ſublimiorem inprimis, explicans clariſſime monſtro, quomodo ejus ope concilianda ſit menti promptitudo ſingularia ad univerſalia revocandi, ſimulque per modo dicta veritates univerſales inveſtigandi habitum ingenero; ſedulus doctrinarum mearum Auditor certiſſimum ſibi prudentiæ medium a laboribus ſuis polliceri debet, utpote in univerſalium ad ſingularia applicatione conſiſtentis, conſequenter ut in dato quolibet caſu in poteſtate ſint problematum generalium reſolutiones, & ut conſtet ſub iſtis contineri ſpecialia nobis obvia, requirentis. Hæc ipſa perfectio veram ingenii gloriam, haud fucatum famæ fundamentum, parit: ipſa etiam eruditum quemvis ad negotia, quæ officii ratio imponit, dexterrime

obeunda disponit. Vt vero methodus nostra ingeniorum capacitati respondeat ab ordiis ordiri consuevi, ad quæ cognoscenda non alia re opus est, quam mente ad perceptiones proprias attenta, atque ex iis reliqua omnia continuo nexu deduco, ut, servata ad cogitationes in mente propria discursu meo prævio exortas attentione, posteriorum cum prioribus necessarium nexum volens nolens observet sicque veritatis intimius intellectæ plenarie convincatur auditor. Commodus adeo lectionum mearum auditor rerum omnium ignarus, mentem unice habens sibi ipsi præsentem & aures verbis meis patentes. Nihil namque tanquam cognitum suppono, ne talia quidem, quæ pro veritatibus connatis vel natura notis vulgo venditant, quia modum, quo certa talium cognitio acquiritur, non satis capiunt. Ita omnis penitus evanescit difficultas, ex notionibus non satis intellectis aut præsuppositis nondum cognitis, aut rerum meditandarum serie nimis longa oriri solita, modo facillimis ab initio propositis, simpliciſſimis nempe, quæ cogitatione unica comprehenduntur, repetitio non denegetur iterata. Denique in unaquaque disciplina de optimis differo autoribus, sive latina scripserint lingua, sive exotica; palmaria accurate noto momenta, in quibus inter se differunt, & exactum atque demonstrativum de singulis fero judicium, indicans præsertim, cui scopo scriptum quodlibet maxime idoneum existat, ut non progressus solum totius disciplinæ manifestus evadat, sed quilibet etiam Auditorum nostrorum intelligat, quemnam sibi Ducem eligere debeat, si ultra cancellos, intra quos subsistere jubemur, progredi libuerit. Immo quo scripta memoriæ felicius infigantur utilia, ipsis eadem oculis spectanda exhibeo. Verum enimvero vastus Scientiarum Mathematicarum est ambitus, ut pervulgatum sit dicterium: totum postulat Matheſis hominem. Equidem non negandum, & temporis & laboris insumendum esse multum, si quis unus supra omnes in disciplinis omnibus excellere intendat: sed tam exquisita rerum Mathematicarum cognitio ab omnibus non requiritur. Necessaria est omnibus principiorum Matheseos universæ, & palmariarum inde derivatarum propositionum notitia, labore perfacili, tempore non nimis multo, pretio perexiguo comparanda, tum ad ingenium excolendum, tum ad faciles in disciplinis

plinis non Mathematicis progreſſus obtinendum, tum denique ad utiles generi humano in vita communi operas præſtandum exaſciata vero magis alii hujus, alii alterius diſciplinæ injungitur cognitio. Eum in finem quamdiu me hic Deus incolumen eſſe jufſerit, perpetuum quaſi erit Collegium, in quo fundamenta Matheſeos univerſæ, Arithmeticæ nimirum, Geometriæ, Trigonometriæ, Aſtronomiæ, Geographiæ, Chronologiæ, Gnomicæ, Opticæ, Mechanicæ, Architecturæ Civilis & Militaris, in gratiam promiſcue omnium, bonarum artium excolendarum ergo Academiam noſtram incolentium, clariſſimis verbis exponam, methodum ſuperius expoſitam in ſingulis obſervaturus, neceſſaria a ſuperfluis, inutilia a proficuis ſumma cum cura diſtincturus. Diſciplinas ſpeciales interpretabor eas, quæ deſiderabuntur; in Lectionibus publicis eam pertractabo, quæ mihi pro re nata diſcentium captui ac uſui maxime accommoda videbitur. Cum itaque nunc bella undiquaque gerantur, tempori inſerviens ſub auſpicium hujus anni, nempe d. 10. Jan. h. l. pom. Lectionum publicarum initium a fundamentis Architecturæ Militaris explicandis capiam, ex unica ſcientiæ hujus definitione capitales locorum muniendorum, oppugnandorum & defendendorum leges, continuo nexu, nova prorſus ratione deducturus, juxta eas varias muniendi methodos examinaturus, ut de fortalitiis in itineribus oblatis, obſidionibus item ac defenſionibus urbium exactum judicium formare diſcant futuri Auditores: qualium judiciorum multiplicem eumque ratione diſcentium univerſalem in diſcurſu præliminari monſtrabo uſum. In Lectionibus privatis, præter fundamenta Matheſeos univerſæ, diſciplinas ſpeciales, quæ deſiderantur, quemadmodum dixi, explicabo. Quare cum ſint, qui ad ſublimia nati in apicem eruditionis humanæ h. e. Algebræ ſeu Analyſeos finitorum & infinitorum cognitionem feruntur, eorum quidem deſiderio tanto lubentius ſatisfaciam, quanto rarior & pretioſior alibi eſt occaſio illam addiſcendi, præſertim cum ego primus & forte adhuc unus ſim, qui in Academiis Germanicis Analyſin infinitorum profitetur. Cæterum ne hic quoque futuris Auditoribus ulla objiciatur difficultas, nec quicquam tamquam cognitum ſupponatur; ex unica Quantitatis definitione principia

Matheſeos univerſalis & primas Analyſeos finitorum regulas inveſtigare docebo, quarum deinceps ope, quicquid in Matheſi Univerſali utile occurrit, eruetur. Ex theorematibus Matheſeos univerſalis altiores Analyſeos finitorum regulæ deducentur. Hinc ex unica Magnitudinis definitione derivabitur, quicquid, ex Geometria communi cognitu neceſſarium exiſtit, applicatis, ubi opus fuerit Analyſeos finitorum regulis. Tandem ad Analyſin infinitorum pede promoto, leges calculi Leibnitiani, differentialis nempe et integralis, methodique ſerierum infinitarum per regulas Analyſeos finitorum detegentur, per de ectas utilia Geometriæ ſublimioris problemata ſolventur. Quamvis vero ſubinde uno alteroque exemplo veritatum abſtractarum uſum inſignem in partibus matheſeos ad vitam humanam applicatis oſtenſurus ſim, ne tædium ſuboriatur diſcentibus: ſub finem tamen larga adjicietur ſeges problematum haud ſpernendorum ex omnibus Matheſeos & Philoſophiæ reliquæ partibus, ipſis etiam Facultatibus ſuperioribus deſumtorum. Verbo Naturæ ac Artis arcana reſerandi habitum parare monſtrabo. Singulis præterea Mercurii atque Saturni diebus Mechanicam enodabo, ubi leges tam virium, quam motuum machinarum ſimplicium demonſtrabo, & ad motus animalium naturales ac artificiales explicandos, machinas jam inventas compoſitas varii generis examinandas & novas pro arbitrio negotiis expediendis ſuffecturas inveniendas applicabo, non neglectis ſtaticæ ac Hydroſtaticæ principiis, quorum inſignis in Phyſica potiſſimum & Arte Medica monſtrabitur uſus, & ex quibus omnium exercitiorum corporis ratio deſumenda. Denique cum præſertim Politicis Architectura Civilis maxime neceſſaria exiſtat, nec ipſa a nobis intacta relinquetur. Vt vero hæc etiam diſciplina ſcientiæ formam induat, nec tantum in praxi fortunæ tribuatur, ex formato Architecturæ genuino conceptu regulas generales tum robur, tum commoditatem, tum ornatum, verbo ſummam obtentu poſſibilem ædificiorum perfectionem concernentes deducam, adſcitis, ſicubi opus fuerit, experientiæ principiis, ſimulque de quinque ſic dictis ordinibus ex mente præcipuorum Architectorum differam epicriſi ſuper addita. Hinc ſpeciales leges de ſingulis ædificiorum partibus,

tan-

tanden ſpecialiſſimas de ſingulis ædificiorum generibus proponam, & ſub finem deſignationes Ichnographicas & Orthographicas ædium conſtruendarum conficere docebo, pro acquirendis prudentiæ Architectonicæ rudimentis ædificia paſſim deſcripta, & delineata juxta regulas Artis noſtræ examinaturus atque caſus excitandorum fictu-rus. Privatiſſima ſi deſideratur inſtitutio vel in univerſa Matheſi, vel in aliqua ejus parte, omnem docendi rationem intentioni diſcentis ſpeciali adapto. Quibus itaque labores noſtri privati & privatiſſimi probantur, illi me poterunt cras vel horis antemeridianis alicujus ſubſequentium dierum (quando unicuique viſum fuerit) in ædibus Schubartianis convenire: ut horas ſingulis commodas eligere detur. Faxit Deus, ut conatus noſtri publicæ utilitati dicati ſucceſſu felici, quemadmodum alibi, ſic in hac quoque illuſtri Muſarum ſede nunquam deſtituantur! Publicatum ipſ. Kalendis Januarii. A. MDCCVII.

Num. II.

Chriſtiani Wolfii, Mathematum Prof. P. & O. epiſtola gratulatoria (in qua vera philoſophiæ mechanicæ notio explicatur) ad virum iuvenem nobiliſſimum atque clariſſimum Dominum Simonem Danielem Titium, Uratislavia-Sileſium, amicum & conterraneum ſuum, pro Doctoris Gradu publice cum applauſu diſputantem 1710.

Mechanici minime tales & quare.
Leges vis mortuæ ab Archimede detectæ.
Poſtea ſaltem ad uſum machinarum applicatio.
Progreſſus Borelli, Galilæi, aliorumque tandem Leibnitii.
Mechanica quid.
Motus fluidorum examinati.

Equidem Philoſophiam Mechanicam noſtro ævo uno ore crepant omnes. Sed cum ea deſidis philoſophantium turbæ conatibus parum reſpondeat, quid mirum, quod in ſcriptis bene

bene multis ſpecioſo Mechanicæ titulo ſuperbientibus parum aut nihil Mechanici reperias. Fugit ſcilicet plurimos vera Philoſophiæ Mechanicæ notio: quam ſi perciperent, non plura ſæpe de facultatibus ſuis ſperarent, quam in iis eſt. Solida rerum naturalium & artificialium cognitio quoniam a Geometria & Arithmetica tam vulgari, veteribus etiam nota, quam univerſali a recentioribus exculta tota pendet; motuum quoque doctrina, palmarium veræ Phyſicæ fundamentum, non niſi a Geometris explicari poteſt, qui & ideo eandem explanare nec infelici ſucceſſu ad uſus vitæ humanæ applicare cœperunt.

Has motuum leges divinus *Archimedes* in vi mortua primus examinavit & legem æquilibrii in libris de æquiponderantibus explicatam dedit atque in libellis de inſidentibus humido ſub alio ſchemate exhibuit. Succeſſores longo temporis tractu lege naturæ unica ab inſigni iſto Geometra detecta contenti non ad naturæ effectus, ſed ad machinarum arte parandarum motus interpretandos unice applicarunt. Factum hinc eſt, ut lex naturæ de æquilibrio corporum ad varios caſus in Arte obvios applicata Scientiam peperit, quæ *Mechanicæ* nomine hodienum celebratur, in numerum Scientiarum Mathematicarum relata, tum ne divitias proprias ſpernerent Geometræ, tum quod ἀγεωμετρήτως philoſophantium turba earundem uſum ignoraret.

Superiore ſeculo *Johannes Alphonſus Borellus* lege Archimedea in motibus corporis animalis explicandis feliciſſime uſus eſt, quod non ignorat, qui vel fugitivo oculo celebratiſſimum viri doctiſſimi de motu animalium opus inſpexit. Nec defuerunt, qui motuum ſcientiam longe ultra limites *Archimedeos* promoverent. *Gallilæus a Gallilæis* in Dialogis de motu legem accelerationis gravium deſcendentium ſuperaddidit indeque pendentem alteram de motu projectorum deduxit: reſiſtentiam quoque corporum frangendorum rimari cœpit, utut non ſatis feliciter, quemadmodum oſtendit ſagaciſſimus *Leibnitius* in Actis Lipſienſibus A. 1684. p. 319. & ſeqq. *Johannes Wallisius Geometra* celeberrimus, in Transactionibus Anglicanis numero 43. veras conflictus corporum perfecte durorum leges primus manifeſtavit, non longo temporis intervallo, *Chri-*

Chriſtiano Hugenio atque *Chriſtophoro Wren*, in Academia Oxonienſi Aſtronomiæ Profeſſore Liliano, leges conflictus corporum perfecte elaſticorum Societati Regiæ Anglicanæ una offerentibus, inſciis licet quid ab alterutro actum eſſet. Idem *Hugenius* præclare de Mechanica meritus eſt in Opere de Horologio oſcillatorio, ubi præter multa præclara inventa alia non modo leges motus pendulorum Geometrice demonſtrantur, ſed & leges virium centrifugarum proferuntur. *Iſaacus Newtonus*, profundi ingenii Geometra, in Principiis Philoſophiæ Naturalis Mathematicis de viribus centripetis pariter atque centrifugis egregia demonſtravit & ad explicationem mechanicam ſyſtematis mundani ſecundum eam, quam *Keplerus* noſter (cui, ipſo *Leibnitio* judice in Actis Lipſienſibus A. 1689. p. 82. natura ſervaverat, ut primus jura Poli publicaret) animo conceperat, hoc eſt, veram ideam, tranſtulit.

Nemo autem unquam de Mechanica melius meritus eſt *Leibnitio*, quem divina providentia nobis datum pia mente veneramur, ut ne ad interiora Geometriæ & Naturæ pariter atque Artis arcana aditus præcluderetur. Neque enim ſolum paſſim in Actis Eruditorum Lipſienſibus veras reſiſtentiæ ſolidorum, reſiſtentiæ medii & motus projectorum gravium in medio reſiſtente, veram virium notionem hactenus omnibus ignoratam, veramque methodum æſtimandi vires motrices publico impertiri dignatus; ſed & leges conflictus corporum egregia methodo quæſivit quæſitasque invenit, quarum pro inſigni ſua humanitate quandam ſummam mecum communicare voluit, in publicum hactenus non proſtantium. Vtut autem per ea, quæ dixi, multa noſtro ævo ad ſcientiam motus acceſſerint; Mechanicæ tamen nomen retinuit. Quamobrem *Walliſius* præclaro de Motu Operi Mechanicæ nomen præfigere nullus dubitavit.

Cum itaque Mechanica ſit Corpus Juris Naturæ ſeu admirandarum Motus legum, *Mechanice* philoſophari dicendus eſt, qui ſecundum veras Naturæ leges effectus explicat eorumque poſſibilitatem menti concipiendam ſiſtit. Corpora vero in univerſum omnia machinæ vocantur, quorum operationes ex ipſorum ſtructura vi æternarum atque indiſpenſabilium Naturæ legum conſequuntur: quoniam in Arte machinam dicimus, cuicunque hæc notio appli-

cari poteſt. Quænam ad iſtiusmodi phænomenorum explicationem requirantur, in præfatione Elementis Aërometriæ præmiſſa oſtendi adeoque hic repetendum non eſt. Enim vero probe conſiderari velim, egregia licet ſint quæ laudati viri *Archimedes*, *Galilæus*, *Hugenius*, *Wrennius*, *Walliſius*, *Newtonus*, *Leibnitius* de motu tradiderunt, nondum tamen omnia abſoluta eſſe, jamque monuimus, plura de hoc argumento adhuc premi a *Leibnitio*, quam quæ hactenus lucem publicam adſpexerunt.

Corpus adeo Juris Naturæ cum nondum ſit abſolutum, ſed fere non niſi inceptum, multorum utique phœnomenorum naturæ mechanica explicatio adhuc latere debet, etiamſi ſtructura Corporum ſatis fuerit explorata. Inprimis autem in corpore animali effectus obſervari debent bene multi, quorum mechanicæ rationes hactenus deſiderantur, tum quia ſtructura machinæ nondum tota explorata, tum quod pauci reperiantur, quibus adire licet Corinthum. Nemo ignorat, nec, niſi mentem habuerit a præjudiciis præpeditam, in nimia erga proprias vires, quarum defectum intime perceptum agnoſcere recuſat, confidentia radicatis; maximum momentum ad machinam animalem conſervandam in eo ſitum eſſe, ut fluidorum per vaſa motus rite peragantur. Vtut autem ſpernenda non ſint, quæ rerum hydroſtaticarum atque hydraulicarum Scriptores de motu fluidorum partim rationibus demonſtrarunt, partim experimentis confirmarunt; in limine tamen hactenus omnes perſtitiſſe non inficiatur, qui ſuo unum quodque modulo metiri didicit & in univerſum fatebuntur omnes, quod ad Fluidorum per vaſa machinæ animalis circulationem expediendam non ſufficiant. Ingens autem in hiſce lux orbi erudito affulgebit, quando præclarum de Hydraulica opus prodibit, in quod præclaram ingenii vim atque aciem impendit Vir CL. *Jacobus Hermannus*, Mathematum in Academia Patavina Profeſſor celeberrimus, quem quod inter amicos numerare datum ſit mihi gratulor ſemperque gratulabor. Neque hactenus ſpes omnis decollata, fore ut etiam Phyſiologia veram Mechanicæ indolem induat, ſiquidem Medicis ſublimiora Mathemata diligenter tractare & ad ſcopum ſuum applicare viſum fuerit. Immo ſpem proximam vigere auguror. Neque enim modo poſt

præ-

præclarum *Borelli* exemplum *Jacobus Keill*, Medicus Anglus, illuſtre Geometriæ & Mechanicæ ad Phyſiologiam applicatæ ſpecimen in Conſideratione Secretionum Animalium, quantitate & motus ſanguinis atque motu muſculorum nuperrime dedit; verum etiam inprimis publicum encomium merentur Viri clariſſimi, *Hermanni Bœrhaave*, molimina in ſtudii Medici certiſſimum incrementum ſuſcepta, dum in celeberrima Academia Lugduno-Batava ſelectiora ingenia ad leges motus Geometricas machinæ animali dexterrime applicandas fida manu ducit, ſuo dubio procul tempore præclaros laborum ſuorum fructus publico non inviſurus.

Quæ hactenus de mechanica phœnomenorum naturalium explicatione dicta ſunt Tibi non diſplicere arbitror, doctiſſime Candidate. Novi enim Parentem tuum doctiſſimum, & de patrio Gymnaſio optime meritum (cui & me prima Mathematum elementa debere gratus hac occaſione profiteor) Matheſeos utilitatem a teneris (quod Græci ajunt) unguiculis Tibi jam perſuaſiſſe. Hinc &, cum Lipſiæ adhuc Matheſin atque Phyſicam docerem, non modo collegia mea diligenter frequentaſti, ſed & poſtea monitorum paternorum memor Geometricas delicias meditationibus Medicis interpoſuiſti. Quodſi ea diligentia, qua hucusque uſus fuiſti, in ſtadio litterario pergere libuerit; ad incrementum Artis ſalutaris nondum ſatis excultæ tua quoque ſymbola conferes, Orbi erudito non improbanda. Deum igitur Ter optimum maximum humillima mente precatus, ut iis ingenii dotibus Te ulterius ornet, quibus ad bonum publicum promovendum opus eſſe judicaverit, & Tibi de honoribus proxime impetrandis, & Doctiſſimo Parenti Tuo gratulor. Vale. Dabam Halæ ipſis Calendis Martii, Anno inſtauratæ Salutis 1710.

Num. III.

De propoſitionibus identicis, principio individuationis.

Dubia Kochii, nullam propoſitionum identicarum ideam dari.
Nec principium individuationis aliud videri quam exiſtentiam.
RESPONSIO.
Propoſitiones identicas ad demonſtrationis nexum ſæpius eſſe neceſſarias in Geometria & Algebra.
De ſalebris Gundlingianis a ſe non editis.

Vir celeberrime!

Intellexi, illuſtr. LEIBNITIVM noſtrum magni facere propoſitiones identicas, easdemque pro principiis habere demonſtrationum. Hunc tu ſequi mihi videris, vir præſtantiſſime, cum ſcribis *cogitation. de intellectu hum.* c. 9. §. 19. bis man identiſche Saetze zu Foerder-Saetzen hat. Equidem video, idem, quod vobis, placuiſſe olim SCOTO, MATTHIAE AQVARIO, SCHEGKIO, Antonio ANDREAE, & nuperius ARNOLDO GEVLINGIO, in *log. reſtit.* Sed parum abeſt, quin opiner, recte eos confutatos eſſe ab aliis: & mihi hoc in mentem venit, quod propoſitionibus illis opponam, videlicet, quod nihil dicant, ut germanorum more tecum loquar; dein quod iis ipſis adverſa temet ſcripſiſſe putem, *cogit. cit.* c. 3. §. 2. p. 45. wenn wir urtheilen, verknüpffen wir wenigſtens zwey Begriffe mit einander. Quibus conſequens eſſe videtur, ut credam, propoſitiones plane identicas, de his enim cogito, ne propoſitiones quidem ſive judicia eſſe nedum axiomata.

In *actis erudit. Lipſ.* an. 1707. *menſ. Novembr.* p. 508. video poſuiſſe te *principium individuationis* omnimodam determinationem eorum, quæ in perceptione totali diſtinguuntur; atque idem fere verbis teutonicis expreſſiſſe te *cogitation. de intellect.* c. 1. §. 25. paulo tamen hic uberius. Verum duo mihi viſa ſunt hic objicienda: primum, cur *principium individuationis* generatim quæratur; cum ſit tamen individuum principii omnis expers, nempe Deus? Deinde, quod nequaquam, per te definitum videatur illud principium: quoniam remanet quæſtio, quid ſit illud, quod omni modo rem, ſive ut tibi loqui placuit, totalem perceptionem determinet? Quamobrem cogites velim, an non illi ſatis bene quaeſtionem expediverint, qui *exiſtentiam* dixerunt eſſe individuationis principium, cum nihil vere exiſtat, niſi individuum: vel illi, qui individuo

phyſi-

phyſico hanc *materiam & hanc formam* pro principio interno atque adæquato dederunt. A quorum opinione ne te quidem ipſum longe abeſſe putem, cum relego verba *cogitation. tuar.* l. c. p. 21. Zu dieſer Zeit, auf dieſem Blate, mit dieſem Bleyſtifft beſchrieben.

Hæc equidem ſcripſi ad te ſine præfatione, vir optime & doctiſſime, impulſus videlicet verbis tuis humaniſſimis, quæ in exitu præfationis *cogitation. tuar. de intellectu* poſuiſti, quibus reſponſa æqua promittis omnibus, qui vel per epiſtolam modeſte tibi quidquam objecerint reſponſione non indignum. Ad quod genus num velis mea hæc referre, tuum eſto arbitrium: cetera. Tui, vir celeberrime, ſtudioſiſſimus cultor.

Helmſt. prid. feſt. paſch. a. 1714.

C. D. Koch.

Vir ſumme reverende!

Doleo, quod literæ meæ interciderint, quibus ad tuas anteriores reſponderam. Non ſatis recordor, quasnam difficultates contra *elementa mea philoſophiæ rationalis* propoſueras, ſed niſi me omnia fallunt, propoſitionum identicarum uſus tibi, vir doctiſſime, nullus videbatur, quia nugatoriæ videntur, cum nihil plane de ſubjecto enuncient. Breviter itaque reſpondeo, me eas admittere, quia plurimis exemplis in ipſa etiam geometria edoctus fui, quodſi continuo ſyllogiſmorum nexu omnia veniant probanda, (id quod ad perfectam demonſtrationem neceſſarium judico) identicarum uſus evitari nequeat; ita ut e. gr. in geometria ſæpius aſſumendum ſit inſtar præmiſſæ, rectam AB eſſe rectæ AB, hoc eſt ſibimet ipſi æqualem; aut ſi mavis, prorſus utendum ſit hoc ſyllogiſmo: omnis recta eſt ſibimet ipſi æqualis; atqui recta AB eſt ipſa recta AB, ergo ſibimet ipſi æqualis. Neque enim aſſumere licet inſtar præmiſſæ in aliquo ſyllogiſmo, eſſe AB ipſi AB æqualem, niſi mediante hoc ſyllogiſmo; cum alias nulla appareat ratio, cur hanc præmiſſam aſſumamus, ex intuitu figuræ, in qua recta AB occurrit. Immo in ipſa etiam algebra reperio propoſitionum identicarum uſum inevitabilem in inveniendo. Quæ rationes fuerint au-

toribus, quos earundem propositionum laudatores commemoras, ego quidem ignoro. Si tibi rationes hæ non videantur sufficientes ad istarum propositionum usum persuadendum, sique aliæ difficultates occurrant, quibus mea premi censentur, rogo, ut mihi significes. Facies enim mihi quod longe gratissimum.

Cæterum cum aliquando audiverim, vos in ea esse opinione, ac si *salebras Gundlingianas* ediderim, hac quidem occasione significandum esse duxi, earundem auctorem esse collegam meum, Dn. Schneiderum, Logicæ professorem. Vale & fave, vir summe reverende, tui studiosissimo.

Halæ, die 25. Febr. 1716.

C. Wolfio.

Num. IV.

Christiani Wolfii, Consil. Aulici Hassiaci, Mathematum ac Philosophiæ Professoris Primarii in Academia Marburgensi, Professoris Honorarii in Acad. Scient. Petropolitana, Societ. Reg. Brit. & Bor. Sodalis, Oratio de Sinarum Philosophia Practica, in solemni panegyri recitata, cum in ipso Academiæ Halensis natali 28. d. 12. Julii A. O. R. 1721. fasces prorectorales successori traderet, notis uberioribus illustrata.

PRAEFATIO AVT.

Cognitio legis naturæ. Quanta nexus rerum & notio perfectionis injungat.

Ab ineunte ætate veritatis evidenter cognoscendæ desiderio flagrans in prima statim juventute omnem movi lapidem, ut methodi Mathematicis usitatæ rationes intimius perscrutarer, & eandem ad disciplinas philosophicas transferrem. Quos in hoc studio juvenis fecerim progressus, ex primo specimine Academico Philosophiæ practicæ universalis liquet: quod cum viris doctis

doctis probaretur & inprimis viri etiam post fata summi *Leibnitii* favorem mihi conciliaret, calcar addidit ad illud in hunc usque diem continuandum. Quinam ulteriores fuerint progressus in hoc genere, illorum esto judicium, qui scripta mea cum mathematica, tum philosophica attenta mente pervolverunt, & de methodo judicium ferre valent. Monui jam aliquoties, me adhuc adolescentem id mihi proposuisse, ut ad maturiorem ætatem profectus totus in excolenda Philosophia practica desudarem. Cum vero arduum hoc negotium aggressus experirer, methodi gratia non vulgares in Matheſi requiri progressus, rationes ex Psychologia, Ontologia & Theologia naturali potissimum petendas esse, Physicæ autem, si rite tractetur, studio comparari facultatem observationibus ac experimentis in scientiis utendi, nec non rationum finalium notitiam, quibus actiones naturales determinantur, earundem cum iis, per quas determinari debent morales; universæ philosophiæ studium cum mathematico esse conjungendum intellexi. Atque eo fine animum ad Matheſin profundius rimandam appuli, præsertim cum ad eam docendam divina providentia destinarer, & universam philosophiam excolere cœpi. Prima laborum stamina in scriptis philosophicis Germanicis videre licet: ipsam telam mox pertexturus sum in Latinis Operibus, quam primum mihi fuero redditus. Postquam in Ontologia notionem perfectionis in genere evolveram, & in Physica rationes finales scrutatus theorema Metaphysicorum, quod omne ens sit perfectum, innumeris experimentis confirmaram, immo in Metaphysicis ipsam universi integri perfectionem introspicere mihi datum fuerat; directionem actionum liberarum ad perfectionem microcosmi meditatus didici, eam non diversam esse ab illa, quæ lege naturali præcepta unanimi omnium consensu habetur, eandemque directionem, quæ ad microcosmi perfectionem tendit, ad ipsam macrocosmi tendere perfectionem. Atque sic tandem convincebar, primum non modo juris naturalis, sed ipsius quoque decori principium esse actionum humanarum ad perfectionem microcosmi, consequenter ipsius macrocosmi directionem. Cum libros classicos Imperii Sinensis attenta menta evolverem; nullus dubitavi, quod *Sinis* antiquissimis,

Con-

Confucio præſertim, eadem fuerit notio, etſi confuſa, minime diſtincta, ut non agnoſcatur niſi a poſſidente. Poſtquam præcepta & facta in libris iſtis obvia ad rationes generales revocaſſem, nec praxin *Sinarum* a mea abludere intelligebam. Quoniam itaque *Sinarum* ſapientia vulgo non cenſetur illa, cujus gratia *China* ſit adeunda, vel illorum judicio, qui res morales data opera petractarunt; Anno 1721. faſces rectorales ſucceſſori traditurus & ex more Orationem præmiſſurus thema Auditoribus gratum fore judicabam Philoſophiæ practicæ Sinenſis interiorem rationem & cum mea conſenſum. Orationem iſtam nunc publici juris facio, propterea quod tenebrio quidam me inſcio ac invito apographum non ſatis exactum in lucem protulerit, leviſſimum animum vel hoc ipſo prodens, quod mentiatur, eam excuſam eſſe Romæ cum cenſura & approbatione S. Officii inquiſitorii A. O. R. 1722. & recuſam Trevoltii cum conſenſu Soc. Jeſu apud *Joannem Boudot*, Bibliopolam Regium & Acad. Scientiarum Reg. ordinarium A. 1725. Aegre nimirum fert homo a probis moribus alienus, quod ob theſes quasdam *Leibnitianas* ſyſtemati metaphyſico inſertas Deo hominibusque exoſas vexas creantibus in Commentatione luculenta oſtenderim, Diarii Trevoltienſis Autores cum ſcientia & eruditione virtutem conjungentes moderatius judicare atque ab imputandis conſequentiis, quæ *Leibnitius* diſerte reſpuit, abhorrere *) & Cel. *Fontenellium* in elogio viri incomparabilis de ipſius ſcientia theologica & invento harmoniæ præſtabilitæ aliter ſentire quam adverſarios **): immo alibi ***) de hypotheſibus philoſophicis locutus, quatenus tolerari debeant, monſtraverim quid rationis ſolidæ ſubſit, cur Curia Romana ſyſtemate mundi *Copernicano* uti permiſerit tanquam hypotheſi, etſi eam damnaret tanquam dogma. Vt autem pluribus prodeſſem, notis ampliſſimis in Oratione concinna brevitate expoſita illuſtravi. Vſus ſum in citandis *Sinarum* libris claſſicis verſione non *Noëllii*, ſed *Coupleti* & Sociorum, quoniam iſta in pauciſſimorum, hæc in plurium manibus eſt. Hiſtorica pleraque deſumſi ex Tabula Chronologica & Declaratione prooemiali, quarum iſtam

Confu-

*) p. 60. **) p. 58. ***) in Annot. Met. §. 112. p. 162.

Confucio ſuo ſubjunxit, hanc præmiſit *Coupletus*. Chronologicas disquiſitiones non inſtitui, cum ſint a præſenti inſtituto alienæ: In factis acquieſco, quæ probationis nervum ingrediuntur. Non dubito fore, ut tricas chronologicas, quæ difficultates faceſſunt, extricaturus ſit vir in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimus Cl. *de Vignoles*, qui lucem Chronologiæ Sinarum ſe affuſurum promiſit. Præter principia Philoſophiæ practicæ *Confuciana* hactenus non ſatis intellecta eorumque cum meis conſenſum in notis id etiam egi, ut principia evidentia exhiberem, quibus ardua illa de diſcrimine inter Naturam & Gratiam doctrina, non invitis libris noſtris Symbolicis & Theologorum ſententiis, demonſtrari poſſit. Si quis fuerit, cui non placeant noſtra; illum ut meliora det, hortor. Si quis vero hebetior fuerit, quam ut veritatem capere poſſit, illius judicium tanquam temerarium contemnam: neque enim matæologis hæc ſcribuntur, nec *Bonziis* a ſinceritate *Confuciana*, quam commendamus, alienis. Dabam Marburgi d. XIX. Jan. A. O. R. MDCCXXVI.

ORATIO DE SINARVM PHILOSOPHIA PRACTICA 1723.

Contenta Scholiorum hic præmittuntur, cum Orationis tenor ab Autore conſcriptus cuivis commati textus anteponatur.

n. 3. 4. *Peritia ſinenſium antiquiſſimorum in literis, Aſtronomia, Muſica, Medicina. Longævitas ipſorum n.* 13

5. *Reſtitutio librorum fere deperditorum, per libros claſſicos. Confucius jam ab antiquioribus edoctus.*

7. *Fundator Fohi multa ſcientia inſtructus. Incolarum Sinæ numerus.*

8. *Succeſſores in regimine.*

10. *Tribunalia a 4000 annis Defectio poſterorum ſub regno tunc hereditario. Hæreſes primæ poſt ann. 754. autoribus Me & Tam, ad fundamenta*

menta philoſophiæ practicæ perverten-da, humanum vitæ genus exuendum.
14. *Quos Confucius deſtruit (tempore Thaletis).*
19. *Annalium Sinenſium fides Confucii fons antiquiſſimus erat.*
20. *Eminentia Confucii præ Philoſophis Græcis, teſtibus libris claſſicis.*
22. *Studium novitatis abſurdum. Acumen quid?*
24. *Virtus ſui ipſius præmium.*
27 *Cultus Confucii.*
29. *Doctrina Turcarum de Mahomete.*
30. *Excuſatio comparationis imputatæ cum Chriſto.*
33. *Defectiones poſt tempora Confucii.*
34. *Confucius ſapientior philoſophis Græcorum. Summa philoſophiæ ipſius.*
37. *Sapientiam eſſe ſcientiam felicitatis. Actionum honeſtas, turpitudo intrinſeca.*
40. *Eſſentia quid, natura quid?*
42. *Quid gratia diuina, ejusque operationes. Nulla rationis & revelationis contradictio.*
50. *Præceptorum Chriſti eminentia.*
51. *Prima lex Sinenſium: poſſibilitas actionis. Virtus philoſophica quid?*
53. *Pietas philoſophica, virtus Theologica quid & quotuplex. Aſſenſus firmior, qui gratiæ debetur. Motiva unde haurienda.*
54. *Sinas priſcos non fuiſſe Atheos proprie dictos.*
55 *Solis naturæ viribus confiſi horrebant pompam fucatæ pietatis.*
60. *Ubi Chriſtianus corruptionem dolet, ibi homo de viribus animi ſuis edocendus eſt.*
63. *Fuga vitiorum quid? Vſus, virtutes demonſtrari poſſe. Vires naturæ non ſufficiunt, ut legi naturali ſatisfiat.*
69. *Senſibus indulgere unde?*
71. *Virtus & pietas philoſophica inferior Chriſtiana. Legis naturæ cordibus inſcriptæ exemplum præbent Sinenſes.*
73. *Ratio quid: Experientia. Stimulus ad committendum.*
74. *Naturæ vires morales. Virtus quid Confucio? Qualitates litigantium in foro examinatæ, quia juramento caruerunt. Doctor perfectiſſimus in occidente quæſitus, metempſychoſis ſeductoris Foë.*
79 *Præjudicium de nunquam reperiendis nocivum*
80. *Vita Confucii. Argumentatio ab intellectu ad voluntatem.*
83. *Annalium S. verſio optanda, cum vita Confucii, viribus naturæ tanta efficientis.*
87. *Conſenſus virium inferiorum animæ cum ſuperioribus apud Sinenſes. Morum formatores inepti. Severitas immoderata nocet.*
90. *Scholæ Sinenſium.*
96. *Imperatoris dexteritas, quamvis numen ut ſuperiorem non agnoverit.*
107. *Finis Sinarum ad optimum regimen tendit, unde obſequium ſubditorum, exemplum Regis. Imperatores degeneres. Spretæ ſubtilitates. Studia Noeli. Schola adultorum Confucii.*
123 *Studium certitudinis.*
137 *Miſſionum primordia. Libri claſſici.*
139. *Cognitio Confucii ſatis ampla.*
146 *Sinarum regulæ in exemplis.*
149 *Phariſaiſmus reviviſcens.*
161 *Finis juris naturalis.*
165. *Coſmologiæ ignari Chinenſes.*
178 *Cenſores iniqui integritatis Sinenſium.*

182. *Amor*

182 *Amor legum apud Sinenſes citra coactionem.*
196. *Cerimoniarum & decori uſus.*
Cura prægnantium.
203. *Ideæ unde.*
209. *Acta ſub Prorectore Wolfio.*

Philoſophiæ Sinarum antiquitas & celebritas.

Quamvis, *Auditores omnium Ordinum honoratiſſimi*, ab antiquiſſimis (1) retro ſeculis celebrata fuerit Sinenſium ſapientia, nec minus deprædicata fuerit eorundem in Rep. adminiſtranda ſingularis prorſus prudentia (2): quæ tamen vulgo de utra-

 que

(1) Sinenſes eſſe gentem omnium antiquiſſimam extra omnem controverſiam poſitum eſt. Sane qui imperium condidit, *Fohi* dictus, anno ante Chriſtum 2952. imperare cœpit & ab eo certa eſt Imperatorum ſibi mutuo ſuccedentium ſeries: id quod ex tabula chronologica *Monarchiæ Sinicæ* liquido conſtat, quæ usque ad annum 1683. continuata, e Sinico in Latinum translata a R. P. *Philippo Couplet* & Pariſiis 1686. edita ſubjungitur *Confucio Sinarum Philoſopho*, ſive *Scientiæ Sinenſis Latine expoſitæ*, ſtudio & opera *Proſperi Intorcettæ*, *Chriſtiani Herdtrich*, *Franciſci Rougemont* & *Philippi Couplet*, Patrum Societatis Jeſu. Doctrina autem ipſorum civilis & moralis ad ipſa imperii incunabula originem ſuam refert, a quibus ad noſtra usque tempora elapſi ſunt anni 4677. Equidem Sinarum annales longe ultra *Fohi* tempora extenduntur; monet tamen *Coupletus* in præfatione ad Tabulam chronologicam §. 1. f. 3. quæ ante illa ab Hiſtoricis nonnullis commemorantur, pleraque ut apocrypha nulliusque fidei ab ipſis quoque Sinicis Interpretibus & gravioribus Hiſtoricis rejici. Enimvero non opus eſt, ut antiquitatem ſcientiæ Sinicæ ultra *Fohi* tempora extendamus: neque enim habemus, admiſſa ſaltem certitudine Tabulæ chronologicæ *Coupletianæ*, quam interpres multis argumentis defendit, ullum philoſophiæ monumentum, quod antiquius ſit philoſophia Sinarum.

(2) Priſcum gentis proverbium hodienum uſitatum notius videri poteſt, quam quod hic referatur, *ſolos Sinas utroque oculo præditos*

que in medium proferuntur, parum ſingularis, parum egregii præ ſe fer-

ditos eſſe, ceteros mortalium plane cæcos. Et *Coupletus* in procemiali declaratione ad *Confucium* §. 11. 12. autor eſt, poſtquam Miſſionarii linguæ Sinicæ & literarum peritiam incredibili labore & conſtantia conſecuti fuerant, ut typis quoque ſua mandare poſſent, Sinas tandem permotos fuiſſe, ut Europæis hominibus unum jam oculum tribuant. Nimirum Sinæ non perinde ac gentes ceteræ literis alphabeti in ſcribendo utuntur, quibus voces denotantur; ſed characteribus potius, quibus res ipſas immediate deſignant & quas ſingulas determinato quodam ſono efferre ſolent. *Coupletus* loc. cit. f. 11. tantum eorum numerum eſſe affirmat, ut nullus dum Sinarum memoria tenere omnes valuerit, cum tamen multi illorum a ſexto ætatis ſuæ anno exorſi vitam exinde totam in eis conſumant. Vir illuſtris *Fourmontius*, Academiæ Regiæ Inſcriptionum, quæ Pariſiis floret, Sodalis, in Diſſertatione de literatura Sinica, quæ in Diario Trivultino A. 1722. p. 1577. & ſeqq. legitur, characteres numerat 80000, quos in *Lexico Sinico* ab *Hoamge* Sina Pariſiis cœpto & poſt hujus mortem ab ipſo continuato explicaturus eſt. Quoniam vero idem fatetur, *Sinas* in compoſitione characterum obſervaſſe ordinem philoſophicum & geometricum, nec quicquam ab humano ingenio hactenus excogitatum eſſe, quod cum hoc invento comparari poſſit, nec ullum extare Syſtema phyſicum, quod tam amplam naturæ cognitionem involvat, quanta hiſce characteribus contineatur; Sapientiæ ac ſcientiæ Sinicæ eminens quoddam argumentum in iis deprehendimus. Ceterum characterum inventum longe antiquiſſimum eſt. Monet enim *Coupletus* in fine præfationis ad *Tabulam Chronologicam* f. 20. litterarum ſeu characterum (quorum loco nodis ante utebantur) fundamenta ſex jeciſſe *Fohium*, primum imperii conditorem, & in Tabula chronologica annotat, ſub imperio Imperatoris *Hoam ti*, qui ad ſupremam majeſtatem evectus eſt anno ante Chriſtum 2697. ipſos characteres fuiſſe inventos.

ſe ferre videntur (3). *Confucius* tantæ ſapientiæ Autor inter nos

 cele-

(3) Scientia Sinenſis *Europæis* non ſatis cognita atque perſpecta. Nam *cyclum ſexagenarium*, quo hodienum Sinæ in numerandis annis utuntur, jam *Fohi* invenit & teſte Tabula Chronologica *Monarchiæ Sinicæ*, opera *Ta nao* uſus *Hoam ti* perfecit annis ante Chriſtum 2697. Haud difficulter vero demonſtratur, quod nec ſine exquiſita Aſtronomiæ peritia inveniri, nec perfici potuerit. Conſtat igitur, Sinas antiquiſſimis temporibus rerum aſtronomicarum ſcientia excelluiſſe: id quod ulterius inde confirmatur, quod idem *Hoam ti* Aſtronomiam in ſcientiæ formam redegerit. Enimvero de Aſtronomia veterum *Sinarum* nihil ad nos pervenit. Quæ *Martinius* ea de re narrat, ab *Hevelio* in præfatione ad Tomum primum Machinæ cœleſtis commemorantur; ſed ea tantum antiquitatem hujus ſtudii apud *Sinas* loquuntur, haud quaquam vero progreſſus, quos in eo fecere, diſtincte exponunt. Et quamvis *Dominicus Caſſini*, aſtronomus eminens, a Miſſionariis diſtinctius informari deſideraverit, voti tamen ſui haud quaquam compos fieri potuit, quemadmodum abunde liquet ex viri ſummi de ortu & progreſſu Aſtronomiæ diſcurſu, quem ex Gallico in idioma Latinum traductum Manuali Aſtronomico præmiſit *Joannes Leonhardus Roſtius*, Aſtronomus apud Norimbergenſes clariſſimus. Mathematicis haud ignotum eſt, Aſtronomiæ ſcientiam eſſe nullam absque Arithmetica & Geometria. Quamobrem liquet, *Sinas* veteres etiam in Arithmetica & Geometria ſuos habuiſſe progreſſus: id quod ulterius inde confirmatur, quod *Hoam ti* Tabulam arithmeticam invenerit, dubio procul in Aſtronomiæ uſum. Sed quænam fuerit illorum Arithmetica & Geometria, ab *Europæis* hodienum ignoratur. Ipſe jam *Fohi* Muſicæ fundamenta jecit a Succeſſoribus ulterius exculta. Taceo, quæ ad Matheſin Sinarum practicam ſpectant: de qua in genere quædam hariolari licet, minime autem ipſorum in ea progreſſus diſtincte nobis innotuerunt. Idem quoque *Hoam ti* in Tabula chronologica annis ante Chriſtum 2637. artem medicam de

pulſi-

pulsibus huc usque usitatam pluribus libris conscripsisse perhibetur, adjutoribus *Ki pe*, *So ven*, *Luy cum* usus: sed eadem quoque nos ignoramus, ut adeo nec de ipsorum arte Medica judicium ferre liceat. Monuimus jam ante, quam arduum sit characterum inventum: sed ejus quoque distinctam expositionem adhuc expectamus. Nihil hactenus ad *Europæos* pervenit, nisi quæ de scientia ipsorum morali atque civili dederunt supra laudati (not. 1.) Missionarii in *Confucio Sinarum Philosopho* & R. P. *Franciscus Noël* in Libris Classicis Imperii Sinensis. Libri hi rarissimi sunt & ad paucorum notitiam pervenere: quamobrem vix norunt eruditi, nisi quod ex Opere *Confuciano* hauritur. Etsi autem illud *Confucii* nomen ferat, constat tamen, quod nonnisi fragmenta ex scriptis *Confucii* in eodem contineantur. Etenim *Xi Hoam ti*, muri illius stupendi adversus irruptiones Tartarorum conditor, infensissimus literatorum hostis, quorum plurimos vivos sepeliri jussit, anno ante Christum 212. libros omnes præter medicos & judiciarios Vulcano consecravit. Periere igitur scripta Philosophorum veterum atque Regum, ipsiusque *Confucii* & ejus interpretum, ita ut eorum memoria prorsus abolita fuisset, nisi post annum ante Christum 139, integro fere post ferale illud librorum incendium seculo, *Vu ti*, Imperator & bello, & litteris clarus, fragmenta & reliquias incendii librorum colligi jussisset. In lucem adeo, referente *Coupleto* in declaratione proœmiali f. 23, protulerunt libros semiustos, parietibus item & sepulchris abditos, quamuis semiesos, & præterea grandes natu consulti sunt, si qui forte, quæ memoriæ quondam mandaverant pueri, etiam num tenerent. Ex his igitur fragmentis & reliquiis confecti sunt libri Sinensis imperii hodie classici, quorum aliquam partem vertit *Coupletus* cum Sociis, novam vero omnium versionum adornavit *Noëllius*. Quemadmodum vero ex ruderibus de opere architectonico judicium ferre nequit nisi architectus consummatus, attentione adhibita, quæ ad tam arduum molimen sufficit; ita quoque de Systemate philosophiæ moralis ac civilis *Sinarum* judicium ferre minime valet, nisi qui scientiæ moralis atque civilis interiora intimius perspexit, nec in examine suam desiderari patitur aciem atque industriam.

(4) Hæc

celebratur (4): ſed qui ſic ſentiunt, rerum Sinenſium parum peritiri exiſtimantur (5).

Confucius non eſt Autor philoſophiæ Sinicæ.

Dudum ante *Confucium* floruit *Sinarum* Reſp. optimis legum inſtitutis, cum Principes & verbo, & exemplo ſummæ perfectionis normam ſubditis traderent, cum morum Doctores ac formatores a teneris unguiculis tam Imperatoris, Regum ac virorum illuſtrium, quam ipſos plebis infimæ liberos ad bonos mores componerent & adultos in boni malique cognitione confirmarent, cum Principes ac ſubditi de virtutis gloria inter ſe contenderent (6). Nimirum

(4) Hæc perſuaſio procul dubio hinc orta, quod ſcripta, dicta & facta *Confucii* ſint hodienum dogmatum in vaſtiſſimo Chinæ imperio norma.

(5) Res in China notiſſima, *Confucium* ſua non proprio Marte inveniſſe, ſed ab antiquioribus deſumta docuiſſe. Fatetur hoc ipſe *Confucius* apud *Coupletum* lib. 3. part. 4. f. 36. ubi ſe vocat *præconem, non autorem* doctrinæ, quam profitetur, addens ſe amare antiquitatem & ex antiquorum ſcriptis excerpere, quæ ad rem ſuam ſint. Conf. Vita *Confucii* a *Coupleto* ſcripta f. 117. 118. *Annorum*, inquit, *quindecim adoleſcens totum ſe dedere cœpit priſcorum libris evolvendis & rejectis iis, quæ minus utilia videbantur, optima quæque documenta ſelegit, primum expreſſurus ea ſuis ipſe moribus, deinde aliis quoque ad imitandum propoſiturus.* Fuit adeo *Confucius* veritatis cupidus, de qua cum per rationes certus eſſe non poſſet, viam experimentalem aggreſſus eſt & experimentum ejus in ſe ipſo ſumſit, quod alios docturus erat, ut certus eſſet ſe tradere aliis doctrinam firmam & ſolidam. Eadem de cauſa aliquoties magiſtratum geſſit, ut regnandi præcepta experimento confirmaret.

(6) Quæ hic refero, fide *Noëllii* recitantur, qui argumenta librorum claſſicorum a ſe in Latinum translatorum introductionis loco præmittit, antequam eorundem textum exhibeat. Ex eodem fonte hauſta ſunt, quæ in ſequentibus fide hiſtorica nituntur, niſi quod

rum priſci *Sinarum* Imperatores & Reges iidem erant Philoſophi: Quid ergo mirum, juxta iſtud *Platonis* beatam fuiſſe Remp. ubi Philoſophi regnabant, Reges philoſophabantur?

Philoſophiæ Sinicæ Autores.

Primus in his laudatur *Fo hi* (7), quem ſcientiarum ac imperii

quod nonnulla ex præfationibus interpretum Sinenſium, quas libris claſſicis præpoſuerunt, deſumantur.

(7) *Fo hi* anno ante Chriſtum 2952. condidit imperium. Quoniam vero eidem debentur omnis ſcientiæ Sinicæ fundamenta, non abs re futurum exiſtimo, ſi quædam annotavero, unde genium Imperatoris Philoſophi agnoſcere licet. Totum imperium concepit inſtar unius familiæ & eam voluit eſſe relationem inter Magiſtratum & ſubditos, quæ inter parentes & liberos intercedit. Atque hæc relatio eſt conſtans ratio, juxta quam omnia in imperio determinata. Vſus autem *principio reductionis*, quod maximi momenti in arte inveniendi eſſe pro comperto habemus, ex cœli terræque contemplatione ſibi normam præſcripſit ad populi & Reip. rectam adminiſtrationem, referente *Coupleto* in proœmiali declaratione f. 76. Patet vero ex iis, quæ idem *Coupletus* f. 34. & 37. commemorat, quod cœli terræque ordinem & conſtantiam admiratus & perquam ſollicite ſtudioſeque imitari conatus fuerit. Quodſi hæc attentius rimeris, nullus dubito fore, ut in meditationibus *Fohianis* inexpectatam profunditatem admireris. *Fo hi* rerum aſtronomicarum, ceu patet, peritus cognoverat, aſtra perenni motu revolvi & in motu ordinem ac conſtantiam obſervari. Neque enim incerta lege vagantur, ſed ſunt quædam jura poli, quæ ſuperiori demum ſeculo apud nos a ſagaciſſimo *Keplero* detecta num *Fohio* perſpecta fuerint dubito, etſi tale quid ſubeſſe ſuſpicatus fuiſſe videatur. Singuli planetæ diverſas amant revolutionum periodos, quæ, cum conſtante lege determinentur, conſtantes ſunt. Quia vero ſingulæ eadem lege tenentur, in varietate earundem amicus obtinet conſenſus, ut motuum Syſtema ſit perfectum. *Fohius* itaque imperium ad normam cœli compoſi-

turus

perii in China fundatorem venerantur *Sinæ*. Succeſſere *Xin*
c *nùn*

turus id egit, ut totum evaderet ſyſtema harmonicum: id quod ſe obtenturum confidebat, ſi omnes omnino omnium actiones conſtante quadam lege determinarentur. Hanc ideo ſupremam ſtatuit legem, ut inter ſuperiores & inferiores, ſeniores & juniores, imperantes & parentes, ſupremum Monarcham & totum imperium eadem cenſeatur relatio, quæ inter parentes atque liberos intercedit. Quodſi officia juniorum erga Seniores, ipſorum fratrum natu minorum erga natu majores, inferiorum erga ſuperiores, parentium erga imperantes, regulorum erga Imperatores in Philoſophia Sinenſium inculcata inter ſe conferas; abunde, ni fallor, perſpicies, quod ex illa relatione fuerint deducta. Quamobrem etſi nihil de Philoſophia Sinenſium morali & civili memoriæ proditum proſtaret, quam quod de præclara *Fohii* ingenio & acumine eminentis intentione in medium attuli; illud abunde ſufficere ad philoſophiam Sinenſium moralem atque civilem reſtituendam haud diffitebitur, qui ſcientiam exquiſitam cum accurata methodo conjunxit. Multo igitur magis idem ſufficit ad genuinam *Sinarum* doctrinam a ſpuria diſtinguendam, ſi quando explicatio interpretum ſenſum ancipitem fundit, aut *Noellius* eum *Coupleto* & ejus Sociis non conſentiat. Dabimus infra ejus rei exemplum, dicto fidem facturi. *Fohius* legislator parentis perſonam induit & ex parentali reſpectu deduxit leges, quæ in hunc usque diem per annos 4677. continent imperium vaſtiſſimum, in quo virorum numerus a 59000000. parum diſtare cenſetur. Vid. *Coupletus* ſub finem *Tabulæ chronologicæ* f. 105. Eventus itaque abunde confirmat, quænam ſit vis & efficacia legum, ſi legislator in iis ferendis perſonam tueatur. Valeat ergo oſcitans & dormitans ſciolorum nonnullorum & plurimum ſibi arrogantium ſapientia, qui ut habeant, quod dent crimini, ſupercilioſe pronunciant, ſi legislator parentis perſonam induat, nullas amplius fore leges proprie ſic dictas, & ſublata omni morum honeſtate, omnem Remp. collabi. Utinam de iis, quæ ad

civilem

nun (8), *Hoam ti* (9), *Yao* (10) atque *Xun* (11), qui, quæ *Fohi* primus

civilem ſcientiam morumque doctrinam faciunt, *Confucium* imitari non ſtatuerent, quibus rationum pondera examinare non datum eſt, antequam experimento ad ſtatuendum ducerentur!

(8) *Xin num* fuit ſucceſſor *Fohii* in imperio, vir ingenii placidi, clementiæ ſummæ, acuminis maximi. Iis adeo animi dotibus erat præditus, quales in ſucceſſore *Fohii* ad firmandum & ſtabiliendum imperium requiſiveris. Quamobrem cum *Fohio* nulla neceſſitudine ſanguinis conjunctus eſſet, prudenti conſilio a conditore Monarchiæ videtur ſucceſſor conſtitutus: id quod mihi vel ideo probabile videtur, quia quintus ipſius *Xin nun* ſucceſſor *Yao* ſimile conſilium cœpit & præteritis novem filiis ipſum *Xun* ſolius virtutis habita ratione ſibi ſucceſſorem conſtituit. Neque improbandum eſt hoc inſtitutum. Etenim cum primis Imperatoribus curæ cordique eſſet optima, qua fieri poteſt, ratione conſtituere imperium, nec ſancire vellent niſi explorata, ne qua in re a veri tramite aberrarent; ideo fieri non poterat, ut fine intento potirentur, niſi unusquisque eorum certus foret, Succeſſorem eadem ſecum meditari & tanto molimini eſſe parem.

(9) *Hoam ti* ſtabilito per *Fohium* & *Xin num* imperio anno ante Chriſtum 2697. imperare cœpit & Conditorum veſtigiis inſiſtens ſcientiarum, artium, commerciorum incrementa curæ cordique habuit. Imperator electus a regulis anno ætatis duodecimo annos 100. imperavit.

(10) *Yao*, quintus *Sinarum* Imperator, anno ante Chriſtum 2357. imperare cœpit. Equidem & *Xao hao*, *Chuen hio* & *Ti co*, qui ante ipſum ab A. 2597. ante Chriſtum natum usque ad A. 2365, quo diem ſupremum obiit *Ti co* imperio præfuerunt, in Rep. melioranda ſuam non ſunt paſſi deſiderari operam, cum, ut alia ab ipſis optime conſtituta taceamus, *Xao hao* urbes condiderit murisque circumdederit, *Chuen hio* jam antiquiſſimis iſtis temporibus calendaria introduxerit, *Ti co* publicos præceptores edocendis populis conſtituerit & Muſicam vocalem ad unionem mutuam

primus inſtituerat, ulterius perficiebant, donec tandem Imperatores familiarum *Hia*, *Xam* & *Cheu* (12) tam regimen, quam leges ad ſummam, quam attigêre, perfectionem evexerunt.

tuam & virtutum ſtudia provocantem inſtituerit; *Yao* tamen operam inprimis dedit, ut Remp. ab anteceſſoribus optime conſtitutam optimis legibus muniret. Eſt idem conditor ſex ſupremorum tribunalium, quæ hodienum perſeverant & legislator quinque ſuppliciorum genera inſtituit, ut a libidine peccandi deterrerentur refractarii. Vid. Tabula chronologica f. 2. 3.

(11) Cum *Yao* abunde perſpiceret, ſibi opus eſſe ſucceſſore ſui ſimili, virum obedientiæ fama clarum *Xun* ex agro ad præfecturam primum evocavit. Poſtquam genium ipſius ac præclaras dotes integri triennii examine probatas agnoverat; eundem ad imperii ſocietatem evexit & ſucceſſorem deſignavit. Is veſtigia *Yaonis* premens plures addidit leges, quibus adhuc opus erat. Neque enim imperii Sinenſis Conditores & primi Imperatores per præcipitantiam tulerunt leges: neutiquam ſanciverunt, niſi quod experimento multiplici comprobatum haberetur. Quamobrem legislatores ipſimet nolebant eſſe exleges; verum legem ante ſuarum actionum normam conſtituebant, quam eam ſubditis ferrent. Inde contigit, ut *Yao* & *Xun*, primarii *Sinanum* legislatores, totius poſteritatis Principibus norma & exemplar extiterint hodienumque celebrentur, & ex eorum potiſſimum dictis factisve ſuam philoſophiam condiderit *Confucius*. Vid. Tab. Chron. f. 3. & vita *Confucii* f. 120.

(12) Tres iſtæ familiæ *Hia*, *Xam* & *Cheu*, quorum genealogiam peculiari Tabula notis illuſtratam dedit *Coupletus*, ceteras omnes, quæ ſecutæ ſunt, & annorum diuturnitate, & felici adminiſtratione, & virtutum laude longe ſuperarunt. Vid. Tab. geneal. f. 8. Imperatores illarum tam regimen, quam leges ad ſummam, quam attigere, perfectionem evexiſſe, fide *Noellii* affirmo (not. 6.), quamvis nec deſint argumenta in Tabula chronologica, quibus idem confirmatur. Familiam *Hia* fundavit *Yu* cognomento *Magnus*,

Respubl. Sinarum collabitur.

Enimvero quæ est rerum humanarum vicissitudo! vix ad tantum fastigium ascenderat *Sinarum* sapientia & in Rep. administranda prudentia, cum sensim sensimque utraque iterum deficeret ac tantum non prorsus evaneseeret, Principibus a virtutis tramite recedentibus, nec legum a Majoribus tam caute sancitarum rationem ullam habentibus, Doctoribus in scholis muneri suo non amplius satisfacientibus, subditis quibusvis ad mores degeneres pronis & in vitiorum stadio circumerrantibus (13). Deploranda profecto tum erat

gnus, quem *Chuen hio* ex quinta stirpe nepotem postpositis filiis successorem elegit *Xun*. Familia ista ab anno ante Christum 2207. usque ad A. 1766. imperavit. Secundam *Xam* fundavit *Chim tam*, nepos primi Imperatoris *Hoam ti* ordine decimus septimus, penes quam imperium fuit usque ad A. 1121. ante Christum natum. Tertiæ denique autor est *Vu vam*, quæ imperio præfuit usque ad annum ante Christum 254. Eminet in familia *Hia* præter *Yu* conditorem *Xao Cham*, in familia *Xam* præter *Chim tam* conditorem *Tai kia*, *Zu ye*, *Puou kem* & inprimis *Vu tim;* in familia tertia præter *Vu vam* conditorem *Chim vam, Cam Vam*, *Siven vam*, *Lim vam*. Eorum præclare facta ex instauratione Reip. potissimum elucent, ob malam antecessorum administrationem subinde haud parum collapsæ.

(13) A primo imperii Conditore *Fohi* usque ad primæ familiæ imperialis fundatorem elapsi sunt anni 754., qui integri in constituendo & stabiliendo imperio fuerunt consumti, ut nihil per præcipitantiam sanciretur. Plurimum autem profuit, tum quod imperatores essent longævi, tum quod successores denominarent, quos tanto molimini pares fuerant experti. Enim vero postquam imperio stabilito *Ti ki* filius *Yu* a regulis fuerat electus, non attento successore, quem is denominaverat, & successio hæreditaria introducta; a pristinis moribus defecere Imperatores bene multi, populo exempla ipsorum imitante. Ita *Tai Cam* filius *Ti ki*, ut habet Tabula chronologica f. 4. luxui & venationi deditus

res

erat imperii Sinenſis facies! Quis enim non lugeret, *Auditores*, Majeſtatem optima ſui parte, virtute ac prudentia, orbatam; leges, quibus communis omnium ſalus continebatur, peſſime conculcatas; ſcholas, in quibus animi tenelli optimis moribus imbuebantur, adulti in recto honeſtatis tramite detinebantur, tantum non collapſas; populum denique univerſum ſegnitie ac deliciis diffluentem ad devia delapſum?

Confucius res Sinarum collapſas reſtaurat.

Verum enimvero cum adeo perturbata eſſet rerum *Sinenſium*

ſtatus, res imperii neglexit. *Ti ſiam* degener regimen imperii Regulo *Y*, hic *Hanzo* committit, a quo tandem e medio ſublatus. *Ti Hoay* otio & veneri ſe dedit, rerum adminiſtratione Miniſtrorum libidini relicta. Iisdem moribus præditi fuere *Ti kin*, *Cum kia* & *Ti cao*, ac *Kie* ultimus familiæ *Hia* cum laſcivia tyrannidem conjunxit. Similiter cum altera familia imperaret, *Siao Sin* otio & luxui totum ſe dedit & frater *Siao ye* non melioribus præditus fuit moribus. Perditiſſimi quoque fuere mores *Zu kia* & filii *Lin ſin:* imo *Vu ye* blasphemus & ſceleſtus, & *Cheu* libidinoſus tyrannum egit, ultimus familiæ Xam Imperator. Tertiæ familiæ Imperator quartus *Chao vam* venationi deditus res imperii neglexit: nec majori cura easdem adminiſtravit *Ye Vam*. Crudelis, ſuperbus & prodigus fuit *Li vam*, ut, ne plebis furentis manus violentas experiretur, aufugere cogeretur: *Yeu vam* princeps degener & libidinoſus fuit. Mox diſſidiis internis forma imperii labefactata. Sub *Kien Vam* oriebantur hæreſes, quibus ſcientia morum evertebatur: etenim *Me* tollebat officiorum ſubordinationem a Sinis prudenter factam, omnes æqualiter amandos eſſe inculcans, nullo ne parentum quidem diſcrimine; *Yam* vero præcipiebat, ſui tantummodo habendam eſſe curam. Et hiſce quidem temporibus natus *Confucius*. Vid. Tabula chronologica a f. 5. usque 13. quæ Imperatorum mores & facta breviter indicat. Nullus dubito, quin, ſi *Sinarum* Annales nobis ad manus eſſent, ſingula, quæ *Noellii* fide in Oratione referimus, exemplis illuſtrare & ſpecialius confirmare daretur.

ſtatus, *Confucius* (14), virtute ac doctrina ſingulari excellens (15), divina providentia datus (16), collapſum inſtaurare cœpit. Equidem

(14) *Confucii* vitam conſcripſit *Coupletus* & Scientiæ Sinenſi præmiſit f. 117. & ſeqq. Natus eſt A. 551. ante Chriſtum in Provincia *Xan tum*, patre *Xo leam he*, Præfectu ditionis *Ceu*, viro ſeptuagenario, quo anno ætatis tertio orbatus. Anno jam ſexto a luſibus puerilibus abſtinuit & decimo quinto lectioni librorum ac meditationi ſe totum dedit. (Conf. not. 5.). Poſtquam ritus civiles didicerat, anno ætatis 19 vel 20 uxorem duxit, ex qua anno ſequente filium genuit, qui ante patrem obiit. Variis in locis geſſit magiſtratum ſumma cum laude. Indefeſſum ipſius fuit ſtudium in divulganda doctrina, etſi non deeſſent, qui vitæ inſidias ſtruerent, & ipſe aliquando ad ſummam paupertatem redigeretur. Commendantur ejus virtutes gravitas, animi moderatio, fides, æquitas, lenitas ſingularis, contemtus opum & honorum, ſtudium indefeſſum in propaganda doctrina, animi demiſſio prorſus inſolita, vigilantia in ſuorum vitiorum emendatione. Obiit anno ætatis 73 lethargo 7 dierum extinctus. Corpore fuit admodum procero: facies ipſi lata, oculi prægrandes, vox gravis, inſtar tonitru.

(15) Virtutes *Confucii* attenta librorum claſſicorum lectio prodit, quibus ejus doctrina continetur, facta complura recenſentur. Enimvero prolixum nimis foret, ſi eas hic recenſere ſuisque comprobare documentis vellemus. Dabitur forſan alio tempore occaſio, quo hanc telam commodius pertexere licebit.

(16) Nullus ego affirmare dubito, *Confucium* divina providentia datum *Sinis*, ut res eorum collapſas reſtitueret. Etenim in Meditationibus metaphyſicis de Deo, anima & mundo, ac entibus in genere, capite cosmologico oſtendi, omnia in univerſo eſſe inter ſe connexa non modo per cauſas efficientes, verum etiam finales. Et in Theologia naturali demonſtravi, Deum hæc ita ſibi mutuo ſubordinaſſe & pro ſumma, qua gaudet, ſapientia ipſum malum dirigere ad bonos fines, quod creaturæ vitio accidit,

dem non ea ipſius erat felicitas, ut in regia dignitate collocatus (17) leges Reip. ſalutares condere, conditas promulgare, ad promulgatas alias alligare valeret; ſed ſolas Doctoris (18) partes pro virili explere

dit, ipſo permittente, etſi non approbante. Quamobrem cum *Confucius* illo præciſe tempore naſceretur, cum mores Imperatorum ac populi degeneres imperii interitum minitarentur, & *Yam* atque *Me* philoſophiæ practicæ fundamenta perverterent, dogmata ad mores pravos componerent (not. 13.); nativitatem viri iis omnino animi dotibus præditi, quas in reſtauratore poſcebat ſeculi genium, divinæ providentiæ effectum veneror, a cauſis ſecundis ad primam continuo aſcendens & ex nexu rerum ſapiente voluptatem percipiens.

(17) *Confucius* recta linea deſcendit a primo *Sinarum* Imperatore *Hoam ti*, a quo ortum ducunt tres familiæ imperatoriæ, de quibus diximus ante (not. 12.). Apparet hoc ex Tabula genealogica trium primarum familiarum imperialium & quidem ex Tabula familiæ ſecundæ *Xam* f. 4. Monet *Coupletus* in Notis ad hanc Tabulam f. 5. ipſius quoque filium & nepotes usque ad noſtra tempora ſplendorem familiæ conſervaſſe, quorum 67 ordine Ducis titulo A 1683, quo hæc ſcripſit *Coupletus*, ſolus e *Sinis* ab omni tributo liber reſedit in urbe natali *Kio feu* provinciæ *Xantum*. Et in vita *Confucii* f. 118 idem fatetur, ſtirpem *Confucii* perpetua poſterorum ſerie cum non vulgari opulentia, quam dignitate ad hæc usque tempora perſeverare. Eſt autem præfectus dignitas, qua pater ejus fulgebat, apud *Sinas* primaria quædam, ad quos Imperatores filios fratresque ſuos evexere, tabula chronologica teſte. *Confucius* tamen non perinde ac *Fohi*, *Yao* atque *Xun* imperii habenas tenebat, ut pro autoritate imperare poſſet, quod ſalutare futurum agnoverat.

(18) Non alias, quam Doctoris partes pro virili explere ſatagebat *Confucius*. Quamobrem magiſtratum gerens ultro ſeſe eodem abdicavit aliquoties, quam primum intelligeret, adeſſe obſtacula, quæ removeri nequeant, quo minus publicæ utilitati præclare con-

explere integrum ipſi erat. Quamobrem etſi facere non poſſet, quod vellet; fecit tamen, quod potuit, nec quicquam eorum prætermiſit, quæ ad Doctoris munus ornandum, nedum obeundum, ab ingenio ejus proficiſci poterant.

Dogma antiquum Sinarum fundamentale.

Altas tunc temporis in animis Sinenſium radices egerat dogma ab antiquis Philoſophis, qui iidem erant Imperatores ac Principes, egregie ſtabilitum, Imperatoris ac Regum exempla ſubditis eſſe actionum normam, cumque Imperatores ac Reges antiquiſſimi eam vitæ ac regiminis rationem elegiſſent, quæ exemplo aliis eſſe poterat, iidem tum ob morum ſuavitatem & elegantiam, tum ob ſummam in regimine prudentiam uno omnium ore adhuc celebrantur.

Unde Confucius ſua hauſerit.

Confucius itaque priſcorum Imperatorum ac Regum Annales (19) ſollicita conſulat ſuamque doctrinam Reip. adeo ſalutarem propaget: cujus rei exemplum illuſtre refert *Coupletus* in vita f. 118., cum res publicas in regno *Lu* adminiſtraret, Rege libidini ſeſe devovente.

(19) *Sinarum* induſtria in conſcribendis Annalibus prorſus ſingularis. Refert *Coupletus* in Declaratione proœmiali part. 2. §. 4. f. 69., Hiſtoriographos ab ipſo Imperatore eligi, quibus demandatum eſt, ut res omnes eodem, quo geruntur, tempore in annales referant. Enimvero ne in conſignandis factis affectui aliquid dent, ſive ſpe præmii obtinendi, ſive metu damni, prudentiſſime cautum eſt, ne in lucem publicam proferantur, niſi extincta familia imperante. Annales adeo Sinici ſingulari prorſus fide digni ſunt & eadem de cauſa maxima eorundem apud *Sinas* autoritas. Et hæc etiam ratio permovit *Coupletum*, ut Annalium Sinicorum fidem a condito imperio defendat, etſi chronologia cum computo noſtro vulgari non ſatis conſentiat. Experti enim fuere Miſſionarii, quantum obſtaculum religioni Chriſtianæ apud *Sinas* propagandæ inde objiciatur, ſi ea in dubium vocare volueris, quæ ab ipſis manifeſtiſſima habentur. Præterea Annales tanta accu-

ſollicita cura evolvit, quæ ab iis de recte vivendi regendique norma fuerant ſancita ipſorumque exemplis confirmata excerpſit, quæ ſummo cum ſtudio excerpſerat, animo voluit iterumque revolvit ac tandem ſatis excuſſa & in ſeipſo comprobata (20) diſcipulis ad ſeros nepotes transmittenda tradidit. En *Confucium* ſapientiæ *Sinicæ* non autorem, verum reſtauratorem (21)! Etſi autem non novam vi-

 vendi

accuratione conſcripti, quantam in Sinenſibus deprædicamus, inſerviunt ſcientiæ morali atque civili, cum factorum & eventuum nexus inde luculenter perſpiciatur, quem in hiſtoria communi vix conjectando aſſequi licet. Atque nunc intelligitur, cur *Confucius* ſcientiæ morali & civili operam daturus tanto ſtudio atque labore Annales veteres evolverit. Accedit, quod *Fohi*, *Xin Nun*, *Hoam ti*, *Xa hao*, *Chuen hio*, *Ti co* & inprimis *Yao* atque *Xun*, qui imperium condiderunt & ſtabiliverunt, præclara virtutum atque prudentiæ civilis conſummatæ, exempla exhibeant, ut ex iis, quæ fecere, in philoſophia cum morali, tum civili omnium optime proficere liceat, illi præſertim, qui curæ cordique habet, ne in dogmatum cenſum admittat, quorum praxis in poteſtate non eſt.

(20) *Couplet*us in Vita *Confucii* f. 119. de Philoſopho ita ſcribit: *Quæ ſcripto verboque præcipiebat, primus ipſe moribus exprimebat & vita, cujus rei teſtimonium ſatis luculentum præbere poteſt tantus tot illuſtrium virorum numerus, qui in diſciplinam ejus ſeſe contulerunt, & eorum, qui, quæcunque geſſit dixitque, quamvis minutiſſima, ceu oculati teſtes, poſteritati prodidere.* Operæ pretium facerent Miſſionarii, ſi vitæ *Confucianæ* deſcriptionem perfectam Europæis non inviderent. Vita enim *Confucii*, ſi integrum factorum & dictorum complexum exhibeat, theſaurus ſcientiæ moralis atque civilis habetur, cum quo conferri nequeunt, quæ a Philoſophis Græcis ad nos pervenerunt. Multa ad vitam ejus ſpectantia ex libris claſſicis peti poſſunt.

(21) Vide, quæ ſupra (not. 5.) dicta ſunt. Adde, quod in Vita f. 120. perægre id tuliſſe dicatur, quod quidam eum cum ſapien-

tia

vendi atque regendi normam cuderet Philoſophus (22), proprio ingenio minime deſtitutus (23), cum non vana laudum libidine duce-

tia natum aſſererent, ingenue profeſſus, ſe profiteri doctrinam non ſuam, ſed priſcorum, inprimis autem Imperatorum *Yao* & *Xun*, quos præ ceteris magni fecit.

(22) Laudi ducitur Philoſopho, quod antiqua non ſpreverit, nondum explorata, quotque experimento comprobata retinuerit ac diſcipulis propoſuerit. Plures afferri poſſunt rationes ſpeciales, ſi ad *Sinarum* genium & mores reſpicias. Magnum apud eos momentum habet antiquitas; multa conditorum & legislatorum imperii penes eosdem eſt autoritas. Nova non admittunt, niſi quatenus antiquis conſona. Quæ multiplici experimentorum fide nituntur, firmius robur ipſis habere videntur, quam quæ ab examine adhuc expectant certitudinis ſuæ complementum. Doleo, ſub prætextu libertatis philoſophandi apud nos introductos eſſe mores a *Sinarum* genio prorſus abhorrentes, ut antiqua ſordeant, quod non ſint nova, & antequam examini ſubjiciantur, ludibrio tyronum exponantur, omni ſtatim juvene novam philoſophiam cudente, quamprimum intempeſtive docentium numero ſeſe ingerit. Placet utique *Confucii* inſtitutum, ut antiqua ad trutinam appendantur, antequam de eorum valore ſtatuatur; quæ juſti ponderis deprehenduntur, minime rejiciantur, ſed potius retineantur & inculcentur, nec nova admittantur, niſi quatenus veritati antiquæ conſentanea deprehenduntur. Philoſophia non continuo innovanda; ſed emendanda & ulterius perficienda, ſive methodum ſpectes, ſive rem ipſam. Idem inſtitutum Mathematicis arridet, quæ ratio eſt, cur diſciplinæ mathematicæ continua capiunt incrementa.

(23) Acre philoſophi judicium arguunt ipſius dicta; ingenium cum acumine junctum metaphorice & argute dicta una cum imitaminibus aliorum in caſibus prima ſpecie diſſimilibus. Eſt nimirum ingenium, quod alibi oſtendi, quædam ſimilitudines obſervandi facilitas, & acumini jungitur, quoties iſta ſimilitudo non in oculos

duceretur (24), ſed in gentis ſuæ felicitatem ac beatitatem ferretur (25):

Con-

los incurrit, ſed mentis demum judicio ſubeſt abdita rimantis: acumini vero ſi jungitur ingenium, judicium acre abeſſe nequit. Occurrent inferius paſſim judicii ac ingenii exempla. Qui his contentus non eſt, ipſemet evolvat libros Claſſicos imperii Sinenſis *Noellii* aut, ſi his careat, *Confucium* Miſſionariorum (*not.* 1.).

(24) Refert *Coupletus* in vita f. 119, Philoſophum *tanta fuiſſe animi demiſſione, ut non ſolum de ſe ſuisque rebus modeſte loqueretur, ſed ultro quoque & palam argueret ſeſe, quod nec in diſcendo eſſet impiger, nec conſtans in docendo, neque ea, qua par erat, vigilantia vitiorum ſuorum emendationi & ſtudio virtutum exercitioque operam daret.* Immo nullam ex doctrina laudem quærens palam profitebatur (*not.* 5.), ſe non eſſe doctrinæ, quam profitebatur, autorem. Idem arguit ſtudium ſuis moribus ante exprimendi, quod præcipiebat, quam id aliis inculcabat (*not.* 20.). Hue pertinet, quod ſtudioſe inculcaverit, ne quidem inter gentes barbaras & incultas vel unico temporis momento ſtudia virtutis abiicere licere, etſi iſtæ virtuti pretium ſtatuere nequeant. Vid. Scientia Sinenſis Lib. 3. part. 7. f. 95. Pertinent huc alia, quæ brevitatis gratia omittimus. Unicum addo, quod laudes non meritas ægre ferens diſerte negavit, ſe ad gradum perfectæ & conſummatæ virtutis pervenire poſſe. Vid. *Coupletus* in Vita f. 120.

(25) Ex familia imperiali cum ortum traheret (*not.* 17.), haud difficile ipſi fuiſſet, ad dignitates primarias in imperio aſcendere & in iis vitam cum voluptate tranſigere. Immo geſſit etiam aliquoties magiſtratum, referente Coupleto in Vita f. 118. magna cum laude; ſed non alio ſtudio, quam publicæ vtilitatis & ſpe propagandæ doctrinæ ſuæ. Quamobrem cum finem ſibi propoſitum non conſequeretur, tollendis obſtaculis impar, magiſtratu ſeſe ultro abdicavit. Immo teſtatur ibidem *Coupletus*, fide Annalium Sinicorum tanta fide digniſſimorum (*not.* 19.), quod

Confucii autoritas.

Tanta tamen ipſius & olim erat, & hodienum exiſtit autoritas, ut, cum olim Doctoris munere fungeretur, ter mille diſcipuli ad dogmata ejus haurienda confluerent (26), nunc vero eum *Sinenſes* eodem in pretio habeant (27), quo Judæi (28) *Moſen*, Turcæ

ardens atque indefeſſum ſtudium divulgandæ per totum imperium ſanioris doctrinæ ad extremum usque ſpiritum non remiſerit & quod, cum ipſius *ardor patriis finibus ægre contineretur, non ſemel de navigando mari terrisque remotioribus adeundis cogitaverit.* Cui hæc non ſufficiant, ut perſuadeatur, *Confucium* prono propendiſſe animo in gentis ſuæ felicitatem; is evolvat animoque attento revolvat dicta & facta *Confucii* in libris Claſſicis relata complura alia. Mihi non modo ſufficiunt ad propenſum *Confucii* in gentem ſuam animum perſuadendum; ſed eadem me convincunt, quod eodem erga univerſum genus humanum fuerit animo, quo erga gentem ſuam uſus. Id enim abunde docet Philoſophi intentio in terras remotiores proficiſcendi, præſertim ubi conſideres, Sinis eam inſediſſe opinionem, quod omnes gentes ceteræ eſſent barbaræ, veritatis luce omni deſtitutæ (*not.* 2.).

(26) Numerus diſcipulorum *Confucii* in ipſis libris claſſicis exprimitur idemque apud nos in vulgus notus. Addit *Coupletus* in Vita f. 119, ex iis quingentos extitiſſe, qui variis in regnis magiſtratus geſſerunt: qui præ ceteris autem virtute litterisque eminerent, duos & ſeptuaginta fuiſſe & in his decem ſelectiores.

(27) Magnum eſſe honorem, qui *Confucio* hodienum a *Sinis* defertur, extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſt. *Coupletus* in proœmiali declaratione f. 13. auctor eſt, *nulli unquam Philoſophorum apud Europæos homines, immo nec ipſi quidem Delphici Apollinis oraculo tantum fidei vel autoritatis priſcam ætatem tribuiſſe, quantum China tribuat* Confucio *ſuo.* Addit, eandem Philoſophi autoritatem etiam apud vicina *Sinarum* regna eſſe. Idem in vita refert f. 121. *In ſingulis oppidis & urbibus erecta eſſe viro ac dicata Gymnaſia, ante quorum fores quotiescunque tranſeunt,*

ſeunt, qui e litteratorum ordine publicos gerunt magiſtratus, protinus e ſublimi auguſtaque ſella, in qua more gentis geſtantur, venerabundi deſcendant, & paſſus aliquot pedites viam ſuam proſequantur. Idem auctor eſt, in Gymnaſiis trabalibus & auratis litteris exaratos titulos, *Magno Magiſtro, illuſtri litterarum Regi, Sancto* &c. Imperatores familiarum *Han, Sui, Tam, Sum, Yven* Philoſophum tantum non *ſupra laudes humanas* evexiſſe. Immo non diffitetur, *Sinas* ante tabellas, quibus inſcripta ſunt ipſius elogia ac diſcipulorum nomina, poplitem curvare. Non ignota eſt controverſia, quæ de cultu *Confucii* inter Miſſionarios e Societate *Jeſu* & e *Dominici* familia intercedit, quorum hi contendunt, cultum a *Sinis* exhibitum *Confucio* eſſe religioſum, illi autem ſtrenue defendunt, eundem non eſſe niſi mere civilem. *Jo. Franciſcus Buddeus* in hiſtoriæ philoſophicæ ſuccincta delineatione c. 6. §. 41. p. 93. R. R. P. P. *Dominicanorum* partes amplecti videtur, affirmans, *tantam hodienum apud omnes* Confucii *eſſe venerationem, ut ſolenni cultu velut* Deum *eum proſequantur.* Meum non eſt dirimere hanc litem, cum nec propriis oculis videre liceat, nec ſatis perſpecta ſint *Dominicanorum* argumenta, quibus cultum religioſum tuentur, etſi viſa, quæ *Coupletus* in Vita *Confucii* pro cultu mere civili in medium attulit f. 122. Illud ex libris claſſicis liquet, quod *Confucius* egerit morum doctorem ſeque ipſum dicat præconem (*not.* 5.). Immo ex iisdem liquido conſtat, quod autoritas *Confucii* rationis loco fuerit jam olim diſcipulis, & erecta Gymnaſia, in quibus *Confucii* dicta & facta docentur ad litteratorum gradus adſpirantes, abunde teſtantur, quod hodienum communem Doctorem venerentur *Sinæ* in toto imperio. Immo dubio caret, quod hodienum in autoritate ipſius acquieſcant, ita ut nefas habeatur dubitare de eo, quod dixit *Confucius*, vel improbare, quod exemplo ipſius confirmarunt diſcipuli. Cum his conſentit decretum Imperatoris *Yum lo* a *Coupleto* in Vita f. 123. relatum: *Ego veneror* Confucium *Imperatorum & Regum Magiſtrum. Imperatores & Reges Domini ſunt populorum.* Confucius *autem rectam populorum inſtitutionem propoſuit, tria illa vincula, normam item quinque*

universalium virtutum & Sinensis imperii magnam symmetriam & formam. Omnia hæc Confucius *declaravit, ut omnia secula erudiret.* De eo igitur dubitari nequit, *Confucium* haberi a *Sinis* pro communi gentis suæ Doctore infallibili, qui ipsi tradiderit vera morum & imperii administrandi præcepta & exemplo præiverit, ita ut in ipsius autoritate sit acquiescendum. Atque hactenus *Sinæ* idem *Confucio* suo pretium statuunt, quod Judæi *Mosi* & Turcæ *Mohammedi* decernunt, immo eandem *Confucii* dictis & factis autoritatem tribuunt, quam nos Christi dictis & factis tribuimus. Sparsere homines in calumniis omne præsidium collocantes rumores nefandos, Christum cum *Confucio*, *Mohammede* atque *Mose* in eundem a me censum fuisse relatum, quasi vero *Buddeus* dicendus sit *Confucium* cum Deo (absit blasphemia dicto!) in eundem censum retulisse, quod affirmarit, *Sinas* solenni cultu veluti Deum prosequi *Confucium.* Quemadmodum enim ipse minime probavit *Sinarum* cultum *Confucianum*, multo minus asseruit eum jure Deo æquiparari; ita nec nos *Confucii* infallibilitatem agnoscimus, multo minus defendimus, non majorem Christo honorem tribui debere, quam vel *Sinæ Confucio*, vel Turcæ *Mohammedi*, vel Judæi *Mosi* tribuunt.

(28) Ex sacris litteris constat, *Mosen* tradidisse Judæis non modo præcepta morum, verum etiam leges civiles, prætereaque docuisse cultum, quem Deus sibi in antiquo fœdere deferri voluit. Ideoque Judæi *Mosen* agnoscunt Doctorem suum, eumque unicum & infallibilem, in cujus dictis & factis sit acquiescendum, ab iis diversa docentem non audituri. Atque in eo convenire mihi videntur *Sinæ* cum *Judæis*, ut a vero aberrasse dicendus non sim, ubi asserui, *Confucium* a *Sinis* tanto in pretio haberi, quo a *Judæis* habetur *Moses.* Utrique enim agnoscunt, Doctorem suum sibi tradidisse recte vivendi normam, in ejus dictis & factis nil posse reprehendi, nec audiendum esse alium diversa tradentem. Idem ergo *Judæorum* & *Sinarum* factum. De facto nobis sermo est; non de jure. Factum *Sinarum* cum facto Judæorum conferimus & identitatem utriusque agnoscimus: minime autem *Confucium* cum *Mose* aut dogmata & facta *Confucii*

cum

ex *Mohammedem* (29) habent, immo quo nos Christum (30) habemus,

cum dogmatis & factis *Mosis* comparamus, multo minus asserimus, eodem jure tantam apud *Sinas* esse *Confucii* autoritatem, quanta *Mosis* est penes *Judæos*. Cui, quæso, est tam hebes oculorum acies, ut hæc non videat?

(29) Turcæ *Mohammedem* legatorum Dei ultimum & excellentissimum habent, ab erroribus & peccatis magnis immunem pronunciant, eum abrogasse affirmant omnem legem, quæ ante ipsum erat data, immo Prophetas omnes, quamvis diversi fuerint in institutis suis, *Adamum*, *Noachum*, *Mosen*, ipsum *Christum* eandem religionem fuisse amplexos ac *Mohammedem*: immo contendunt, *Alcoranum* a Deo ad *Mohammedem* cœlitus fuisse demissum, ita ut infidelium numero accenseatur, qui eum abnegat, vel de unico ejus verbo dubitat, cum Deus promisisse dicatur, se ipsum curam *Alcorani* habiturum, ne quid ei possit addi, vel demi. Videatur *Hadrianus Relandus* de religione *Mohammedica*, vir in litteratura Arabica eminens, p. 25. 27-31. 37. 14). Apparet itaque Turcas *Mohammedem* agnoscere unicum eumque infallibilem Doctorem suum, atque ejus & dictis & factis eandem autoritatem tribuere, quam *Sinæ* dictis & factis *Confucii*. Comparamus hic quoque factum *Sinarum* cum facto *Turcarum* & utriusque identitatem asserimus: nequaquam autem Mohammedes cum Confucio, nec dogmata & facta *Mohammedis* cum dogmatis & factis *Confucii* conferuntur.

(30) Nos Christi disciplinam longe sanctissimam sequimur cumque agnoscimus Doctorem nostrum unicum, qui nobis dedit non modo vivendi præcepta, sed viam etiam salutis æternæ consequendæ monstravit. Eum esse infallibilem & facta ejus omni labe expertia certa fide tenemus. Quatenus itaque dicta & facta Christi actionum nostrarum normam constituimus & in ejus autoritate acquieseimus; eatenus *Sinæ* in *Confucii* cultu nobiscum conveniunt. Enimvero nos non modo cum *Socini* asseclis Christum agnoscimus Doctorem nostrum, qui nobis morum præcepta dedit & exemplar virtutis existit: verum etiam in eum credimus tan-

mus, quatenus eum tanquam (31) Prophetam ſeu Doctorem a Deo nobis datum veneramur.

Fata

tanquam Salvatorem & redemtorem generis humani verumque Deum cultu religioſo proſequimur. Iſtiusmodi honor nec a Judæis *Moſi*, nec a Turcis *Mohammedi*, nec a Sinis *Confucio* defertur. Immo miſeræ iſtæ gentes in univerſum omnes ignorant Mundi Salvatorem & œconomiam ſalutis æternæ. Quamobrem addidi reſtrictionem, Sinas *Confucium* tanto in pretio habere, quo nos Chriſtum habemus, quatenus eum tanquam Doctorem a Deo nobis datum veneramur, nequaquam vero, quatenus eum tanquam filium Dei unigenitum & redemtorem noſtrum cultu religioſo proſequimur & in ipſum credimus.

(31) Addidi hanc reſtrictionem, tum quia neceſſaria, cum alias factum *Sinarum* non conveniat cum noſtro, tum ne incauti in Socinianorum errorem incidiſſe videremur. Ceterum cum manifeſtum ſit, non alio reſpectu factum *Sinarum* cum facto *Judæorum*, *Mohammedanorum* atque noſtro comparari, quam qui in notis præcedentibus a nobis declaratus fuit; nemo, me judice, iſta comparatione jure offendi poteſt. Quodſi quis fuerit, qui præter rationem offendatur, is omittat factum noſtrum, omittat factum *Judæorum*, ſubſiſtat in ſolo facto *Mohammedanorum*. Immo mittat etiam hoc, & cum *Coupleto* ſubſtituat (*not.* 25.), nullum Philoſophum tanto in pretio habitum unquam fuiſſe ab ulla gente, quanto *Confucius* habetur a *Sinis*. Ipſe hæc verba in Oratione ſubſtituiſſem, ne verba captandi anſam darem malevolis, niſi rationes ſingulares ſuaſiſſent orationem typis deſcribi, qualis a me recitata fuit. Theologus præclarus *Heineccius*, qui præſens erat, cum recitaretur, nemini a me dicta offendiculo eſſe poſſe judicabat, qui habeat animum ab affectuum impetu liberum. Enimvero cum ego a litibus abhorrens tempus in cognitione veritatis & mei aliorumque emendatione conſumere malim, ideo in verbis facilis ſum. Parum enim intereſt, ſive factum *Sinarum* cum facto hujus vel alterius gentis, ſive cum nullo conferas.

Fata dogmatum Confucii.

Equidem nec *Confucius* effecit, ut bonum regimen, mores boni conſtanter in *China* efflorescerent; habuit perinde poſt *Confucium* atque ante eundem *China* ſua intervalla, in quibus tum Doctores a *Confucii* acumine ac ingenio procul remoti dogmatum Philoſophi ſummi ſublimitatem & profunditatem minime attingebant; tum Imperatores atque Reges a priſcorum Heroum exemplis fulgentiſſima luce ingenii *Confuciani* colluſtratis abhorrebant, tum populus denique univerſus non eo tramite, quem monſtraverat *Confucius*, dux circumſpectus & providus (32), ſed diverſo incedebat:

Autoris propoſitum.

Noſtrum tamen non eſt tantas in præſenti diſcutere viciſſitudines rerum (33), quin opus potius magis præclarum molituri & veſtra,

(32) *Confucium* fuiſſe circumſpectum ac providum, vel exinde liquet, quod non proponeret aliis, niſi quod ipſe ſuis ante moribus expreſſiſſet (*not.* 5.). Paucos ſane reperire licet Doctores *Confucio* ſimiles! Sane noſtra ætate de rebus arduis judicium ferre ſibi ſumunt, antequam ad trutinam appenderunt, de cujus valore pronunciandum, immo judicis perſonam ſibi arrogant in decidendis controverſiis, antequam argumento controverſo intelligendo fuerint pares: tantum abeſt, ut, quæ ad mores formandos proponunt aliis, eorum experimentum ante in ſeipſis ſumant. Qui libros claſſicos *Imperii Sinenſis* evolvit, plures hinc colliget rationes, ob quas *Confucio* ducis circumſpecti ac providi elogium non invideat.

(33) Quædam huc ſpectantia ſuggerit Tabula chronologica, ex qua apparet, haud multis a morte *Confucii* annis filios *Chin tim vam* ſibi mutuo violentas manus intuliſſe ob imperandi libidinem & ſub *Cao vam* exorta eſſe inter Regulos bella per tria fere ſecula continuata: *Xio hoam ti* imperatorem crudelem & moneri impatientem 20 & amplius magnates neci dediſſe ac libros omnes præter medicos & judiciarios cremari juſſiſſe, in viros eruditos immanem ſæviiſſe; *Hoei ti* imprudentem commiſiſſe regimen matri

veſtra, Auditores, attentione digniora propoſituri in arcana *Philoſophiæ Sinenſis* paulo penitius inquiremus & abdita morum ac regiminis principia ultima ex abyſſo forſan non cuilibet acceſſa (34) erue-

per nefas imperanti & ipſo mortuo *Liu hen* filiam phyſiognomi contra omnia jura fuiſſe intruſam, fœminam crudelem & verſipellem. Status itaque imperii a morte *Confucii* usque ad imperatorem *Vu ti*, litterarum & imperii reſtauratorem, per trecentos fere annos maxime perturbatus fuit. Bene autem jam *Confucius* Scient. Sinenſ. lib. 2. f. 84. oſtendit, cur talis ſit grex, qualis eſt Rex. Vnde de ſtatu privato ex ſtatu publico tutum eſt judicium.

(34) Video enim levioris momenti videri vulgo Sinenſium dogmata & vulgaria. Sunt qui audacter pronunciant, Sinenſis ſapientiæ gratia non eſſe *Sinam* adeundam, eam quoque in noſtris Philoſophorum ſcholis addiſci poſſe: quæ tamen ipſimet de philoſophia morali & civili memoriæ prodiderunt, ea non reperio, quæ cum Sinenſium doctrina comparari poſſint, ſi attenta mentis acie perluſtrentur. Immo *Coupletus* in proœmiali declaratione f. 13. *Confucium* poſtponere videtur *Socrati*, *Platoni*, *Senecæ* & *Plutarcho* & f. 14. opus *Confucii* rude vocat & impolitum, ſi cum elegantia & venuſtate Europæa conferatur. Enimvero etſi hæc ita ſe habeant, ſi methodum ſpectes, doctrina tamen ipſa deprehenditur profunda, ſi dicta & facta *Confucii* ad rationes generales revocentur. Sunt enim ad regulas generales compoſita, cum iisdem ipſe expreſſerit, quæ in libro de *immutabili medio* docet. Et ex ſuperioribus liquet, *Sinas* id egiſſe, ut microcoſmus ſimilis evaderet macrocoſmo & imperium ad cœli terræque formam reduceretur (*not.* 7). In macrocoſmo regulas habemus, juxta quas motus corporum determinantur, & regulis iſtis principia generalia inſunt, quorum tandem ultima ratio in ſapientiam Numinis aliaque ipſius attributa reſolvitur, quæ alio loco & tempore clariſſime ſumus demonſtraturi. In microcoſmo habemus perinde regulas, juxta quas homo ratione præditus actiones libe-

ras

eruemus, eruta in apricum producemus, in aprico posita discernemus. Agedum itaque, Auditores, favete dicenti, aures præbete benignas &, si tam arduum opus aggredientis ingenio diffidatis, vestræ in me benevolentiæ specimina edite, quovis reciproco officiorum genere demerenda. Res, de quibus dicemus, nativa quadam pulchritudine gaudent, qua animos sublimium curiosos delectare valent (35), nec pomposo verborum apparatu indigent, quo aures animis absentium demulceant. Ignoscite adeo humili dicendi genere utenti & sculptores imitanti, qui venustæ fœminæ signum ex lapide sculpturi nudam fingunt, ut, quos in forma sapientiæ nervos natura, quos in imitamine industriæ nervos ars naturæ æmula intendit, iidem inter se copulati sub adspectum veniant, ac sic demum oculi irretorti pascantur, animi voluptate suaviter blandiente perfusi exsaturentur.

Lapis Lydius Sapientiæ Sinarum.

Sapientiæ *Sinensium* uno omnium sermone per tot secula concelebratæ principia (36) ad examen, *Auditores* curatius revocaturi Lydio

ras determinare debet, quæ *legum naturalium* nomine insigniuntur. Insunt etiam his principia generalia, quorum ultima ratio in attributis divinis tanquam primis possibilibus perspicitur, a nobis olim disertius exponenda. Eorum aliqua perviderunt Sinæ, etsi fontem illorum non agnoverint, nec adeo ad generalissima pervenerint.

(35) Agimus de veritatibus maximi momenti, principiis nempe philosophiæ moralis atque civilis gentis, omnium quæ hodie florent antiquissimæ, & ab antiquissimis temporibus politæ, moribus ac institutis prorsus singularibus a tot retro seculis usæ, cum nullum ipsi cum ceteris gentibus fuerit commercium, immo idem potius severe olim prohiberetur, ne mores patrii contaminarentur.

(36) Principia tantum generalia delibamus, cum, ut ad specialia descendamus, præsens institutum haud quaquam ferat. Acquiescimus autem in principiis proximis, tum quod nimis remota *Sinæ* non perviderint, tum quod & horum interpretatio prolixitatem postulet a præsenti instituto abhorrentem.

Lydio quodam lapide opus habemus, ut genuinum ab adulterino diſtinguere ac ſuo unumquodque pretio æſtimare valeamus. Noſtis ſapientiam non aliam eſſe a felicitatis ſcientia (37), qua felicitate nemo perfruitur, niſi qui optimis in Rep. optima moribus utitur (38). Quis ergo veſtrum dubitabit, ſapientiæ principia genuina cenſeri debere, quæ mentis humanæ naturæ conveniunt, tanquam adulterina rejici debere, quæ mentis humanæ naturæ repugnant (39)? Quem-

(37) *Leibnitius* in Præfatione ad Codicem juris gentium diplomaticum dedit hanc *ſapientiæ* definitionem, quod ſit felicitatis ſcientia. Etſi vero ego jam olim in Diſſertat. de Philoſophia practica univerſali *ſapientiam* definiverim per potentiam mentis actionum ſuarum finem ultimum conſtituendi & media certa & optima eidem conſequendo adhibendi finesque intermedios ita ſibi invicem ſubordinandi, ut pulchre conſpirent ad finem ultimum, eademque definitione uſus fuerim in operibus philoſophicis Germanicis, cum ad demonſtrationes philoſophicas perquam commodam repererim, oſtendi tamen in philoſophia morali §. 325, definitionem *Leibnitianam* ex noſtra deduci poſſe, atque adeo cum noſtra, utramque autem cum veritate conſentire.

(38) Loquimur hic de felicitate civili, quæ Rerump. finis eſt. Neque enim aliam agnoverunt *Sinæ* terrenæ felicitati; teſte *Coupleto* in proœmiali declaratione f. 72, toti inhiantes.

(39) Actionum honeſtatem & turpitudinem intrinſecam, quam *moralitatem objectivam* vocarunt *Scholaſtici* & antiquiſſimi agnoverunt Philoſophi, & Theologi acriter propugnarunt. Notiora hæc ſunt, quam ut exemplis eadem confirmari ſit opus. Conſtat vero, moralitatem objectivam determinatam eſſe per actionum convenientiam & diſconvenientiam cum ipſa natura rationali. Vnde *Grotius* lib. 1. c. 1. §. 10 p. m. 6. *jus naturæ* definit *per dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi.* Hanc ſen-

Quemadmodum enim omnium eorum, quæ rebus vel inſunt, vel ab iis quomodocunque proficiſcuntur, ratio ab eſſentia ac natura ipſorum petenda eſt (40); ita non minus illorum, quæ a mente noſtra

ſententiam ſolidam etiam ego probo, atque hinc, quæ tanquam rationi conſentanea in ſcientia morum præcipiuntur, ex *conveni-entia eorum cum natura humana* dijudicanda eſſe inculco. Neque *Sinarum* dogmata moralia reſpuunt hunc lapidem Lydium. Ipſe enim *Confucius* convenientiam cum natura rationali actionum normam agnoſcit. Diſerte enim in Libro de *immutabili medio*, qui eſt Scientiæ Sinicæ ſecundus, f. 40. pronunciat, quod naturæ rationali conformatur, illud eſſe regulam, juxta quam actiones dirigendæ, idem eſſe rationi conſentaneum, & virtutis diſciplinam in eo conſiſtere, ut nos & noſtra per eam moderemur. Examinamus igitur *Sinarum* principia philoſophiæ practicæ juxta eam normam, quam ipſemet *Confucius* nobis commendat, & ad quam attendit, dum, quæ ab antiquis ſancita, dicta & facta fuerant, ad examen revocavit, antequam eadem ſuis moribus exprimere tentaret.

(40) Eſſentiam eſſe primum rei conceptum, unde ratio redditur ceterorum, quæ inſunt, vel ineſſe poſſunt, philoſophiæ initiati minime ignorant. Enimvero ex eſſentia rerum tantum innoteſcit, quid vel neceſſario ac ſemper inſit, vel ineſſe poſſit. Quodſi vero ratio quæritur, cur illorum, quæ non neceſſario inſunt, aliquid actu inſit; habenda etiam ratio eſt naturæ, hoc eſt, vis activæ, quæ ſuas peculiares habet regulas, juxta quas modificatur. Ita corporum eſſentia eſt eorundem ſtructura ſive compoſitio; per eam enim intelligitur, quæ iisdem accidere poſſunt. Enimvero ut mutatio actu accidat, habenda quoque eſt regularum motus ratio, per quam modificantur vires ſive naturæ rerum. Quod etiam de mente concipi poſſit primus aliquis conceptus, unde ratio reddi poteſt eorum, quæ ipſi inſunt ac ineſſe poſſunt, & quod vis ipſius activa juxta regulas a regulis motus prorſus diverſas modificetur; in Meditationibus de Deo, anima & mun-

noſtra pendent, ratio non aliunde, quam ex ipſa mentis noſtræ natura reddenda. Immo ſi quis fieri juberet, cujus per naturam mentis humanæ non pateret ratio; is hominem ad ea, quæ fieri nequeunt, obligare dicendus foret.

Objectioni reſpondetur.

Equidem non ignoro, Viros ultra humanam ſortem ſapientes, quos Theologorum nomine veneramur (41), non ex vano contendere, quod divina gratia (42) ſuffultus efficere poſſit, quæ naturæ viribus ſuperiora (43) deprehenduntur. Quamvis vero, quod divino lumine illuſtrati (44) perſpiciunt, utique cum rei veri-

mundo docui. Qui Germanica legere non poteſt, vel non vult; ille evolvat Cl. *Thümmigii* Inſtitutiones philoſophiæ & quidem in Inſtitutionibus Pſychologiæ ſeu Metaphyſicæ part. 3. §. 171. & ſeqq. p. 160. & ſeqq. ubi Pſychologiam rationalem pertractat. *Leges*, quæ facultatem cognoſcitivam dirigunt, *logicas;* quæ vero facultati appetitivæ ſerviunt, *ethicas* ſive *morales* appellamus. Enimvero non opus eſt, ut hic quædam de eſſentia & natura mentis a priori deducta aſſumamus: ſufficiunt abunde ea, quæ a poſteriori communi experientia innoteſcunt & a laudato *Thümmigio* in Pſychologia empirica traduntur.

(41) Quantum interſit, ut Theologi reverenter habeantur, & quanta hinc Imperantium eſſe debeat cura ut Theologi ſe reverentia dignos præſtent, in Politicis docui §. 367. 439.

(42) Per *gratiam divinam* hic intelligimus eam operationem Numinis in anima hominis, per quam intellectus ipſius illuminatur & voluntas ſanctificatur. Opponitur enim hic gratia viribus naturalibus hominis, quæ *naturæ* nomine veniunt.

(43) Exempli loco eſſe poſſunt aſſenſus, quem homo regenitus præbet veritatibus divinitus revelatis & evidentia rationis deſtitutis, fides ſalvifica in Chriſtum, virtus theologica, ſeu bona, quæ Deo placeant, opera &c.

(44) Quæ de gratia in articulo de libero arbitrio docent Theologi, lumini rationis impervia ſunt, ſolo revelationis lumine innoteſcunt.

veritate consentire debeat (45): idem tamen nostro asserto minime repugnat (46). Cum enim anima hominis gratiæ divinæ capax (47) sit, alias oblatam in se admittere non valeret (48); in ipsius essentia atque natura ratio aliqua contineri debet, cur eam in se admittere possit, quæcunque tandem illa fuerit (49). Est ita-

(45) Cum veritate utique convenit, quod revelationi divinæ consentaneum. Theologorum itaque dogmata de gratia a veritate aliena non sunt, qui scripturæ sacræ conformia tradunt: sed qui eidem adversa profitentur, a veritatis tramite recedunt. Quod divina gratia suffultus naturæ viribus superiora efficere possit, revelationi divinæ conforme est, ipsaque regenitorum praxis confirmat. Quis ergo negare ausit assertum hoc cum veritate consentire?

(46) Quæ nos de convenientia principiorum moralium cum natura humana inculcavimus, rationi consentanea sunt, nec adeo a veritate abhorrent. Nulla autem inter rationem & revelationem contradictio locum habet, cum omnis veritas a Deo sit, sive eam nobis per lumen rationis, sive per lumen revelationis patefaciat: id quod abunde jam ostenderunt, qui de conformitate rationis & fidei commentati sunt.

(47) Prædita est anima intellectu ideoque illuminari potest; prædita est voluntate atque propterea sanctificari potest. Ens hisce facultatibus destitutum gratiæ divinæ minime capax. Talia sunt creaturæ irrationales, quibus nullus in regno gratiæ conceditur locus.

(48) Studio dico, *animam in se admittere gratiam*, ne, qui verbis insidiantur, criminentur, me quandam animæ in conversione activitatem adscribere & in *Pelagianismum* incurrere.

(49) Rationes generales, cur anima gratiam admittere possit, modo indicavi (*not.* 47.). Sed sunt utique etiam rationes speciales, quæ patent, si effectus gratiæ cum facultatibus animæ conferas. Cum enim dici non possit, inter facultates animæ, quæ eidem essentiales sunt, & effectus gratiæ contradictionem intercedere, qualis

locum

itaque humanæ naturæ conveniens, ut vires naturæ vi gratiæ extendantur & ad majorem gradum evehantur (50). Nil adeo obſtat,

locum haberet in creatura iſtiusmodi facultatibus deſtituta; utique admittenda eſt non repugnantia, quam ad *Scoti* potentiam obedientialem non inepte retuleris. Enimvero diſtincta horum explicatio prolixior foret, quoniam totum converſionis negotium quoad ſingulos ejus actus expendi a nobis deberet, antequam per facultates animæ rationem reddere poſſis, cur iſtiusmodi operatio in animam non ſit impoſſibilis.

(50) Intellectui ſane non repugnat, ut per gratiam divinam majori lumine dotetur, ad cognoſcenda non modo ea, quæ lumini rationis ſunt impervia, verum etiam ad rectius cognoſcenda, quæ de Deo atque virtute lumine rationis patent: qua de re inferius ſingularia quædam in medium proferemus. Similiter voluntati noſtræ non repugnat, ut iis appetendis & averſandis ſufficiat Spiritus S. gratia ſanctificata, quæ naturæ viribus appetere vel averſari aut prorſus non, aut difficulter admodum poteſt. Dicemus & de hoc argumento ſingularia inferius. Hæc adeo evidentia ſunt, ut, qui ante honeſtati naturali ſtuduit, poſtea Chriſti diſciplinam agnovit, ultro fateri cogatur, naturam gratia inſigniter perfici & vires animæ ad gradum majorem evehi, ut jam gratiæ viribus fieri poſſint, quæ naturæ viribus ſuperiora erant. Ecce tibi exemplum *Sinenſe!* Refert *Coupletus* in procœmiali declaratione f. 13, virum quendam ſapientia *Sinica* & per hanc parta dignitate poſt imperatoriam ſuprema perilluſtrem, qui diſciplinæ *Chriſti* ſeſe tradiderat, cum interrogaretur, quid tandem nova illa *Europæorum* hominum doctrina efficiat, reſpondiſſe: *Supplet illa & perficit, quod Magiſtro noſtro* Confucio, *noſtræque litteratorum Philoſophiæ deeſt.* Mihi ſemper ſalutare viſum fuit, ſi in Philoſophia ſummo cum ſtudio & quanta fieri poteſt accuratione tradantur ea, quæ beneficio rationis cognoſcere licet, atque deinceps in Theologia notentur defectus, quibus philoſophia laborat, oſtendaturque, quomodo iisdem Theologia medeatur: ita enim

Phi-

ſtat, quo minus lapidem Lydium principiorum ſapientiæ ſive inſtruant, ſive dirigant, eorundem cum natura mentis humanæ convenientiam ſtatuamus, ut ſcilicet tanquam genuina admittamus, quorum inde ratio reddi poteſt, tanquam adulterina rejiciamus, quorum nulla in eadem ratio continetur. Ab hoc lapide Lydio minime abhorrent principia ſapientiæ *Sinicæ*.

Primum principium Philoſophiæ Sinarum.

Quod enim primo loco commendari debet, nihil *Sinæ* de actionibus hominum præceperunt, neque de virtutum ac morum exercitiis conſtituerunt, niſi quod menti humanæ apprime convenire intelligerent. Non ergo eſt, quod miremur, molimina ipſorum non caruiſſe ſucceſſu, cum nihil invita natura fuerint aggreſſi. Qui res morales profundius ſcrutantur, iis ſatis ſuperque cognitum ac perſpectum, actionum humanarum, etiam ſi legi conformes ſint, varia eſſe motiva.

Differentia actionum honeſtarum & virtutis ſpecierum.

Nimirum aut mens ſibi repræſentat ſtatus humani cum interni, tum externi mutationem, quæ ex actione conſequitur; aut motivis utitur attributis ac providentia, immo autoritate Numinis ſummi; aut motiva denique præbent veritates divinitus revelatæ, ac naturali evidentia deſtitutæ, quales ſunt, quas de Chriſto, Servatore generis humani, religionis noſtræ fundamenta agnoſcimus. Qui actiones ex eventu æſtimant, ſolo rationis ductu actiones dirigunt, quasque colunt, virtutes ſolis naturæ viribus tribuendæ veniunt (51). Qui attributorum divinorum ac providentiæ Numinis contemplatione ſolo rationis lumine facta ad agendum determinan-

Philoſophiæ imperfectio & inſufficientia ac Theologiæ præſtantia, prærogativa & neceſſitas clariſſime elucet.

(51) Habitum conformandi actiones legi naturali ob intrinſecam, vi luminis naturalis animadverſam, moralitatem *virtutem philoſophicam* apello. Infimum autem virtutis gradum conſtituit virtus philoſophica: quemadmodum pietas philoſophica & virtus theologica probant.

minantur, eorum virtutes a religione naturali ortum ducunt (52). Qui denique veritatibus divinitus revelatis ac evidentia naturali destitutis ad actiones impelluntur, eorum virtutes gratiæ viribus acceptæ ferri debent (53). *Sinis*

(52) Habitum conformandi actiones legi naturali vi motivorum ab attributis divinis & providentia Numinis, quatenus nonnisi lumine rationis innotuerunt, desumtorum *pietatem philosophicam* appellare soleo. Quodsi ea jungatur virtuti philosophicæ, virtutis gradus exaltatur, quemadmodum in moralibus monstravi §. 673.

(53) Habitum conformandi actiones legi naturali ac voluntati divinæ vi motivorum, quæ a veritatibus divinitus revelatis ducuntur, *virtutem theologicam* seu *Christianam* dico. Cum assensus, quem præbemus veritatibus divinitus revelatis non sit naturæ, sed gratiæ opus (*not.* 43.); neque etiam naturæ viribus tribui potest, quin potius gratiæ acceptum referri debet, si veritatibus iisdem utamur tanquam motivis nostrarum actionum. Vnde a Theologis virtus Christiana vere dicitur Spiritus sancti ope productum opus: nec homo absque ipsius ope eidem operam dare valet. Ceterum notandum est, in numero veritatum revelatarum non modo haberi illas, quæ ad opus redemtionis & œconomiam salutis nostræ spectant; verum etiam alias, quæ ex naturæ lumine quoque agnoscuntur, de Deo ipsiusque attributis & creatione atque conservatione, immo etiam de turpitudine & honestate naturali: quas *veritates mixtas* aut, si mavis, *articulos mixtos* vocant Theologi, propterea quod utroque lumine, cum rationis, tum revelationis cognoscantur. Christianus Dei gratia regenitus eum fide divina teneat, quæ homo extra cœtum Christi degens lumine naturali assequitur, magna inter utrumque differentia intercedit, etsi motiva sint eadem. Etenim qui gratiæ debetur assensus firmior est, quam qui vi luminis naturalis extorquetur. Assensus firmior firmius parit motivum, motivum autem firmius firmius gignit propositum, ut non tam facile ab eo divelli te patiaris. Nimirum si quis fide divina tenet, v. gr. ex ebrietate, quod Apostolus inculcat, sequi inordinatum vitæ genus; is ad intrin-

intrinſecam hujus vitii turpitudinem attendens nulli omnino exceptioni in caſu ſingulari locum relinquit, certiſſime perſuaſus a viro divinitus inſpirato non adeo generaliter fuiſſe enunciatum, quod in aliquibus caſibus patiatur exceptionem. Enimvero qui lumine naturali idem agnoſcit, haud difficile ſibi perſuadet, in hoc caſu, ſpectatis hiſce circumſtantiis ſingularibus vel non ſecutura, quæ ordinatum vitæ genus turbent, vel eadem a ſe evitari poſſe. Vnde vitio ſuccumbit, cui vires non ſunt niſi naturales ad ſectandum virtutem philoſophicam, ſive juſtitiam civilem, ut cum Theologis loquar; eidem vero reſiſtit, qui gratiæ viribus juvatur, etſi utrique idem ſit motivum, ab intrinſeca nempe actionis turpitudine derivatum. Eadem tenenda ſunt de differentia, quæ inter pietatem philoſophicam & theologicam ſive chriſtianam intercedit, cum & hic eadem ſint motiva ab attributis divinis & operationibus Numinis providi in regno naturæ derivata, ſed quæ ob diverſitatem aſſenſus modo traditam non eandem firmitatem habent. Quamobrem ſi vel maxime pietas philoſophica cum virtute philoſophica conjungatur, minime tamen hominis chriſtiani regeniti & hominis extra Chriſti cœtum degentis, vel in cœtu Chriſtianorum equidem viventis, in gratiæ tamen ſtatu parum confirmati virtus eadem eſt, ſed magna potius inter utramque, immo maxima differentia intercedit, etſi fingamus (id quod tamen revera dari nequit), hominem vere Chriſtianum nonniſi iis motivis uti, quibus utitur alter, cui non eſt niſi religio naturalis. Quoniam aſſenſus, qui gratiæ debetur, non eſt naturæ opus, ſed gratiæ; ideo actio hominis regeniti non eſt naturæ opus, ſed fit per Spiritum S. etiamſi ponamus, ipſum iisdem uti motivis, quibus utitur homo, cui nonniſi religio naturalis, ad actionem externam legi naturali conformandam. Notandum vero fieri non poſſe, ut homo regenitus non utatur motivis niſi a moralitate objectiva actionum & providentia Dei in regno naturæ petitis, ſed eundem conſtanter jungere motiva ab opere redemtionis & providentia in regno gratiæ derivata, vt opera ipſius bona fiant ex fide in Chriſtum. Quamobrem virtus chriſtiana a virtute philoſophica quam longiſſime diſtat. Etſi enim actus

Sinis infimus virtutis gradus fuit.

Sinenſes antiqui, de quibus nobis ſermo eſt, cum nulla univerſi Autorem ignorantibus (54) eſſet religio naturalis, multo minus

externus utrobique idem eſt, adeoque eandem cum lege divina conformitatem habet: quoniam tamen ad actiones humanas non modo motus in corpore externi, verum etiam mentis actus interni referuntur; actio externa ſpecie eadem in immenſum differre poteſt, ſi actuum mentis internorum, immo totius ſtatus interni mentis rationem habeas. Quodſi quis, quæ hactenus a me propoſita ſunt enucleatius, æqua mentis lance ponderet; ille Theologorum dogmata de gratia & bonis operibus noſtris minime adverſa deprehendet, quin potius ſuſpiciet conſenſum, ut adeo diſtinctius pateant, quæ ſuperius (*not.* 43.) innuimus. Enimvero dabitur mox occaſio plura non minus enucleate proponendi. Quæ de differentia virtutis philoſophicæ ac chriſtianæ diſſerui, eadem in Moralibus legi poſſunt ex primis ſuis principiis deducta.

(54) Magna controverſia eſt inter ipſos Patres Miſſionarios ex Societate *Jeſu* & *Dominici* familia, utrum *Sinæ* veteres fuerint athei, an Dei aliquam notitiam habuerint. Qui ſunt e Societate Jeſu, *Sinas* veteres ab atheiſmi labe purgant. Sane *Coupletus* in Declar. procem. part. 2. f. 54. & ſeqq. totus in eo eſt, ut adſtruat, *Sinas* in ipſo ortu notitia verique Numinis cultu non fuiſſe deſtitutos & in eo per aliquot ſecula probabiliter perſeveraſſe. Etſi autem ipſi interpretes Sinenſes, qui in veterum ſcripta commentantur, quæ iſtis ſeculis condita fuere, contrarium defendant; exemplum tamen *Riccii*, Miſſionis Sinicæ fundatoris, ſecutus negat audiendos eſſe interpretes præſentis ævi & poſteriorum ſeculorum, quos ſcripta veterum non intelligere cenſet. Contendit nimirum per vocabulum *Sinicum Tien*, quod cœlum ſignificat, non intelligi cœlum materiale, ſed cœli conditorem Deum. Quamobrem etiam Tabulam ædibus ſuis ſacris præfigunt Patres e Societate Jeſu, in quibus deſcripta ſunt verba, aut more *Sinarum* potius characteres iisdem reſpondentes, *Kiem tien*, id eſt,

reve-

reverere cœlum, aut *adora cœlum*, poſtquam Imperator A. 1675. d. 12. Julii ipſemet in templum Societatis, quod *Pekini* eſt, ingrediens ſua manu & penicillo binos characteres trabales *Kiem tien* exaraſſet. Acerrime nimirum defendunt, hæc verba ex mente veterum *Sinarum* hunc habere ſenſum, *reverere cœli Dominum*, quicquid in contrarium dicant Miſſionarii e *Dominici* & *Franciſci* familia, qui affirmant, *Sinas* hinc argumentum petere, quod Chriſtiani adorent cum Imperatore & litteratis *Sinarum* cœlum materiale. Quænam turbæ in Provincia *Fokien* initio hujus ſeculi fuerint exortæ, cum *Magrottus*, Vicarius Apoſtolicus, urgeret, ut tabula iſta ex templo Patrum Societatis removeretur; videre eſt ex epiſtola, quæ legitur in ſupplementis Diarii Trivultini Tom. I. p. 3. & ſeqq. Amſtelodami 1702. editis. Fide Annalium Sinicorum certum eſt, apud *Sinas* Imperatorem ordine tertium, ſeu a conditoribus Imperii *Fohi* atque *Xun* primum, *Hoam ti* conſtruxiſſe palatium ſive templum ipſi *Xam ti*. Quoniam *Ti* ſignificat Imperatorem ſeu moderatorem & Dominum, quo nomine hodienum *Sinæ* Imperatores ſuos compellant, *Xam* vero ſupremum; ideo jam *Matthias Riccius* per *Xam Ti* ſupremum cœli Imperatorem ac Dominum, hoc eſt, verum Deum intelligendum eſſe aſſeruit atque ideo defendit, ipſum *Hoam ti* in honorem veri Dei ſupremi omnium conditoris & moderatoris, extruxiſſe templum. Vltro fateor, cum orationem conſcriberem, mihi declarationem procœmialem *Coupleti* nondum fuiſſe viſam, nedum lectam. Nihil rerum *Sinenſium* mihi ad manus erat præter libros claſſicos imperii *Sinenſis* a *Noëllio* in Latinum verſos. Quoniam in illis libris nulla Dei & attributorum divinorum fit mentio, neque officia erga Deum, v. gr. amorem, timorem & fiduciam &c. diſtincte urget ſive *Confucius*, ſive alius interpres; *Sinas* etiam veteres Autorem univerſi ignoraſſe inferebam. Etſi enim *Confucius* legem cœli appellet, quam nos legem naturæ vocamus; inde tamen vel ideo inferre nolebam, per cœlum intelligendum eſſe Deum, cœli Dominum, quod conſtaret, aliam eſſe poſſe denominationis hujus rationem. Quemadmodum enim nos legem naturæ dicimus, non quia a Deo profecta,

ſed quia ipſa rerum natura conſtituta, quemadmodum habet *Cicero;* ita & *Sinæ* legem cœli appellare poterant, quod ipſa rerum natura eandem conſtitutam agnoſcerent & per eam aſſequerentur, quod intendebant, ſcilicet ut cœli ordo eſſet norma ad populi & Reip. rectam adminiſtrationem (*not.* 7.). Immo etſi nonnulla de cœlo occurrerent, quæ cœlo materiali commode tribui nequeant, v. gr. nil eſſe agendum, cujus ne cœlum quidem conſcium eſſe volueris; hæc tamen mihi non ſufficere videbantur, ut *Sinis* veram Numinis notitiam & cultum Numinis veri vindicarem, cum per tropum dicta non invitis artis Oratoriæ regulis accipiantur. Multum etiam apud me pondus habebat, quod interpres librorum claſſicorum vocabulo Dei non uteretur: unde concludebam, *Sinas* per cœlum hic non intelligere Deum. Et ea profecto eſt ratio, cur *Noëllius* ſinceram verſionem daturus vocem cœli retinuerit, quam character Sinicus *Tien* denotat. Maxima vero ratio eſt, cur in eam me adduci paſſus fuerim ſententiam, quod *Sinis* antiquis univerſi autorem ignorantibus nulla fuerit religio naturalis, hæc fuit, quod in libris ipſorum claſſicis, ubi ea recenſentur, quæ unicuique addiſcenda ſunt, nullius erga Deum officii mentio fiat, ſed talia tantum commemorentur, quæ ad uſum vitæ præſentis ſpectant. Neque video, cur ab ea me dimoveri patiar. Religio naturalis conſiſtit in cultu veri Dei ex ipſius attributis atque operibus lumine rationis agnitis derivato. Vbi ergo nulla habetur ratio cognitionis divinæ, ubi amor, timor, reverentia & invocatio Numinis una cum fiducia erga ipſum non urgetur; ibi nulla eſt religio naturalis. Evolve omnes libros claſſicos, quibus omnis doctrina continetur, ad quam *Sinarum* mores formantur, nihil in iis de cognitione, nihil de amore, timore, reverentia, nihil de invocatione Numinis atque fiducia in eodem collocanda reperies. Nullum horum officiorum veſtigium occurrit in *Schola adultorum*, in qua *Confucius* ſummam perfectionis normam tradit; nullum quoque in *Schola parvulorum*, ubi traduntur ea, quæ pueros doceri convenit ex mente *Confucii*. Neglectum illorum ecquis cauſæ alii tribuat, quam ignorantiæ Autoris univerſi! Cum enim *Confucius* æquitatis ac virtutis ſtudioſis-

diosissimus omnem moveret lapidem, ut motiva reperiret flectendæ voluntati idonea, nec sibi ea in re satisfaceret; cur, quæso, abstinuisset ab attributis atque operibus divinis, quæ efficacissima præbent motiva, quamprimum absque hæsitatione agnoscuntur? Facile tamen largior, neque *Sinas* veteres, neque *Confucium* fuisse atheos. Atheus enim est, qui negat esse Deum: non potest autem negare Deum, nisi qui distincte intelligit, quidnam sit Deus. Qui de Deo nihil distincte intelligit, ille simplici Numinis ignorantia tenetur. Nullus dubito, cum *Sinas* veteres, tum *Confucium* agnovisse, dari aliquem hujus universi autorem: pro certo autem teneo, illos attributa ipsius ignorasse. Habuere igitur confusam aliquam Numinis notionem, sed minime distinctam. Ad religionem vero naturalem distincta requiritur Numinis notio, cum attributa divina & opera sint illarum actionum motiva, quibus cultus Numinis absolvitur: ubi vero ignoras, quænam sint Autoris universi attributa, ibi cessant actiones, quarum ista motiva sunt. Pagani perinde ac *Sinæ* ignorarunt, quinam sit Deus verus, & errore nocuo ens summe perfectum transmutarunt in idola fœdis imperfectionibus obnoxia. Cultu igitur Dei naturali perinde ac Sinæ destituti fuere, sed cum errori suo conformiter in cultum superstitiosum transformarunt. *Sinæ* contra & ab idolis, & ab idolorum cultu superstitioso fuerunt alieni, donec illa sexaginta quinque post Christum annis ex *Indiis* in *Chinam* deportarentur. Minus ergo peccarunt *Sinæ*, quam gentes ceteræ, cum verum Numini cultum tantum modo omiserint ob ipsius ignorantiam, hæ autem præterea Deum modo minus decente coluerunt, immo cultum ipsi debitum idolis detulerunt. Magis autem peccare, qui cum peccato omissionis conjungit peccatum commissionis, quam qui illius tantum culpa tenetur, nemo negare potest. Quodsi ad differentiam attendas, quæ inter eum, qui negat dari Deum, ens summe perfectum, & eum, qui ignorat, quænam sint Autoris universi attributa, intercedit; Missionarios ex Societate *Jesu* & *Dominici* atque *Francisci* familia forsan haud difficulter conciliabis, ut verbis magis, quam re dissentire videantur. Enimvero quæ a nobis eam in rem dicta sunt,

atten-

nus aliqua revelationis divinæ documenta innotuiſſent, non aliis quam naturæ viribus iisque ab omni religione puris (55) ad virtutis exercitium promovendum uti poterant (56). Eos autem feliciſſime iisdem uſos fuiſſe, mox plenius conſtabit (57).

Quo-

attentione non prorſus indigna judicabit, qui perpendere dignatur, beneficio luminis naturalis attributa divina diſtincte non agnoſci niſi operum naturæ accurate inſtituta contemplatione, ab hac autem alienos fuiſſe *Sinas* antiquos de rerum phyſicarum cognitione certa deſperantes.

(55) *Sinis* non fuiſſe niſi naturæ vires, per ſe patet: quod vero eædem nihil incrementi ceperint a religione naturali ſeu veri Numinis cultu, hinc conficitur, quod illa fuerint deſtituti. Neque vero etiam vires naturales aliquod paſſæ ſunt detrimentum per religionem falſam, cum cultu idolorum ſuperſtitioſo caruerint. Inter gentes itaque non fuit alia præter *Sinas*, quæ vires naturales, imaginis divinæ reliquias, integras conſervarit. Diſtincte igitur cogniturus a poſteriori, qualis ſit illa *juſtitia civilis*, cui vires naturæ ſufficere perhibent Theologi, *Sinarum* antiquiſſimorum dicta & facta meditetur, quorum ſumma libris Imperii *Sinenſis* claſſicis continetur. Ego profecto! providentiæ divinæ acceptum fero, quod noſtro ævo, quo a virtute Chriſtiana proh dolor! procul remotos videas plurimos, qui Chriſto nomen dederunt, philoſophia *Sinenſium* propius nobis innoteſcat: quodſi enim vel ex *Confucii* dictis & factis intelligas, quinam ſit infimus ille ac imperfectus virtutis gradus, qui a ſola moralitatis objectivæ ſeu honeſtatis ac turpitudinis actionum humanarum intrinſecæ cognitione pendet, haud quaquam tibi imponi patieris ab hominibus, qui, ut quæſtum faciant ambitioni litaturi, fucatam quandam pietatis ſpeciem in pompam vertunt Chriſti diſciplinæ inimicam, cum illorum facta *Confucius* redarguerit, nedum qui eminentem virtutis Chriſtianæ gradum habuerit perſpectum (*not.* 53.).

(56) *Coupletus* in proœmiali declarat. f. 69. multus eſt in probando, quod

Quomodo Sinæ virtutis exercitium promoverint.

Missis itaque mentis humanæ imperfectionibus, unde tanquam ex fonte vitia, scelera, flagitia propullulare solent: ad ejusdem perfectiones aciem intenderunt, ut vires a natura concessas agnoscerent, quodque iis non impervium existeret consequerentur (58). Erunt forsan, qui reprehensuri sunt (59), *Sinenses* imperfectionis humanæ

quod *Sinæ* per bis mille primos annos nullum habuerint cum ceteris gentibus commercium. Omnia igitur instituta sua sibi debent moribus, habitu, litteris hodienum ab omnibus diversissimi. Ad ea vero excogitanda, moresque formandos non præsto fuit nisi rationis lumen a lapsu residuum.

(57) Usi sunt *Sinæ* viribus naturæ, quantum iisdem uti datur, nempe ad virtutem philosophicam (*not.* 51.), aut, si Theologorum appellatio magis arrideat, ad justitiam civilem. Felicissime igitur iisdem usi sunt, cum minus feliciter utantur, qui non utuntur, quantum datur. Absonum foret, si quis viribus istis superiora a *Sinis* flagitaret. Summam differentiæ inter virtutem philosophicam, pietatem philosophicam & virtutem christianam argueret ignorantiam, si quis Sinis tribueret, quæ naturæ vires superant.

(58) *Confucius* in *Schola adultorum* praecepta morum ad regulas generales revocaturus hanc principem jubet esse curam, ut rationem excolas intellectum perficiendo, quantum fieri potest. Agnovit enim *Confucius* omnia habere suam rationem, Scient. Sin. lib. 2. f. 46. & operam dare jubet, ut rerum omnium rationes perspiciamus. His demum cognitis, rectificandam præcipit intentionem, ut ab omni fuco aliena sit; & hac rectificata moderandos esse appetitus, ut omnes omnino actiones summam habeant cum ratione conformitatem. Vid. Schola adultorum, seu scientiæ Sinicæ lib. 1. f. 1. & seqq.

(59) *Sinas* reprehendunt, qui res toto cœlo diversas miscent atque confundunt. Alia nempe est methodus, qua homo peccator ad Christum convertitur; alia vero methodus, qua homo, quantum

humanæ nullam habuiſſe rationem, nec de mentis ægritudine ad vitiorum fugam (60) ſananda fuiſſe ſollicitos.

Obje-

lumen rationis permittit, ad virtutis ſtudium adducitur. Ad Chriſtum convertendus noſſe debet naturæ corruptionem viriumque naturalium defectum, ut agnoſcat, ſe Salvatore habere opus, atque gratiam anhelet: aſt homo, cui non ſunt niſi vires naturales, docendus eſt, quænam ſint iſtæ vires, quomodo iisdem ſit utendum. Immo dum iisdem utitur, quantum in ſe eſt, ſponte agnoſcit, ſe eam perfectionem conſequi non poſſe, quam conſectandam eſſe ipſa ratio dictitat. Fatetur hoc de ſeipſo *Confucius* f. 48. lib. 2. Scient Sinicæ, quod viri perfecti ideam animo conceperit, quam inculcet aliis, ad quam tamen ipſe accedere nequeat, in imitamine ſubſiſtens. Converſio hominis perperam comparatur cum praxi morum, cum ipſemet homo Chriſtianus ad ſtudium bonorum operum adducendus doceri debeat, quænam ſint vires gratiæ in converſione obtentæ & quomodo iisdem ſit utendum ad bona opera edenda. Sane in his continetur praxis Theologiæ moralis, teſte vel *Bajero* in Compendio Theologiæ moralis.

(60) *Sinæ* opus converſionis ignorantes de ægritudine mentis ſananda alio fine cogitare non poterant, quam ut vitia evitarent. Ad fugam vero vitiorum non opus eſt, ut eadem diſtincte agnoſcantur. Sufficit virtutem oppoſitam diſtincte agnoſci & intentionem eſſe rectificatam, ne placeant a ratione aliena. Aliter vero ſe res habet, ſi homo a vitio, cui deditus, revocandus: tum enim turpitudinem vitii agnoſcere debet; ſed quæ ad ejus cognitionem præſupponuntur, ea propria ipſi experientia ſuggerit. Minime autem a veritate abhorret, quod pulchritudo virtutis oppoſitæ etiam in hoc caſu ſæpe plus valeat, quam vitii turpitudo. Immo ſi fieri poſſit, ut vitio deditum virtutis oppoſitæ amore ab eodem abducas, firmius erit vitii vitandi propoſitum, quam ſi turpitudine ejusdem creetur tædium, a voluptate ex actione turpi percipienda facile vincendum.

Objectioni respondetur.

Enimvero alia longe mentis, quam corporis est ratio, nec ab hujus morbis ad istius infirmitates tuta semper (61) fit argumentatio. Qui virtutes discit, eadem opera vitia dediscit: virtutes enim vitiis contrariæ, nec ambo una locum habere possunt (62). Vbi virtus adest, ibi vitium ei oppositum abest, & quemadmodum virtutis notitia semper prodest, ignorantia semper obest (63), ita e contrario vitiorum ignorantia constanter prodest, notitia sæpe obest (64). *Cur*

(61) Sanitas corpori naturalis est, minime autem habitus acquisitus, quemadmodum virtus. Vnde similia a corpore petita hoc in passu subinde clandicant, nec tuta semper est argumentatio. Præstat de veritatibus moralibus differere ex notionibus propriis, ne similia ultra suum tertium extendentes, quod per illas stabiliri debet, a veritatis tramite aberremus, vel incauti sine mente sonos demus.

(62) Multum valet homines studio virtutis a vitio revocandi ratio, cum ab eo inscii abducantur, ut idem sponte deseruisse sibi videantur. Nam qui virtutis amore ducitur, a vitio abhorret. Hinc timor Dei, quem ex amore profectum filialem dicimus, in vitiis debellandis adeo efficax deprehenditur. Methodum hanc ad praxin revocaturus nosse debet cognationem, quæ inter virtutes intercedit. Juvat igitur philosophiam moralem methodo demonstrativa pertractare, ut virtutum vitiorumque mutua a se invicem dependentia appareat. Hæc quoque e numero rationum fuit, quæ me permoverunt, ut ad hanc telam pertexendam studium meum converterem.

(63) Actiones bonas qui ignorat, omittit, quas patraturus erat. Sane *Confucius* destitutus fuit ipsa philosophica, quam vocamus (*not.* 52.), in Deum pietate, propterea quod hujus virtutis, quæ ceteras longe antecellit, ignorantia laboraret (*not.* cit.). Nullum vero est dubium, quin eidem quoque studuisset, si eam agnovisset, cum tam indefessum fuerit ipsius studium in virtute comparanda.

(64) Vitia, quæ ignoramus, patrare non possumus, cum ignori

Cur Sinæ magis de virtutis ſtudio, quam vitiorum fuga cogitarint.

Non ergo a veri tramite aberrarunt *Sinæ*, dum de vitiorum ſordibus parum ſolliciti in id potiſſimum incubuerunt, ut virtutis ſtudium effloreſceret, omnes vero in univerſum vitiorum fere ignorantia tenerentur. Atque ea in re imitati ſunt Logicos intelligentes, qui de præjudiciis cavendis parum cogitant, ſed in vires intellectus inquirunt, & quomodo iis ad veritatem perſcrutandam ſit utendum, perveſtigare ſolent certi, quod præjudiciis locus non ſit, ubi verum a falſo exacte diſcernitur; fruſtra vero præjudicia vitari jubeantur, ubi vires ad veri cognitionem deficiunt (65). Quod mentis humanæ ſint aliquæ (66) vires ad actiones bonas commit-

nulla ſit cupido. Immo antiquorum Hiſtoricorum fide conſtat, gentibus nonnullis plus profuiſſe ignorantiam vitiorum, quam aliis ſtudium virtutis. Facilius enim eſt omittere vitium, quod ignoramus, quam actionem edere honeſtam, quam agnoſcimus, contra nitentibus vitiis. Hinc etiam ſuadetur, ut caveamus, ne liberi ad bonos mores formandi videant actiones reprehenſione dignas.

(65) Exemplo ſunt Mathematici, qui in admittendis veritatibus nihil præjudicio dare ſolent, propterea quod demonſtrationibus digerendis ſunt pares. Contrarium vero exemplum præbent alii, qui de vitandis præjudiciis imperioſe præcipiunt, incauti tamen nonniſi ex præjudicio ſtatuunt.

(66) Dico, vires homini eſſe aliquas ad actiones bonas committendas, malas vero fugiendas, non autem ad omnem perfectionem ſufficientes, quam lex naturæ urget, immo ne quidem ad virtutem philoſophicam, qui infimus virtutis eſt gradus (*not.* 51.) ſufficientes. Nemo, quantum conſtat, virtuti philoſophicæ magis indefeſſam operam dedit, quam *Confucius*. Ille tamen Scient. Sinicæ lib. 2. f. 48. ultro fatetur, ſe perfectionem illam conſequi non potuiſſe, quam docuit alios. *Perfecti viri regulæ*, inquit, *ſunt quatuor; ego vero necdum* (tanto licet adhibito ſtudio) *ex illis quatuor vel unicam ſervare poſſum. 1. Vti exigo a meo filio,*

mittendas, malas vero iisdem oppositas fugiendas, neminem esse arbitror qui dubitet (67).

Vires

filio, ita servire patri, ego ipse nondum possum. 2. Vti exigo a meo subdito, ea cum fide servire Principi, ego nondum possum. 3. Vti exigo a meo fratre natu minore, ea cum observantia servire natu majori ego nondum possum. 4. Vti exigo a meo socio & amico, ei primas deferre & debitis officiis antevertere, ego quidem necdum possum. Vir autem perfectus ordinarias & quotidianas has virtutes absque ulla fictione opere exercet. - Si quid fuerit, in quo deficiat, adeoque non expleverit officium suum, tum non audet non sibi vim facere, ut tandem id expleat. - - - Severus suimet censor hoc agit, ut verba respondeant operibus & opera respondeant verbis. Hunc (virum perfectum) *ego imitari conor & ejusdem servans vestigia, longe quidem, sed tamen sequor.* Obiter observo, *Confucium*, dum ideam viri perfecti delineat, nullam injicere mentionem officiorum erga Numen, quorum tamen præ ceteris mentio fieri debebat, præsertim cum ista sint medium ad cetera. Patet itaque, quod superius (*not.* 45.) monuimus.

(67) Quis dubitet de eo, quod experientiæ consonum tyrones ex compendiis Theologiæ discunt. Ita enim *Hutterus* in Compendio Theologico Loc. 9. de libero arbitrio quæst. 3. *Humana*, inquit, *voluntas post lapsum habet aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & deligendas res rationi subjectas. Potest enim aliquo modo loqui de Deo, exhibere Deo certum cultum externo opere, obedire Magistratibus, parentibus, potest continere manus a cæde, ab adulterio, a furto &c. cum enim reliqua sit in natura hominis ratio & judicium de rebus sensui subjectis: reliquus est etiam aliquo modo delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendæ justitiæ civilis.* Et *Bechmannus* in Notis p. 258. monet, mentem *Hutteri* huc redire: *Hominem etiam non conversum post lapsum habere libertatem sive vires naturales agendi, agendi hoc & agendi illud, eligendi hoc & eligendi aliud, si sermo*

 sit de

Vires naturæ quænam.

In vulgus notum, eam esse ipsius indolem, ut non appetat, nisi quæ bona judicat, nec aversetur, nisi quæ mala reputat (68): unde dudum ab aliis annotatum, si quando contingat (contingit autem proh dolor! quam sæpissime) malum eligi, quod bonum videatur; hoc repudiari, quod mali quandam speciem præ se ferat. Pro comperto nimirum habemus, homines sensuum judicio stantes bonum voluptate, qua perfunduntur: malum dolore ac tædio, quo afficiuntur, æstimare. Quamobrem cum sensus nisi præsentia repræsentent, futura vero procul ab iis removeantur; transitoria cum perennibus confundentes bona apparentia veris præferunt & a bo-

sit de rebus rationi humanæ subjectis, h. e. *quæ ductu luminis naturæ, citra Spiritus S. specialem gratiam, ab intellectu cognosci possunt. Hujusmodi objecta autem esse vel naturalia, e. g. quæ ad hanc vitam degendam sive utilia, sive necessaria sunt; vel moralia, e. gr. virtutum actiones in Decalogo præceptas. Circa talia & similia objecta voluntatem hominis etiam non renati habere libertatem ea eligendi & non eligendi, eligendi hæc & eligendi alia.* Huc etiam pertinet, quod *Franciscus Turretinus*, celebris quondam Ecclesiæ Reformatæ Theologus, in Institutione Theologiæ elencticæ part. I. loc. dec. de libero arbitrio, quæst. 4. §. 3. p. 724. scribit: *Non negamus, aliquas vires in homine adhuc post lapsum supereſſe quoad opera illa externa & civilia bona, ut justitiam & temperantiam exerceat, misericordiæ & charitatis actum edat, ut manus a furto & homicidio abstineat & similium virtutum operationes edat, antecedente concursu Dei & auxilio ejus generali.*

(68) Legem appetitus jam olim, teste *Jamblicho* de mysteriis Sect. 1. c. 3. f. 4. &c.. *Aegyptii* agnovere. Nec eam ignorarunt *Sinæ* antiquiores *Aegyptiis*. Vnde voluntatem emendaturi a cultura rationis incipiebant, ut bonum a malo, verum ab apparente distinguere possent. Vide Scholam adultotum seu Scient. Sin. lib. 1. f. 31.

a bonis veris ſæpius abhorrent, quod voluptatem (69) pariant venturo demum tempore, in præſenti minime prævisam. Has ergo ſyrtes, hos ſcopulos evitaturus ventura proſpicere atque ex iis actionum ac rerum, quæ homines tangunt, valorem determinare debet (70). Ineſt menti facultas bonum a malo, malum a bono diſcernendi ac mentis nebulas, quas ſenſus objiciunt diſpellendi (71). Nimi-

(69) Sumo vocem *voluptatis* in eo ſignificatu, quem ipſi tribuit *Carteſius* epiſt. 6. part. 1. p. m. 13. 14. ut nempe idem ſit, quod ſenſus perfectionis ſive veræ, ſive apparentis. Hunc enim eſſe uſui loquendi conformem, & fœcundum, alibi (§. 404. & ſeqq. Met.) docui. Fœcunditas notionis in Moralibus præſertim elucet: quod meditationes noſtras morales de actionibus humanis attente perlegenti patet.

(70) Hæc non modo de virtute philoſophica valent, quam ſolam *Sinæ* excoluerunt, verum etiam de Chriſtiana. Qui nonniſi virtuti philoſophicæ operam navat, motiva non deſumit niſi ab intrinſeca actionum honeſtate & turpitudine (*not.* 51.). Quamobrem valorem actionis determinaturus reſpicere tenetur, quæ ex ea vel neceſſario, vel contingenter ſub hac, vel iſta hypotheſi poſſibili conſequuntur. Enimvero homo chriſtianus longius proſpicit & ſtatus quoque poſt hanc vitam venturi rationem habet, quem inprimis urget Chriſtus & ipſius dicto audientes Apoſtoli attenderunt. Oſtendi in metaphyſicis luminis naturalis vi agnoſci poſſe, fata hominum a providentia divina pendere & inde in moralibus deduxi, quod in pœnarum & præmiorum loco haberi queant, variis modis in actiones humanas influere apta. Si ergo virtuti philoſophicæ accedat pietas philoſophica, ventura proſpiciens fatorum quoque, quatenus directioni divinæ ſubſunt, rationem habet, minore tamen in Deum fiducia, quam homo chriſtianus, qui ſolus bonitatis divinæ perſuaſiſſimus, ſcrupulis exulantibus, quos religio naturalis minime tollit, ſola tollit revelata.

(71) Ideo lex naturæ dicitur cordibus hominum inſcripta & vident ipſi,

Nimirum actiones vel bonæ, vel malæ ſunt, quatenus hanc vel iſtam ſtatui noſtro mutationem inferunt (72): ratio autem probe exculta (73) mutationes prævidet, quæ ex actionibus ſive commiſſis, ſive omiſſis conſequuntur.

Principia praxeos morum.

Cum, quæ bona ſunt, ſtatum noſtrum minime perturbent, ſed ipſi, quæ meliora ſunt. Cum *Sinæ* nonniſi hac facultate uſi fuerint, ex libris eorum claſſicis diſcere licet, quousque eadem valeat.

(72) Sermo nobis eſt de mutationibus, quæ cum mentis, tum corporis ſtatui interno, tum etiam ſtatui noſtro externo accidunt. Ad ſtatum vero externum referimus omnia fortunæ bona, veluti opes, honores, amicos: ad ſtatum internum mentis & corporis bona mentis atque corporis. Evici autem in moralibus, actiones liberas ita determinari debere, ut conſentiant neceſſariis ſitque ſtatus interni mentis & corporis atque externi perpetuus conſenſus: ſic enim enaſcitur perfectio, ad quam dirigendæ ſunt actiones. Ego perſuaſiſſimus ſum, *Confucium* hanc actionum directionem perſpexiſſe, etſi cognitione diſtincta deſtitutus eam verbis explicare minime potuerit, ut agnoſcatur ab ignaris.

(73) Rationem ego definio per facultatem perſpiciendi nexum veritatum. Qui ergo eandem excoluere, illi perſpiciunt nexum inter actiones & quæ inde conſequuntur intercedentem, ita ut ex actione inferre queant, quæ inde conſequuntur, & ex his iterum, cujus actionis ſint conſequens. Rationem juvat experientia, dum annotamus, quænam ex actionibus conſequuntur, & in rationem inquirentes, cur fuerint ſecuta, dijudicamus, quænam ſequantur ſemper, quænam vero nonniſi ſub certis conditionibus. Atque ita ſapimus ex caſu vel noſtro, vel alieno. In homine rationem non ſemper eſſe puram, ſed experientiæ plerumque ſociam alibi monſtravi. Referimus autem ad culturam rationis quoque, ſi experientia illius vicem tueri poſſit, ubi ipſa ſibi ſola non ſufficit. Nec *Confucii* exemplo hæc deſtituunt ur, quippe qui rationem excoluit experimentis in ſeipſo ſumtis & attentione ad caſus alienos adhibita.

ſed tranquillum ac quietum conſervent; quæ vero mala ſunt, omnia confundant, ſumma imis miſceant, immo turbas perpetuas excitare ſoleant: mens utrumque prævidens actionum bonarum delectatione capitur; malæ autem diſplicent, quamdiu rationis judicio ſtatur. Habemus adeo ſtimulum ad proſequendum bonum, quod cognoſcimus, & fugiendum malum, cuius turpitudinem agnoſcimus (74). Vt propoſiti ſimus memores atque tenaces, memoriæ ac rationis vires amico vinculo inter ſe colligatas neutiquam excedit: quemadmodum alibi a me explicatum fuit diſertius (75). Cum itaque homo naturæ viribus uſus bonum ac malum diſtinguere, illius dulcedine capi, hujus amaritudinem faſtidire ac propoſiti memor eſſe poſſit: non video, qua fronte quis negare auſit, eſſe quasdam (76) naturæ vires ad virtutis (77) exercitium & vitiorum fugam ſufficientes. Et quoniam *Sinenſes*, quibus non alius virium uſus quam iſte fuit relictus, virtutis ac prudentiæ gloria præclari extiterunt; quod virium iſtarum uſus non incaſſum cadat, exemplo ſuo abunde docuerunt (78).

An vir-

(74) Stimulum addit voluptas ſive actu percepta, ſive prævisa & præſenſa, ad actiones committendas; tædium vero atque dolor ad easdem omittendas. Vnde motiva ſumimus ab eo, quod animum voluptate perfundit, & quod tædium creat atque dolorem. Homini nempe naturale eſt, ut placeat, quod ipſum voluptate perfundit, diſpliceat autem, quod tædium creat atque dolorem.

(75) Nempe in Philoſophia practica univerſali prop. 23. & poſtea in Meditat. moral. de actionibus humanis §. 173. & ſeqq.

(76) Vide, quæ paulo ante dicta ſunt not. 73.

(77) Loquimur de virtute philoſophica, quam Theologi juſtitiam civilem appellant (*not.* §1.).

(78) *Coupletus* in vita *Confucii* f. 119. probare nititur, virtutem fuiſſe Philoſopho, non meram ſpeciem fucumque virtutis. Ne andabatarum more pugnemus, vox virtutis liberanda eſt ab æquivocatione. Primum itaque per antecedentia liquet, hic non intelligi niſi virtutem philoſophicam, nequaquam vero theologicam

ſive chriſtianam. Species autem virtutis non eſt, ſi actio externa legi conformis diſſentit ab actione interna. Virtus non eſt absque conſenſu actionis externæ cum interna. Conſenſum hunc urget *Confucius*, urgent alii primæ autoritatis apud *Sinas* & vetuſtatis ſcriptores. Etenim, obſervante *Coupleto*, in Declarat. proœm. f. 86. 87. nil frequentius inculcatur & exaggeratur, quam *ut exemplo priſcorum Regum omnia agantur cum veritate & dicta omnia factaque ex intimo cordis ſemper proficiſcantur.* Sane *Confucius* Scient Sin. lib. 2. f. 48. ad ideam viri perfecti ſeu conſummatæ virtutis requirit, ut virtutes absque ulla fictione opere exerceat & id agat, ut verba reſpondeant operibus & opera reſpondeant verbis. Et lib. 3. part. 2. f. 32. urget, ut interiori naturæ ſimplicitati & candori externus cultus ita ſocietur, ut ſibi mutuo grata cum diverſitate, ſed & juſta cum proportione reſpondeant. Immo docet ibidem *Confucius*, non ſufficere, ut agamus, quæ legi naturali conformia ſunt, propterea quod intrinſecam eorundem moralitatem agnoſcimus, nec ſufficere, ut virtutem amemus aut voluptatem ex ea percipiamus; ſed id omnino requiri, ut læti agamus, quod eſt officii noſtri, gaudio elati ſuper occaſione virtutem exercendi. Hinc lib. 3. part. 1. f. 13. ad virtutem requirit promptitudinem, conſtantiam & animi corporisque alacritatem, atque præcipit, ut virtus dijudicetur non ex opere externo, ſed ex animi ſtatu interno. Hanc nimirum præſcribit methodum aliorum mores conjectandi, ut 1. obſerventur actiones, examinata earundem cum lege conformitate: ut 2. inquiratur finis uniuscujusque operis, ac inde judicetur, quo animo quove conſilio agatur, quod juſtum atque honeſtum eſt: 3. Vt tandem ſciſcitemur, in quo acquieſcat qui, quæ facit, cum fide juſtitiaque, bono item fine atque conſilio facit; ſicque judicemus, num forte parum volens & quaſi per vim coactus faciat, an vero ex ipſa virtute & honeſtate operis voluptatem capiat. Rationem hujus examinis reddit Philoſophus, quod, niſi hæc adfuerint requiſita, virtus conſummata dici non poſſit, nec diuturna perſeverare queat. Quæ præcipit *Confucius*, a *Sinis* antiquiſſimis ad praxin quoque fuiſſe deducta, variis documentis probari poteſt.

Pro-

Provoco ad regulas, quæ, annotante *Couplcto* Scient. Sin. lib. 1. f. 12. 13. judicibus ad explorandam litium ſinceritatem fuerunt præſcriptæ, ſcilicet ut 1. obſervetur verborum compoſitio ac loquendi mos in actore litem movente, 2. oris totiusque vultus compoſitio, 3. modus reſpirandi, dum litem actor proponeret, 4. quam expeditæ ſint actoris aures, an ſcilicet a judice interrogatus perplexe perturbateque, vel aliena & ambigua reſponderet. 5. num incerti ſint oculorum conjectus nictusque, ſi quid in his ſubdoli minusve ſinceri appareret. Cum enim cultu Dei vero deſtituti & ab idololatrico abhorrentes, quod rationi repugnaret, juramento carerent, ex verborum, vultus, reſpirationis, aurium & oculorum ſollicita & circumſpecta obſervatione actoris ſinceritatem & veritatem vel ſimulationem & malitiam detegere tenebantur. Methodi iſtiusmodi poſſibilitatem rationibus hactenus defendi, cum generalia de conjectandis aliorum moribus proponerem in moralibus, & eam inter deſiderata retuli. Gaudeo itaque, ubi intelligo, Sinis antiquiſſimis eam jam fuiſſe perſpectam, nec infeliciter ad praxin deductam. Mallem profecto ut, cum tot præclara & humano generi utilia in omni ſcientiarum ac artium genere invenienda reſtent: de promovendis & ornandis ſcientiis atque artibus, non de litibus ſerendis cogitarent, qui applauſum imperitorum & inconſideratorum ſibi pollicentes & favore potentum confiſi dominatum in Rep. litteraria affectant, libertate philoſophandi, qua ipſi fruuntur, in tyrannidem verſa. Sed redeamus ad *Sinas* noſtros. Accipe igitur, ipſum quoque *Confucium* veritati & ſinceritati intentionis ac voluntatis ſtudioſum, non modo præcepiſſe aliis, ut ſincere averſentur mala & vitioſa, ſicuti (interprete diſcipulo *Tſem Tſu* Scient. Sinic. lib. 1. f. 13.) averſatur quis fœtida, & ſincere gaudeant bonis & honeſtis, ſicut quis gaudet & delectatur ſpecioſis pulchrisque viſu, commendans acquieſcentiam in ſeipſo, cujus ego quoque magnum in moralibus momentum feci. Facta *Confucii* id abunde loquuntur, etſi dictis fidem habere nolis. Moleſte enim tulit, cum ſi rerum omnium peritiſſimus haberetur, tum ſi ſolida ipſi animi ſinceri perfectio tribueretur. Vid. Sin. Scient. lib. 3. part.

An virtuti limites ſint conſtituendi.

Quemadmodum vero temerarium, audax ac periculi plenum habe-

4. f. 31. 44. Immo cum eſſent, qui aſſeverarent, in toto imperio non reperiri parem, nedum ſuperiorem; reſpondit Philoſophus, in occidente virum ſanctum exiſtere, ſe ſcilicet perfectiorem: id quod anno poſt Chriſtum 65. permovit Imperatorem *Mim ti*, ut occaſum verſus legatos mitteret virum ſanctum & ejus legem ibi quæſituros, qui infelici ſucceſſu inde idolum *Foe* ex Indiis in Chinam deportarunt, una cum cultu idololatrico, metempſychoſi *Pythagorica*, plurimisque fabulis & ſuperſtitionibus. Vid. *Coupletus* in vita *Confucii* f. 120. & in declar. proœm. f. 27. Maxima ipſi vel in minimis infimisque rebus erat cura, id quod exemplis confirmatur Scient. Sin. lib. 3. part. 5. f. 66., maximum vero hoc eſſe ad veritatem & ſinceritatem in ſtudio virtutis adjumentum, a me demonſtratum eſt alibi. A rebus obviis anſam de virtutis ſtudio cogitandi arripiebat felicitate ingenii uſus: cujus aliquod exemplum Scient. Sin. loc. cit. f. 57. occurrit. Ingemiſcebat, quaſi actum eſſet de ſua doctrina, cum temporum ſuorum calamitatem intueretur & emendationem deſperaret, & temporum ſuorum pertæſus patriam relinquere deſiderabat, inter gentes barbaras vitam acturus. Vid. Scient. Sin. loc. cit. f. 55. 57. Omitto alia bene multa, quæ huc referri poſſent. Proſtant vero alia quoque exempla, quæ idem confirmant, quod *Confuciano* ſtabilivimus. Sane *Xun* Imperator, annotante *Coupleto* Scient. Sin. lib. 1. f. 21. non modo viros ſapientes undiquaque conquiri & magnis aliquando expenſis accerſiri juſſit, ut ex eorum conſortio proficeret; verum etiam, quod præ ceteris memoratu dignum, Tabulam palam (ut habet Tabula Chronologica f. 4. expoſuit, ut quilibet in ea notaret, ſi quid a ſe peccatum animadverteret. Tanta ipſi recti regiminis cura fuit, cujus præcipua pars exiſtimabatur, ſubditis exemplo præire. Similiter anteceſſor ipſius *Yao* erat dives ſine elatione, nobilis ſine inſolentia, honeſtus & ſincerus ſine fictione & tanta Imperium cura adminiſtrabat, ut famem popu-

habetur intellectui terminos in veritate investiganda assignare (79); ita nec audaciae ac temeritatis notam effugiet, qui naturæ vires in bono

populi suam & peccatum populi suum judicaret, referente *Coupleto* loc. cit. f. 21. Omittimus alia, ut prolixitatem evitemus.

(79) Abunde hoc docet exemplum Mathematicorum. Sane Astronomi semper ab eo præjudicio fuerunt liberi, quod alteri repertu impossibile sit, quod huic vel isti reperire non datum, & quod nullo modo reperiri possit, quod hoc vel isto frustra quæsitum, propterea quod ipsis exempla in contrarium præsto fuerunt, nec ignotæ rationes, ob quas posteris datum, quod ipsis negatur. Iidem igitur siderum scientiam ad majorem indies perfectionem perduxerunt & hodienum perducunt. Qui Matheſi puræ operam dederunt, longo temporis intervallo nullis scientiam locupletarunt inventis, propterea quod sibi persuaderent, summum *Archimedis* & *Apollonii* acumen a nemine superari posse; immo plerique ingenio suo diffidentes *Archimedea* & *Apolloniana* ne primis quidem labris degustarunt. Enimvero postquam initio seculi superioris præjudicium hoc evanuit, tot ac tantis Matheſis pura ditata est inventis, ut, si *Archimedi* & *Apollonio* redivivis exhiberentur modernorum Geometrarum scripta, nondum tyrocinia sibi depositisse viderentur Geometræ summi, modernorum Doctores. Hæc vero non ita accipi velim, ac si laudi veterum promeritæ aliquid detrahere velim: neque enim me fugit, quod, qui summo ingenio & acumine detecta perspexit, longe minori instructus ulterius progredi possit imitatus artificia antecessorum & usus ipsorum inventis tanquam principiis. Docent etiam disciplinæ ceteræ, quod nostro ævo antecessorum molimina fuerint antegressi viri industrii atque sagaces: neque ullum est dubium, fieri posse, ut & ipsæ indies magis magisque perficiantur & novis accessionibus ditentur, modo in genuinam philosophandi methodum solertius incumbatur, quam hactenus plerisque visum fuit, qui ad hæc studia animum applicarunt.

bono proſequendo limitibus coërcere ſuſtinuerit (80). Vtut enim ad

(80) Præclarum hujus rei exemplum *Confucius* præbet, qui ſolis naturæ viribus in proſequendo virtutis philoſophicæ ſtudio uſus (*not.* 55.). Ingenue enim fatetur Philoſophus animi ſinceri, quod per omnem vitam ſuam majores fecerit in eodem progreſſus, haud quaquam tamen metam attigerit. Hos nimirum Scient. Sin. lib. 3. part. 1. f. 10. exponit in ſtudio philoſophiæ practicæ progreſſus. Anno decimo quinto primum applicuit animum ad majorum inſtituta perdiſcenda, ut eorum dicta factaque ſibi redderet perſpecta. Anno trigeſimo id erat conſecutus, ut in ſuſcepto virtutum ſapientiæque ſtudio firmiter perſiſtens nulla re externa animum inde ſuum avocari pateretur. Anno quadrageſimo eam conſecutus fuerat mentis aciem, ut honeſtatem intrinſecam in quolibet caſu obvio diſcernere poſſet, omnibus ſublatis dubiis, quæ antea nonnunquam animum ſuſpenſum tenuerant. Anno quinquageſimo rationes honeſtatis intrinſecæ in naturis rerum obvias perſpexit. Anno ſexageſimo aures ipſi erant faciles & ſecundæ, ut rationi obtemperaret, quamvis reluctante appetitu ſenſitivo. Septuagenarius tandem hunc longæ meditationis victoriæque ſui ipſius percepit fructum, ut appetitus eſſet legi naturali conformis. Haud difficile mihi foret ex meis philoſophiæ practicæ univerſalis principiis, quibus confeſſio *Confuciana* ad amuſſim congruit, rationes reddere evidentes: ſed cum hic locus non ſit opportunus, ea commodiori reſervamus. Dubio tamen alicui ſatisfieri convenit, quaſi perperam ab intellectu ad voluntatem argumentatio fieret. Etenim perfectio intellectus unius hominis plurimum juvat alios intellectui excolendo vacantes, cum & aliorum inventis tanquam principiis uti, & eorum artificia heuriſtica imitari poſſimus: aſt non perinde nos in perficienda voluntate juvare videtur aliena virtus. Hæc quidem ita videntur, quamdiu non attendimus; voluntatem a motivis & virtutis exercitium a mediis pendere. Quibus actionum liberarum motiva una cum mediis atque remediis ab aliis felici ſuc-

ad intimiorem præſertim mentis humanæ notitiam admiſſus (81) docere poſſit, quantum *Sinæ* profecerint, ſiquidem ipſorum Annales (82), quibus antiquiſſimorum Imperatorum ac Regum geſta & facta celebrantur, curatius evolvere ipſi detur: cum tamen certum ſit, eos metam ultimam haud quaquam attigiſſe (83), quod ibi ſiſten-

ſucceſſu adhibitis innoteſcunt, illis virtutis exercitium facilius redditur, quam ſi ex proprio & alieno, ſed præſenti caſu ſapere debent. Accidit, quod aliis adhuc modis in praxi morum juvent exempla: quemadmodum alibi docui, ſed hic paucis exponi nequit.

(81) Actiones honeſtæ naturæ mentis conveniunt, inhoneſtæ eidem repugnant. Quamobrem rationem redditurus, cur illæ ſint honeſtæ, hæ vero inhoneſtæ; naturam mentis humanæ perſpectam habere debet. Similiter ſi quis virtuti philoſophicæ, quam ſolam coluere *Sinenſes*, operam navat; praxeos quoque ratio ex ſola mentis natura reddenda: neque enim alia locum habent, niſi quæ per eam fieri poſſe intelliguntur. Ego ex hoc fonte theoriam & praxin moralem a priori deduxi & eadem principia ad Philoſophiam *Sinarum* applicans reperi, ſolidi quidpiam eidem ſubeſſe.

(82) Annales enim *Sinenſium* ea accuratione conſcripta ſunt, ut ex iis in philoſophia cum morali, tum civili omnium optime proficere liceat (*not.* 5.). Vnde & *Confucius* philoſophiæ morali atque civili operam daturus eorundem lectioni incubuit (*not.* 5.). Mentis notitia deſtitutus in rationes inquirere haud quaquam potuit: quamobrem quid veterum dictis factisve ſubſit, ſumto in ſe experimento dirimere voluit (*not. cit.*), difficiliori labore a poſteriori conſecutus, quod longe faciliori a priori conſequi poſſumus. Vide, quæ paulo ante (*not.* 80.) dicta ſunt. Non ergo inanem operam ſumerent Miſſionarii, ſi antiquiſſimos annales, unde profecit *Confucius*, in linguam Latinam transfunderent.

(83) Si quis perpendit, quantus *Confucio* honor ob virtutem, qua excelluit, deferatur (*not.* 27. & ſeqq.); is minime in dubium

voca-

ſtendum ſit, quo illi pervenerunt, quis affirmare auſit? Veniendum itaque in rem præſentem, nec quousque progrediendum ſit, multa

vocabit, quod inter *Sinas* neminem parem, nedum ſuperiorem habuerit *Confucius*: id quod multo lubentius largietur, ubi perpenderit, quam indefeſſum fuerit ejus ſtudium, ut omnia animo ſincero fierent. Cum ſoli *Sinæ* viribus naturæ puris uſi fuerint (*not.* 55.), nec quicquam per commercium cum gentibus aliis acceperint (*not.* 56.); nullum ſane habemus exemplum magis illuſtre, quo doceri poſſit, quantum valeant vires naturales, illæ imaginis divinæ reliquiæ: ut adeo nova appareat ratio, cur operæ pretium facerent Miſſionarii, ſi vitæ *Confucianæ* deſcriptionem omnibus numeris abſolutam darent, ſcilicet ut citra controverſiam appareat, quantum poſſit natura. Confer. not. 20. Immo quoniam *Confucius* ſua ex Annalibus antiquis hauſit & Imperatorum præſertim *Yaonis* atque *Xunii* imitatorem egit, ut vel Annales integri a *Fohio* usque ad *Xun*, vel vitæ minimum duorum Imperatorum *Yaonis* atque *Xunii* iſti jungerentur optandum foret. Qui inde damnum gratiæ metuunt; næ! illi parum præclare de eadem ſentiunt. Quantuscunque enim fuerit virtutis philoſophicæ gradus viribus naturæ parabilis, haud quaquam tamen natura gratiæ æqualis evadet in virtutis ſtudio non modo propter enormem differentiam, quæ inter virtutem philoſophicam & theologicam intercedit (*not.* 51. 53.), verum etiam ob modi ad virtutem perveniendi diverſitatem inſignem. In ſingulis enim praxeos capitibus gratiæ præ natura prærogativa elucet, ut taceam natura ſuperiora per gratiam fieri poſſe. Prærogativa iſta diſtincte demonſtrari poteſt, ſi vires naturæ diſtincte fuerint perſpectæ. Neque ullus dubito, demonſtrationem iſtam non parum profuturam *Sinis* naturæ viribus nimium tribuentibus. Virium enim naturæ & juſtitiæ civilis ſeu virtutis philoſophicæ diſtincta cognitio non modo in ruborem dat omnes, quotquot Chriſto nomen dedere, a perfectione tamen hujus virtutis procul abſunt, multo minus autem chriſtiana excellunt; verum etiam cognita inde ulterius gratiæ prærogativa effi-

multa cum ſollicitudine percontandum, quin potius, quantum datur, progrediendum. Hæc a conſuetudine *Sinarum* antiquorum aliena non ſunt (84), qui majorum ſuorum exempla in caſibus non modo ſimilibus, verum etiam diſſimilibus imitati ſunt, nec alibi quam in ſumma perfectione (85), hoc eſt, nunquam ſiſtendum eſſe.

efficit, ut hanc iſti præferant, qui virtutis amore ducuntur. Enimvero quamvis *Confucius* in ſtudio virtutis philoſophicæ mire profecerit (*not.* 80.); ipſe tamen ultro fatetur, ſe gradum ejus ſupremum nondum attigiſſe, neque deſperavit fieri poſſe, ut alius progrediatur longius (*not.* 66.).

(84) Perpende ea, quæ paulo ante (*not.* 80.) *de Confucio* dicta ſunt, qui a decimo quinto ætatis anno usque ad ſeptuageſimum, immo usque ad extremum vitæ halitum in ſe perficiendo aſſiduum poſuit ſtudium & incrementa non modo notavit, verum etiam rigoroſe inquiſivit, quantum adhuc ab ea perfectione abſit, quam lumine naturæ hominem decere agnoverat, ut eadem eluceat actionum in microcoſmo conſenſus, qualem in macrocoſmo deprehendimus. Diſerte enim in libro de immutabili medio ſive Scient. Sin. lib. 2. f. 74. urget iſtiusmodi actionum directionem, ut perfectiſſimus conſurgat in hoc univerſo rerum concentus & res omnes finem naturæ ſuæ conſentaneum conſequantur. Etenim *Confucius* ſecutus ideam, quam a *Fohio* acceperat (*not.* 7.), teſtibus interpretibus *Sinenſibus* ibidem lib 2. f. 42., hominem habuit pro parte univerſi, atque adeo ad perfectionem ejusdem requiſivit conſenſum microcoſmi cum macrocoſmo in libera noſtrarum actionum determinatione. Aſſecutus adeo eſt *Confucius*, aſſecuti ſunt ante ipſum *Sinæ* fontem juris naturalis a nobis indicatum, nempe ut ad perfectionem cum hominis tanquam microcoſmi, tum univerſi tanquam macrocoſmi obtinendum actiones liberæ per easdem rationes generales dererminentur, per quas determinantur naturales.

(85) Docet hoc *Confucius* initio Scholæ adultorum ex verſione *Noëlliana*. Equidem *Couplетus* cum ſociis Scient. Sin. lib. 1. f. 1,

eſſe docuerunt. Videtis Fontem, Auditores, unde ſapientiæ ac prudentiæ rivulos olim deduxere *Sinenſes*: Sed agedum! contemplemur etiam (id quod nobis inprimis propoſitum eſt) rivulos, ut, quam limpida ſit aqua, quæ per ipſos decurrit, palam fiat.

Magnum praxeos morum principium.

Maximum ad virtutem momentum affert diſtinctio inter partem animæ ſuperiorem ac inferiorem (86), veterum nonnullis etiam animadverſa, etſi non ſufficienter intellecta & explicata. Referuntur (87) ad partem inferiorem ſenſus, imaginatio atque affectus,

per ſummum bonum vertit, quod *Noëllio* eſt perfectio. Quodſi tamen ad antecedentia attendas, ea præſertim, quæ *not. præc.* dicta ſunt, memor illorum, quæ ſuperius (*not.* 7.) monuimus, verſionem *Noëllianam* anteponendam eſſe *Coupletianæ* haud quaquam diffiteberis. Accedit conſenſus interpretum *Sinenſium*, quem ipſe *Coupletus* innuit, dum addit: Per *ſummum bonum* interpretes hic intelligere ſummam actionum omnium cum recta ratione conformitatem. In eo autem conſiſtit perfectio hominis, quatenus eſt ſuarum actionum dominus, ut actiones omnes per rationem determinentur, adeoque non modo inter ſe, verum etiam cum naturalibus non minus microcoſmi, quam macrocoſmi conſentiant (*not.* 84.).

(86) Abunde hoc oſtendi in moralibus, neque ignoravit *Confucius*, qui tantum ſtudii in eo poſuit, ut appetitus ſenſitivus ſponte ſua conſentiret cum rationali: id quod ſeptuageſimo demum ætatis anno, tribus propemodum ante obitum ſuum, ſe conſecutum fuiſſe fatetur (*not.* 80.).

(87) Differentiam inter partem animæ ſuperiorem & inferiorem clariſſime tradidi in Pſychologia, cujus partem empiricam pariter atque rationalem huic diſtinctioni tanquam fundamento ſuperſtruxi. Ad oculum hoc patet ex Inſtitutionibus *philoſophiæ Wolfianæ*, quas dedit Cl. *Thümmigius*, qui Pſychologiam empiricam & rationalem ita propoſuit, ut ſingularibus capitibus facultatis tam cognoſcitivæ, quam appetitivæ partem inferiorem atque ſuperiorem explicaverit.

ctus, hoc eſt, quod confuſum in perceptionibus exiſtit & ab iis, quatenus confuſæ ſunt, pendet (88): ad partem vero ſuperiorem pertinent intellectus (qui ad vocis ambiguitatem inconſtantia loquendi eidem conciliatam tollendum (89) purus interdum appellari ſolet) ratio atque libera voluntas, hoc eſt, ut verbo dicam, quod in perceptionibus diſtinctum reperitur & ab iis, quatenus diſtinctæ ſunt, proficiſcitur.

Vnde conſuetudo bene agendi virtutem mentiens.

Qui in confuſa rerum cognitione acquieſcunt, nec appetitu alio, quam quem ſenſitivum Philoſophi appellant, ac ortis hinc affectibus ad actiones ſtimulantur; ſolam recte agendi conſuetudinem contrahunt metu ſuperioris potiſſimum conſervandam, ne data occaſione per contrariam tollatur (90). Neque in hoc ſtatu a brutis differt homo, quibus equidem natura rationis uſum non conceſſit,

(88) *Sinæ* differentiam inter partem animæ ſuperiorem & inferiorem inculcarunt, modo terminos ipſorum intelligas, & inſtar magni principii morum jam ante *Confucium* inculcarunt Imperatores antiquiſſimi *Yao* atque *Xun*, quos ſibi præſertim ſequendos eſſe duxit *Confucius*. Vocant nimirum appetitum in genere *cor* & appetitum quidem ſenſitivum *cor hominis*, rationalem vero *cor rationis*, & praxin morum huc redire inculcant, ut appetitus ſenſitivus reducatur ad rationalem. Vid. Scient. Sin. lib. 2. f. 41. Eo quoque collineare omnia *Confucii* dicta factaque abunde patet, tum inprimis ex Philoſophi de ſuo in virtutis ſtudio progreſſu confeſſione (*not.* 80.) intelligitur.

(89) Hæc mihi potiſſima cura fuit per univerſam philoſophiam, ut omnes, quibus utimur, voces ab ambiguitate liberarem, quam inconſtantia loquendi introduxit.

(90) Ipſa experientia hoc confirmat. Vidi proh dolor! per annos complures quotidie exempla bene multa, mirantibus morum intempeſtivis formatoribus, quod omnis labor ipſorum eſſet fruſtraneus, cum rationem tanti mali ignorarent rationis uſum ejurantes.

ceſſit, aſt ſenſus tamen &, qui hinc oritur, appetitum non denegavit. Quo pacto itaque animantia bruta ad certas quasdam actiones adſuefieri ſolent, eodem quoque homines in iſto ſtatu ad actiones noſtro arbitratu edendas adſuefiunt.

Vnde vera virtus.

Enimvero qui ad diſtinctam rerum cognitionem mentem elevant ac appetitu, quem Philoſophi rationalem vocant, in bonum feruntur, illi voluntate libera ad actiones bonas determinantur, nec, ut in bono perſiſtant, ſuperiore opus habent, propterea quod boni ac mali diſcrimen intrinſecum agnoſcunt aliisque, ubi opus fuerit, ſufficienter explicare valent. Qui in formandis hominum moribus hæc rectius obſervaverit, quam *Sinenſes*, ego profecto! novi neminem (91).

Duplex

(91) Commendatur in Annalibus *Sinenſium* Imperator Legislator *Yao*, referente *Coupleto* Scient. Sin. lib. 1. f. 21. quod adeo ſubditorum voluntates ſibi devinxerat, ut ei non jam *metu pœnæ*, aut *ſpe præmii*, ſed *gratuitis* omnino *animis veluti patri* parerent. Hæc a legislatore *Sinarum* conformiter intentioni *Fohii* primi Conditoris imperii fiebant (*not.* 7.). Et *Confucius* Scient. Sin. lib. 3. part. 1. f. 10. cum ſervo improbo illos comparat, qui nonniſi per terrores atque ſupplicia in officio continentur, ſeu metu ſuperioris legi conformia agunt, cum abſit pudor & verum criminum odium. Metum, qui pœnis extorquetur, ſervilem appellat, eumque malum officii magiſtrum appellat, propterea quod non diu in officio perſiſtit, qui ſervili metu compulſus a delictis gravioribus ſeſe abſtinet. Ibidem vero metum filialem commendat ex amore profectum erga ſuperiorem, quem veræ & perennis virtutis ducem prædicat. Idem f. 12. cum animantibus brutis comparat, qui actiones bonas aliunde, quam ex amore profectas edunt, nec f. 13. virtuti tribuit, niſi quæ ſua veluti ſponte & parum coacte fiunt. Vnde lib. 3. part. 2. f. 11. urget, ſubditos juſtitia atque clementia, non minis atque terroribus in officio contineri debere, moleſtiſſime ferens, quod diſcipulus

inter-

Duplex Sinarum ſchola ad formandos mores.

Cum ſtatus *Sinenſium* ſub Imperatoribus, quos ſupra commendavimus, efflorescceret; duplex ubivis locorum in imperio *Chinæ* vigebat ſchola (92). Altera vocabatur *ſchola parvulorum* (93), quæ parte animæ inferiori tanquam fundamento innitebatur: altera vero *ſchola adultorum* (94), quæ ad partem animæ ſuperiorem tota referebatur. Atque hæc erat ratio, cur ſcholam parvulorum frequentarent

interpretatione falſa Regis *Ngai cum* regni *Lu* animum ad immodicam ſeveritatem concitaſſet, a qua prudens antiquiſſimorum *Sinarum* ætas ſemper fuerit alieniſſima.

(92) Quæ de duplici ſchola commemoro, *Noëllius* diſertiſſimis verbis tradit. Miror itaque R. R. Patres Miſſionarios, qui nobis *Confucium* ante *Noëllium* dederunt (*not.* 1.), alto ſilentio rem tanti momenti premere.

(93) Eſt inter libros claſſicos imperii *Sinenſis*, quos vertit *Noëllius*, unus, qui inſcribitur: *Schola parvulorum.* In eo continentur ea, quæ in ſchola parvulorum docebantur. Erant autem *Sinæ* morum non modo doctores, verum etiam formatores. Docebant non modo dictis, verum etiam factis, ut eſſent diſcentibus exemplar. Quodſi quis ea perlegerit, quæ in ſchola parvulorum præcipiuntur, ille abunde perſpiciet, in ſchola parvulorum non fuiſſe habitam rationem niſi partis animæ inferioris. Ipſa quoque ætas idem inſinuat, quam diſcentes in ſchola parvulorum conſumſere.

(94) Inter eosdem libros claſſicos unus quoque comparet, qui *ſcholæ adultorum* fert nomen apud *Noëllium:* quod tamen nomen omittitur a *Coupleto* & Sociis, qui *Scientiæ Sinicæ* librum primum vocant. In eo continentur ea, quæ in ſchola adultorum docebantur. Quodſi quis ea attente perlegerit, is abunde perſpiciet, in ſchola adultorum fuiſſe habitam rationem partis animæ ſuperioris. Ipſa quoque ætas eorum, qui in ſcholam adultorum admittebantur, idem innuit.

tarent pueri ab octavo ætatis anno usque ad decimum quintum (95), quamdiu nempe usu rationis carentes sensuum ministerio duci flectique debebant; ad scholam vero adultorum non admitterentur, nisi qui decimum quintum ætatis annum attigissent, ut rationis usu sese exerente ad altiora eniterentur. Immo eadem erat ratio, cur in scholam parvulorum mitterentur promiscue omnes tam Imperatoris, Regum ac virorum illustrium, quam ipsius plebis infimæ liberi: ast in scholam adultorum non pateret ingressus nisi liberis Imperatoris, Regum ac virorum illustrium, ex plebe autem non admitterentur, nisi qui ingenio, judicio ac solertia ceteris præstarent.

Scholæ adultorum necessitas & ratio.

Cum in schola parvulorum ad bonos mores adsuefierent pueri, consuetudo autem in bono ibidem contracta sine metu superioris conservari non posset; quæ ibi didicerant, minime sufficiebant olim imperio potituris, vel ad parendum minus pronis: illi enim superiorem non habent, a cujus nutu pendent (96); hi suo genio, quam alterius jussu regi malunt (97). Quoniam itaque in schola adul-

(95) Apparet nunc ratio, cur *Confucius* anno ætatis decimo quinto animum appulerit ad philosophiæ studium (*not.* 5.).

(96) *Sinarum* inprimis Reges atque Imperatores non habebant, quem metuebant, superiorem, cum ignorantia Autoris & Moderatoris rerum supremi tenerentur (*not.* 54.), cujus metu apud nos a patrandis iis, quæ legi naturali repugnant, revocari possunt, qui in terris non agnoscunt superiorem, quem vereantur.

(97) *Sinæ* præserrim suo genio, quam alterius jussu regi malebant, quod firma ipsorum animis inhæreret opinio, *Confucio* strenue inculcante, virtutis non esse, quod præmio vel metu superioris extorquetur, ut adeo ipsi Imperatores exemplo magis subditorum animos sibi devincire, quam pœnarum metu obligare maluerint (*not.* 91.), & eo usque in virtutis studio esse progrediendum, donec appetitus sensitivus cum rationali sponte veluti sua consentiat (*not.* 88.). Huc refer ex Scient. Sin. lib. 2. f. 41. passionum cum ratione, quem urgebant, concentum.

adultorum docebantur, quomodo unusquisque se ipsum regere debeat, ut sponte faciat (98), quod laudem meretur; sponte fugiat (99), quod turpitudinis labe notatur; ea formandis illorum moribus conveniebat, qui vel olim alios regere debebant nullius imperio ipsimet subjecti, vel sub imperio alterius sponte facere debebant a superiore præcepta, vel præcipienda. E contrario autem ad serviendum nati ex hac schola arcendi erant, tum quod stupidi non caperent, quæ ad seipsum regendum præcipiebantur, tum quod sub imperio alterius degens seipsum regere non habeat opus, ubi in obsequium proclivis fuerit (100). Omnia *Sinarum* molimina ad bonum regimen tanquam metam (101) tendebant, ut nimirum in Rep. bene constituta felicitatem consequerentur (102), quotquot in eadem degerent.

Scho-

(98) Ipsius nimirum virtutis amore, ut sincere gaudeat bonis & honestis, sicuti quis gaudet speciosis pulchrisque visu (*not.* 78.).

(99) Ipsius scilicet vitii odio, ut sincere aversetur mala, sicuti qui fœtida aversatur (*not. cit.*).

(100) Vt ad obediendum essent proclives, qui seipsos regere non poterant, exemplum imperantium & obsequium intelligentium haud parum proderat. Ad eundem scopum tendebat reverentia erga superiores & sapientes studiose inculcata & superiorum & sapientum studium indefessum, quo se redderent reverentia dignos.

(101) Nam, docente *Confucio* in schola adultorum sive Scient. Sin. lib. 1. f. 3., antiqui Reges atque Imperatores primum corpus suum dirigendi habitum sibi comparabant, ut haberent ideam regendi familiam. Deinde familiam recte instituendi habitum sibi acquirebant, ut regni administrandi ideam nanciscerentur. Tandem denique regni administrandi cura sollicita tenebantur, ut imperii administrandi idea ipsis non deesset. Studiose igitur observabant actionum omnium uniformitatem felicitate ingenii usi, ut singula ad bonam Reip. administrationem collinearent.

(102) Monuimus jam supra (*not.* 66.), *Sinas* totos inhiare terrenæ felicitati, ignaros Numinis supremi (*not.* 54.) & vitæ olim futuræ.

Scholæ utriusque inſtitutum.

Hinc in ſchola parvulorum ad obſequium, in ſchola adultorum ad imperium præparabantur, ut, quemadmodum modo diximus, ad ſerviendum nati imperantibus parerent, imperantes nonniſi ſalutaria præciperent ſuoque exemplo præirent, intelligentes denique ab imperio excluſi atque parentium numero adſcripti ſuperiorum juſſui conformia proprio motu facerent. In ſchola itaque parvulorum reverentia inprimis (103) erga parentes, ſeniores ac ſuperiores urgebatur ac modeſtiæ ſubmiſſionisque legibus animi tenelli imbuebantur: in ſchola vero adultorum rationes rerum (104) aperiebantur & ad regendum cum ſe, tum alios regulæ ſalutares tradebantur. In utraque nihil a diſcentibus exigebatur, niſi quod in vita (105) uſum haberet: in utraque etiam diſcentes non modo ope-

(103) Videatur liber claſſicus, qui inſcribitur *ſchola parvulorum*, apud *Noëllium*.

(104) Haud obſcure id colligitur ex libro claſſico *Sinenſium*, qui apud *Noëllium* ſcholæ adultorum fert nomen.

(105) Ita ſane *Coupletus* in Declarat. procœmiali f. 34. *Priſca*, inquit, *Sinarum ætas ſapientiæ, prudentiæ ac reliquarum virtutum ſincera cultrix & magiſtra, cum admirabilem cœli terræque ordinem & conſtantiam ſemper admirata fuit, tum etiam perquam ſollicite ſtudioſeque conata eſt imitari. Hinc petivit illa monarchicum ſuum regimen, quod annos quater mille jam viguit; hinc infimorum per media mediorumque per ſumma, tam aptum facilemque gubernandi modum: prorſus ut videantur priſci gentis Reges ac Sapientes in hoc uno tota contentione mentis & corporis laboraviſſe; ſublimiores vero magisque remotas a ſenſibus philoſophantis Græciæ delicias ne primoribus quidem labris unquam deguſtaſſe, fortaſſis etiam averſaturi animo & non modo aurium, ſed finium quoque aditu prohibituri, ſi quis inde vel* Ariſtoteles, *vel argutior quicunque Sophiſtes e* Stoicorum *vel* Peripateticorum *ſcholis in* Chinam *commigraſſet. Vna pax ſcilicet & conſtans, æquabilisque tam morum, quam legum ratio in votis erat.* Hinc & *Con-*

operam dabant, ut, quod ipſos agere deceret, probe intelligerent; verum omnes etiam corporis animique vires indefeſſo unusquisque ſtudio intendebat, ut, quod cognoviſſet, ipſo opere exequeretur (106). Hæc quidem utriusque ſcholæ facies erat, cum in aureo

& *Confucius* nihil alios docuit, niſi cujus ſucceſſum in ſeipſo fuerat expertus (*not.* 20.) & raro ſane candore diſcipulis expoſuit ſuos in ſtudio virtutis progreſſus (*not.* 80), ſuosque in ſumma perfectione defectus (*not.* 66.), ægerrime ferens, ſi de ipſius virtute & ſinceritate præclarius ſentirent, quam par erat (*not* 78.), ne ſcilicet de virtute comparanda temerarie ſtatuentes ejus quadam ſpecie deluderentur, & nubem pro *Junone* amplecterentur. Ideo etiam non utuntur rationibus ad confirmanda præcepta, niſi quæ ab exemplis derivantur, & ipſas rationes profundius ſcrutatas exemplis illuſtrant, multum ſtudii in Annalibus conſignandis collocantes (*not.* 19.), ne deſint huic inſtituto commoda exempla. Conf. Scient. Sin. lib. 3. part. 4. f. 40. 41.

(106) Ideo nimirum *Confucius* non tradebat; niſi quorum experimentum in ſe ſumſiſſet (*not.* 20.), nec philoſophi nomine dignabatur niſi eum, qui praxin cum theoria conjunxiſſet. Quo quis magis praxi excellens virtute anteiret alios, eo præſtantior habebatur Philoſophus. Ita nimirum *Confucius* Scient. Sin. lib. 3. part. 2. f. 14. *Verus*, inquit, *Philoſophus ne tantillo quidem tempore, quo ſolet corpus refici, quidpiam committat contrarium virtuti rectæque rationi: & quamvis incidat caſus maxime repentinus, plane tamen in hoc virtutis propoſito perſiſtat. Immo quæcunque tandem rebus everſis ac perditis calamitates premant, plane tamen in hoc virtutis fundamento perſeveret.* Immo idem loc. cit. part. 3. f. 15. diſertis verbis pronunciat, niſi meditationi exercitatio jungatur, nos errori & confuſioni fieri obnoxios, nihilque aſſequi præter umbras rerum & inanes ac ſæpe falſas imagines. Et part. 1. f. 14. 15. Philoſophum perfectum a diſcipulo percontatus talem eſſe reſpondet, *ut prius re ipſa factisque compleat ſuos ſermones, quibus inſtituere deſiderat alios, ac deinde ſua*

reo *Sinarum* ſeculo Reſpubl. maxime flòreret, imperantibus pariter ac parentibus muneri ac officio ſuo ſatisfacientibus (107).

Laudanda Sinarum inſtituta.

Nec parum laudis in eo mihi conſecuti videntur *Sinenſes*, quod omnem ſtudiorum rationem ad finem quendam retulerint, nec in ea quicquam admiſerint, niſi quod ad hunc conduceret (108). Non minorem laudem in eo mihi meruiſſe videntur, quod eandem ſtudiorum rationem ad vitam quoque retulerint, nec quicquam in ea admiſerint, niſi quod ad felicitatem conſequendam faceret (109): quod

ipſius facta & exempla proſequatur alios inſtituendo. Eum ſcilicet *primum agere, tum docere.*

(107) *Confucius* in ſchola adultorum ſive Scient. Sin. lib. 1. f. 20. fretus fide Annalium antiquiſſimorum & experimentis propriis contendit, fieri non poſſe ut parentes muneri ac officio ſuo ſatisfaciant, niſi ante ſatisfecerint imperantes, arctiſſimum defendens nexum & individuum inter Regis exemplum & populi imitationem. Confirmat dicta exemplis Imperatorum *Yao* & *Xun* Legislatorum & tyrannorum peſſimorum *Kie* & *Cheu*. Etenim *Yao* virtute ſua obtinuit, ut *non jam metu pœnæ aut ſpe præmii, ſed gratuitis omnino animis veluti patri parerent* & *Xun* deceſſori ſuo ſimilis eadem virtute effecit, ut plurima barbarorum regna & populi fama tanti Principis commoti eidem ſeſe ultro ſubjicerent, quemadmodum *Coupletus* ex Annalibus *Sinicis* loc. cit. f. 21. refert. Contra *Kie* poteſtate imperandi & potentia in ſubditos ſevere animadvertendi confiſus, immo ſummos rerum adminiſtros meliora monentes internecioni dare non veritus, populum ſua crudelitate ad improbitatem & ſcelera adduxit, & per omnia eidem ſimillimus, immo ferocia ſuperior, *Cheu* ex atrocitate ſuppliciorum vindictæ quandam dulcedinem percipiens, etſi omnis miſericordiæ expers leviorum criminum reos diriſſimis ſubjiceret tormentis, ſubditos tamen non habuit niſi improbos & ſceleratos.

(108) Direxerunt nempe omnia ſua ſtudia ad corporis ſui compoſitio-

quod ipſum in cauſa fuit, ut florentiſſimo iſto ſeculo nemo in tota *China* reperiretur, qui non ſtudiis operam daret, quantum ingenium permittebat, vitæ conditio exigebat (110). Immo in eo etiam laudandi mihi videntur *Sinenſes*, quod non modo morum præcepta tradiderint, ſed diſcipulos quoque in virtutis ſtudio exercuerint eorumque mores formaverint (111). Videamus vero paulo propius, quantum in boni cognitione, quantum in ejusdem proſecutione profecerint. A. R. Pater *Franciſcus Noël*, e Societate Jeſu, vir eruditione multivaria præſtans (112) & vitæ integritate conſpicuus,

ſitionem, familiæ, regni & imperii rectam adminiſtrationem (*not.* 101.), cumque ens omne ſit perfectum nec absque perfectione, judice *Confucio* Scient. Sinic. lib. 2. f. 34. ens dici mereatur, hominem quoque tandem id agere debere, ut fiat perfectus: unde lib. 1. f. 1. non ſubſiſtendum eſſe inculcat niſi in ſumma perfectione.

(109) Excoluere enim philoſophiam moralem atque civilem, & ea quidem ratione, ut veritatem ad vitam utilem ſe conſecutos eſſe certi eſſent (*not.* 106.), ſpretis ſubtilitatibus, de quibus in utramque partem diſputari poteſt. Vid. Scient. Sin. lib. 3. part. 4. f. 41.

(110) Omnium nimirum mores formabantur ad fines modo expreſſius indicatos (*not.* 108.) obtinendum, quantum differentiæ ſcholæ adultorum & parvulorum conformis erat (*not.* 93. 94.).

(111) *Sinæ* nimirum theoriam a praxi ſejunctam philoſophiæ nomine indignam judicarunt (*not.* 106.); neque ipſi ignotum erat, absque exercitio ne veras quidem rerum moralium notiones, nedum habitum agendi comparari (*not.* 106.).

(112) De multivaria A. R. P. *Noëllii* eruditione teſtantur obſervationes mathematicæ & phyſicæ in *India* & *China* ab ipſo factæ, nec non verſio integra librorum claſſicorum imperii Sinenſis. De integritate vitæ non ignota mihi ſunt ſpecimina, etſi rationes non deſint ſufficientes, cur ab iis recenſendis abſtineam. Ipſa verſio librorum claſſicorum, quibus ſincerum virtutis ſtudium tam ope-

cuus, poſtquam per viginti annos & amplius libris imperii Sinenſis claſſicis pervolvendis ſtudium haud proletarium impendiſſet, eos tandem in Latinum idioma tranſtulit (113) & ante decem circiter annos (114) luci publicæ Pragæ expoſuit. In iis loco primo comparet libellus quantivis pretii (115) a *Confucio* conſcriptus, qui, cum contineat doctrinam, cui adulti vacare debent, *ſchola adultorum* fert nomen.

Principia Sinarum practica.

Diximus ſuperius, *Confucium* non nova inveniſſe, ſed antiqua renovaſſe: quamobrem in hoc libello reperias genuina ſapientiæ *Sinenſis* principia. Vrgebant itaque *Sinæ*, ut primo omnium loco ratio probe excolatur, cum ad diſtinctam boni malique cognitionem pervenire debeat, absque metu ſuperioris ac ſine ſpe præmii ab eodem obtinendi virtuti operam daturus (116), boni vero malique

roſe inculcatur, Autori adeo laborioſa loquitur, quod ex animi ſinceritate voluptatem perceperit. Virtutem ego in omni homine prædico, pronior ad laudandum, quam ad vituperandum.

(113) Cum hæc ſcriberem, ignorabam, aliquot illorum librorum jam ante fuiſſe in Latinum verſos: neque enim videram *Confucium Sinarum Philoſophum* Pariſiis editum (*not.* 1.). Eſt tamen verſio *Noëlliana* iſtorum quoque librorum nova & minorem voluminis partem conſtituit, immo a verſione Pariſiis edita plurimum differt. Ego tamen *Noëllianæ* majorem fidem habeo, quam alteri: cujus aliquam rationem indicavi ſuperius (*not.* 7.).

(114) Anno ſcilicet 1711. in 4.

(115) Voco libellum quantivis pretii, cum me judice in Philoſophia practica non extet monumentum inter antiqua Philoſophorum ſcripta præſtantius, pragmatica dogmata moralia adeo concinna profunditate evolvens.

(116) Loquimur hic de metu ſervili, qui minis & pœnis extorquetur, nequaquam autem de filiali, qui ex amore proficiſcitur (*not.* 91.). Similiter ſpes præmii hic conſideratur tanquam unica & immediata actionem determinandi ratio, ita ut eadem abſente ipſa

que notitiam perfectam haud quaquam aſſequi liceat, niſi rerum naturis ac rationibus perſcrutatis, & diſcipulus *Confucii* inter ceteros eminens *Tſem Tſu* ex Annalibus imperialibus probat (117), ſapientes Heroas ſemper in id incubuiſſe, ut rationem indies (118) magis magisque perficerent.

Ratio illorum.

Neque vero hæc gratis aſſerebant: agnoſcebant enim, hominem libere agentem, qui vel alterius imperio non ſubeſt, vel, ſi ſubſit invitus, mallet tamen non ſubeſſe, non agere bonum, nec fugere malum, niſi prius appetitus in mente, motus cordis in corpore iisdem reſpondentes in ordinem redigantur (119); appetitus in mente, motus cordis in corpore in ordinem redigi non poſſe, niſi homo in vero boni amore, vero mali odio ſtabiliatur (120); nec verum

ipſa aliter determinaretur. Hanc enim eſſe Sinarum mentem non dubitabit, qui anteriora attenta mente revolvere dignatus fuerit. Salva virtute ſpes præmii in actionem bonam influit, ſi ex ea naſcatur amor legislatoris & inde porro ſequatur metus filialis, ſincera illa animi ſollicitudo, ne committatur quicquam, quod ſit voluntati legislatoris adverſum.

(117) Hauſit nimirum ſua dogmata ex Annalibus *Confucius* (*not.* 5.), ſingulari ſtudio ad iſtiusmodi inſtitutum aptatis (*not.* 19.), atque adeo inde rationes eorum optime petuntur. Genuinas ideo *Tſem Tſu* attulit probationes, egitque ſecundum morem gentis ſuæ (*not.* 105.).

(118) Rationem indies majora poſſe capere incrementa vel ſuo abunde exemplo confirmat *Confucius* (*not.* 80.), nec difficilis eſt ejus rei a priori demonſtratio, quam alibi dabimus. Confer. *not.* 79. 73.

(119) Niſi appetitus feratur in actionem, quia prælucente ratione agnoſcitur ejus intrinſeca moralitas, determinandus is erit vel metu pœnæ, vel ſpe præmii: a quo abhorret virtus *Confuciana* (*not.* 91. 97.).

(120) Qui actionem honeſtam per ſe appetere, turpem autem per ſe averſari debet, is ex illa voluptatem, ex hac tædium percipere

verum boni amorem, nec verum mali odium locum habere posse, nisi quis perfectam boni malique notitiam assequatur & quidem per ratiocinium mentis (121); mentis ratiocinio perfectam boni malique noticiam minime obtineri, nisi perscrutatis rerum naturis ac rationibus (122).

Modus demonstrandi Sinarum.

Equidem non multo argumentorum nexu hæc demonstrabant, distincta rerum cognitione destituti, quæ in hunc usque diem plerisque negatur (123): longa tamen experientia freti affirmabant, quæ virtute illustrium Heroum exempla non sine mentis acumine medi-

tenetur (*not.* 74.): in primo igitur casu bonum amat, in posteriori malum odit. In utroque appetitus sensitivus consentit cum rationali; quem consensum intendit *Confucius* (*not.* 88.) tandemque sub finem vitæ consecutus (*not.* 86.).

(121) Voluptas locum minime habet, nisi perfectionem intuearis, ad quam tendit actio & cujus in agente indicium probat. Similiter tædium non percipitur, nisi imperfectionis tibi fueris conscius, ad quam tendit actio & cujus in agente indicium præbet (*not.* 69.).

(122) Nisi enim ratio honestatis & turpitudinis perspiceretur, cœca foret aliorum imitatio, errori facile obnoxia.

(123) Ipse hoc satis superque expertus sum, quamvis nec desint rationes, quibus idem a priore probatur. Etenim cum mihi animus fuerit distinctam tradendi cognitionem eorum, quæ in Philosophia docentur; molestam subire coactus fui censuram hominum methodi demonstrativæ ignarorum, quasi docerem errores veritatibus e diametro contrarios, quæ ex suis notionibus a me evolvuntur, ita ut ne per somnium quidem cogitassem fieri potuisse, ut in rebus maxime seriis adeo ineptirent viri ceteroquin non ineruditi.

meditati (124) assecuti fuerant & quæ ipsimet in virtutis stadio decurrentes ex semetipsis (125) didicerant.

Certitudo principiorum Sinarum.

Ecquis vero in dubium vocabit, quæ multiplici experimento dudum confirmata sunt; præsertim cum jam supra ostenderimus, nullibi gentium hujus rei experimentum tutius (126) capi posse quam apud *Sinas* antiquos, qui religione omni (127) cum naturali, tum revelata carentes nullis unquam motivis extrinsecis usi fuerunt? Quoniam enim sola motiva intrinseca ex ipsa actionum humanarum natura petita penes ipsos locum habuere; quantum ea valerent, ipsorum exemplo dilucide constabat.

Autoris in hoc genere studium.

Ego sapientiæ Sinensis prorsus ignarus (128), sed in felicitatem

(124) *Confucii* hoc probat exemplum (*not.* 80.), probat dogma, quod sine meditatione aliorum exempla imitaturus nubem pro *Junone* amplectatur (*not.* 105.).

(125) Persuasissimi erant *Sinæ*, nisi veritatum moralium experimentum in te ipso sumas, eas ex exemplo alieno ne intelligi quidem posse (*not.* 106.). Differentia cognitionis ipsis innotuit, dum, quæ meditatio suggesserat, conferebant cum eo, quod per experimentum proprium patebat. Nec ratio e longinquo petenda. Aliena exempla qui meditatur, nonnisi externorum actionis notionem nanciscitur, eorum autem, quæ intra mentem abscondita latent, notionem genuinam, tum demum adipiscitur, quando ipsorum in se sibi conscius est.

(126) Quantum valeant vires naturæ in virtute philosophica excolenda, experimento decidendum. Sinæ autem virtutis hujus experimenta in se sumsere & *Confucius* eorum in se successum sincero animo usus describit (*not.* 80.). Plura suggerunt *Sinarum* Annales (*not.* 19.).

(127) Vide, quæ supra dicta sunt (*not.* 54. 55.).

(128) Neque enim vidi quicquam Philosophiæ *Sinensis*, antequam *Noëlliana* librorum imperii *Sinensis* classicorum versio prodiret.

tem generis humani natura pronus, valde adhuc juvenis (129) res morales curatius, nec invita prorſus Minerva (130) (abſit jactantia dicto!) meditari cœpi, teſtibus iis, quæ ante annos plures (131) in vicina quadam eaque illuſtri Muſarum ſede (132) ſpeciminis loco (133) de Philoſophia practica univerſali publico eruditorum examini ea, qua par erat, modeſtia ſubmiſi. Vbi ad ætatem maturiorem perveni, judicium maturius majusque acumen adeptus (134) easdem profundius ſcrutatus ſum & ex intimis mentis humanæ penetralibus deduxi, quæ ad ſapientem actionum humanarum directionem faciunt (135). Etſi autem mihi non profuerint

(129) Circa finem nimirum A. 1702, cum curriculum academicum nondum penitus abſolviſſem.

(130) Etſi enim tum obligationem in genere ignorarem & gloriam Dei, bonum publicum atque ſui perfectionem a ſe mutuo diſtinguerem ſibique mutuo ſubordinarem; attamen in praxin generalem incidi, quæ etiamnum mihi ſatisfacit & cum *Confuciana* conſentit.

(131) Scilicet initio anni 1703.

(132) In Academia Lipſienſi.

(133) Ex more ibidem recepto diſputatione publica mihi locum inter Doctores privatos vindicaturus diſſertationem de philoſophia practia univerſali methodo mathematica conſcripſi.

(134) Maximum ſtudium ab A. 1703. continuo in eo poſui, ut methodi leges ſcrutarer & earum experimenta in me ipſo ſumerem, idem molitus circa intellectum, quod *Confucius* circa voluntatem (*not.* 20.). Senſi autem perinde ac *Confucius* continuos progreſſus & hodienum ſentio, quos exemplo ipſius (*not.* 80.) diſtincte exponere poſſem, niſi ætas noſtra a *Confuciana* eſſet valde diverſa, ut, quæ in uſum aliis profuturum ſincero animo proferuntur, in vituperium trahantur ab hominibus a *Confuciana* ſinceritate procul adhuc remotis.

(135) Expoſui, quæ aſſecutus ſum in Meditationibus moralibus atque politicis, ex quibus alteram Inſtitutionum philoſophiæ par-

rint *Sinenſia* utpote ignota ad mea invenienda; mea tamen, quæ propria ingenii vi aſſecutus fueram, mihi profuerunt, ad *Sinenſia* intimius perſpicienda (136).

Cur Autori Sinenſia alia apparuerint, quam Interpreti.

Etenim cum laudatus ſupra interpres librorum claſſicorum imperii *Sinenſis*, vir acumine ac judicio pollens, viginti annorum & amplius ſtudium in iis pervolvendis non ſegniter poſuiſſet, ut genuinum ſenſum, quem plerumque intellectu non adeo facilem ſe deprehendiſſe fatetur, ſatis aſſequeretur; tandem in præfatione verſioni præmiſſa judicavit, non reconditam ac ſublimem ibi contineri doctrinam, ſed ſolam Ethicen vulgarem, morum compoſitionem, familiæ diſciplinam & fere ſemper boni regiminis artem, adeo ut non tam ipſa argumenti ac materiæ præſtantia, quam ingens hominum multitudo, qui illis dant operam, ipſum impulerit ad aggrediendum verſionem, aliquoties ab aliis tentatam, ſed centum & amplius annis, ex quo miſſio *Sinenſis* exordium cœperat (137), non

partem confecit Cl. *Thümmigius* nunc ſub prelo ſudantem. Dabo plura in operibus idiomate Latino edendis, quam primum mihi reddar.

(136) *Sinæ* nimirum notiones nonniſi claras habuere, quas cum altero verbis communicare non potuere. Eorum igitur mentem penitus perſpicere nequit, niſi qui easdem notiones habet. Eas ut conſequerentur diſcipuli, meditationi exercitationem conjungi juſſit *Confucius*. Ea enim via eſt perveniendi ad notiones claras tantum, ſed minime diſtinctas. Diſtinctis autem qui mecum ſtudet, multa a priori ex notionibus generalibus & mentis natura deducit, quæ *Confucius* cum ſuis a poſteriori aſſecutus. Methodus tamen *Confucii* experimentalis conjungenda, cum ad notiones confirmandas, tum ad ampliandas, tum ad fundamentales quasdam venandas.

(137) Difficilis fuit Miſſionariiis in *Chinam* aditus, cum gens a moribus peregrinis abhorrens cum exteris commercium declinaret, ita ut mortis præſentiſſimæ aut carceris perpetui periculum ſubiret,

non abſolutam (138): ego contra libros iſtos vix obiter inſpiciens recon-

qui in imperium intrare audebat, niſi legationis cauſa adveniret. Quamobrem etſi *Japones* identidem reponerent *Franciſco Xaverio* ad fidem Chriſtianam illos convertere allaboranti, ut vicinis *Sinenſibus* eam perſuaderet, ſeſe enim ſine mora ſecuturos omnes, ſi homines ſapientes conſpirarent; non tamen adeo facile erat magnifica promittentium deſideria explere. Videatur *Hiſtorica relatio de ortu & progreſſu fidei orthodoxæ in regno Chinenſi per Miſſionarios Societatis Jeſu ab A. 1581. usque ad A. 1669. collecta ex literis eorundem Patrum Societatis Jeſu, præcipue R. P.* Joannis Adami Schall *Colonienſis*, cujus altera editio aucta geographica regni Chinenſis deſcriptione, compendioſa narratione de ſtatu miſſionis Chinenſis, &c. prodiit Ratisbonæ 1672. in 8. Equidem *Xaverius* tandem aditum in *Chinam* meditatus, ſed eodem excluſus, antequam quicquam propagandæ fidei gratia moliretur, A. 1552. ſecunda Decembris in inſula *Son cheu*, provinciæ *Quam tum* ſubjecta, anno ætatis 55. vitam cum morte commutavit. Primus *Chinam* ingreſſus eſt *Michael Rogerius* A. 1581., quamvis nihil perfecerit, donec tandem A. 1583. ſequeretur *Matthæus Riccius* e Societate *Jeſu*, qui A. 1601. menſe Januario primum aulam ingreſſus & Imperatoris gratiam ſibi conciliavit, miſſionis *Sinicæ* fundator, qui A. 1710. mortuus magnum prædium ab Imperatore in ſepulturam accipit. Vid. Tabula chronologica ſupra laudata f. 85. 87. 88. 89.

(138) Libri claſſici imperii *Sinenſis* ſunt ſex, *Schola adultorum, Liber ſententiarum, Medium immutabile, Memcius, de filiali obſervantia & Doctrina parvulorum*, quos omnes vertit *Franciſcus Noël.* Miſſionarii, qui ante eum dedere *Confucium* Sinarum Philoſophum (*not.* 1.), nonniſi ſcholam adultorum, librum ſententiarum & medium immutabile tranſtulerunt in Latinum. Etenim ipſorum liber primus ſcientiæ *Sinicæ* eſt Schola ſeu Doctrina adultorum a *Confucio* conſcripta, a Diſcipulo *Tſem Tſu* fuſius explicata. Liber ſecundus eſt liber claſſicus, tertius de immutabili medio,

reconditam quandam in iis ſapientiam abſconditam eſſe deprehendi (139), utut arte opus ſit ad eam eruendam: intellexi enim, quæ

medio, quem *Confucii* ex filio unico nepos *Tſu Su*, avi ſui veſtigia premens conſcripſit, dictis factisve *Confucii* tanquam principiis uſus. Liber denique tertius eſt liber ſententiarum, quo continentur *Confucii* & diſcipulorum ſententiæ diverſo tempore prolatæ & *Confucii* externas actiones componendi mos a diſcipulis declaratur. *Memcius* eſt alter magni nominis Philoſophus apud *Sinas*, qui A. 371. ante Chriſtum natus anno ætatis 84. obiit. Etſi tantam autoritatem non fuerit conſecutus, quantam *Confucius* inter ſuos obtinuit; grata tamen mente ejus merita hodienum recolit poſteritas, quoniam ejus poſteritas hodienum in aula privilegiis regiis utitur. Vid. Tabula Chronologica f. 15. 16. Diſcipulus fuit nepotis *Confuciani Tſu ſu*, genuini avi ſui interpretis. Doctrinam *Sinicam* dilucide & magis cohærentem proponit, quam in ceteris libris claſſicis fieri ſolet. In libello de filiali obſervantia continentur reſponſiones, quas *Confucius* dedit diſcipulo *Tſem Tſu* de cultu parentum, & monſtratur, quomodo is ad bonum regimen, metam philoſophiæ *Sinicæ* (*not.* 101.), conducat. Scholam denique parvulorum conſcripſit *Chu hi* ſub octava familia imperatoria, quæ ab anno poſt Chriſtum natum 372 usque ad 480. imperium tenuit, ſententiis & exemplis veterum atque recentiorum in uſum parvulorum congeſtis, qualia ſcilicet olim florente Rep. in ſchola parvulorum inculcabantur. Libros hoſce claſſicos præter quintum (qui a baccalaureis memoriæ mandari ſolet) omnes omnino omnium urbium & pagorum pueri memoriæ hodie mandant. Sunt enim adhuc alii libri claſſici ſapientum in litteratorum uſum, nempe *Liber annalium imperialium*, *liber odarum*, *liber productionum ac mutationum* (quo phyſica ipſorum dogmata continentur), *liber Rituum* ſeu *Ceremoniarum* & *Liber Ver atque Autumnus;* ſed qui in Latinum idioma nondum translati.

(139) Hæc ſatis patent ex iis, quæ cum in ipſa Oratione, tum in

quæ nullo ibi ordine digeſta comparent, pulcherrimo nexu inter ſe cohærere (140), ſiquidem intimius inſpiciantur, & quæ nulla ratio-

notis præcedentibus adducta fuere in medium. Confer inprimis, quæ de reductione notionis imperii ad notionem familiæ & notionis ordinis in imperio ad notionem ordinis cœli (*not.* 7. 34.), de modo annales ad uſum moralem & politicum aptandi (*not.* 19.), de modo notiones rerum moralium & politicarum doctrinarumque veritatem conſequendi (*not.* 20. 22. 24. 25. 73. 82. 106. 125. 136.), de convenientia cum natura rationali actionum humanarum norma (*not.* 39.), de applicatione principii rationis ſufficientis ad moralia (*not.* 58.), de conſenſu actionis externæ cum interna ad virtutem requiſita (*not.* 78.), de lætitia virtutis ſocia (*ibid.*), de modo conjectandi aliorum mores & de methodo ad explorandam litium ſinceritatem judicibus præſcripta (*ibid.*), de continuo ad majores indies perfectiones progreſſu (*not.* 83. 84.), de conſenſu microcoſmi cum macrocoſmo in libera actionum determinatione (*not.* 84.), de notione perfectionis humanæ, ad quam actiones omnes referendæ (*not.* 85. 108.), de ſpontaneo appetitus ſenſitivi cum rationali conſenſu (*not.* 80. 86.), de differentia inter partem animae ſuperiorem & inferiorem inſtar morum principii inculcata (*not.* 88), de modo obligandi ſubditos per metum filialem (*not.* 91.), de duplici Sinenſium ſchola in ipſa oratione, de metu ſuperioris cum ſpe præmii a virtute proſcripto (*not.* 97.), de ordine in praxi morum (*not.* 101.), de circumſpecto dogmatum ſelectu (*not.* 105.), de notione philoſophi (*not.* 106. 111. 116.), de nexu individuo inter Regis exemplum & populi imitationem (*not.* 107.), de praxi morum (*not.* 93.) dicta ſunt.

(140) Dogmata vera omnia concatenato nexu inter ſe cohærent, ita ut unum ex aliis demonſtrari poſſit. Vera autem *Sinenſes* fuerunt aſſecuti, cum non admiſerint, niſi quod experimentis iteratis fuiſſet confirmatum (*not.* 106.). Nexum vero iſtum minime perſpicit, niſi qui diſtinctam eorum notitiam ſibi comparavit, ſingulorum conquiſitis rationibus.

ratione munita nude affirmantur, ſumma cum ratione dicta deprehendi, ubi ad examen revocantur (141). Ego quoque repereram, verum eſſe quod a veteribus aſſeritur, ſi quis ſolis naturæ viribus fretus, non ex conſuetudine, nec metu ſuperioris, ſed ex libertate arbitrii (142) & cum voluptate virtuti operam navare debeat, illi ab intellectus cultura incipiendum eſſe, atque in hanc veritatem incidi naturam mentis humanæ meditatus, quem veritatum moralium Lydium lapidem eſſe ſupra (143), niſi me omnia fallunt, abunde demonſtravi. Nimirum virtus in mente reſidet, non in corpore (144), etſi actus virtuoſi in hoc terminentur. Actus externi appetitibus animæ reſpondere debent (145), appetitus oriuntur ex motivis, motiva præſentis caſus in diſtincta boni malique cognitione conſiſtunt; bonum & malum dignoſcitur ex ſtatus noſtri, quam parit, perfectione ac imperfectione; ſenſus perfectionis voluptatem parit, ſenſus imperfectionis tædium gignit; qui voluptatem ex bono capit, bonum amat; quem malum tædio afficit, is malum odio proſequitur.

Voluntatis perficiendæ modus.

Quis non videt, omnia tandem ex diſtincta boni malique cognitione ortum ducere, atque ideo intellectus acumine perfici volun-

(141) Ipſe *Confucius* agnovit, nihil eſſe ſine ratione ſufficiente (*not.* 58.). Veritatem igitur cum fuerint conſecuti (*not.* 140.), mirum videri haud quaquam debet, quod nullum ipſorum dogma ratione deſtituatur.

(142) Etenim qui metu ſuperioris, vel ſpe præmii ad actiones determinatur, quarum contrarias appetit, nondum libere agit, quod rationi convenit, neque virtutis eſſe judicatur *Sinis* (*not.* 97.).

(143) Oſtendi etiam (*not.* 39.), hunc lapidem Lydium veritatum moralium conſtitutum fuiſſe a *Confucio.*

(144) Ideo *Sinæ* a virtute alienum duxerunt, niſi cum actione interna conſentiat externa & tantopere animi ſinceritatem urſerunt (*not.* 78.).

(145) Perpende, quæ modo dicta ſunt (*not.* 144.).

voluntatem. Hæc naturæ mentis conformia (146), principiis *Sinarum* conſona ſunt (147), præclaris experimentis a *Sinenſibus* confirmata (148), quamvis non omnibus approbata (149), cum pars animæ

(146) Quod hactenus dicta mentis naturæ conformia ſint, non amplius dubitabit, qui Pſychologiam empiricam habuerit perſpectam. Commentarii igitur loco eſſe poſſunt inſtitutiones *Pſychologiæ empiricæ*, quas nobis dedit Cl. *Thümmigius* in Inſtitutionibus *Philoſophiæ Wolffianæ* Tom. I. p. 118. & ſeqq.

(147) Quod eadem principiis *Sinarum* conſona ſint, docet ſchola adultorum *Confucii*, ſeu Scientiæ *Sinicæ* liber primus. Vide quæ ſupra p. 78. ex ea docuimus & (*not.* 119. & ſeqq.) monuimus.

(148) *Sinenſes* enim dogmata ſua hauſere ex exemplis, nec in eorum cenſum admiſere, niſi quod experimento in ſe ipſo ſumto confirmaretur. Vide, quæ (*not.* 5. 19. 105.) dicta ſunt. Quodſi libros Claſſicos attenta mente perluſtrare dignatus fueris, experimentis confirmata eſſe ſingula, quæ affirmavimus, non amplius dubitabis. Immo ſufficit attentio ad notas, quibus Orationem noſtram illuſtravimus. Luculentius autem eadem conſtarent, ſi Annales Sinarum, liber ſapientum claſſicus (*not.* 138.), proſtarent (*not.* 19.).

(149) Intellectus culturam in ſtudio virtutis negligunt, qui Phariſaismum noſtro proh dolor! ævo ab inferis reſuſcitant, pietatis pompoſæ doctores. Cum enim quæſtus & ambitio ſint motiva, cur externam vultus, oris, geſtuum & actionum compoſitionem cum lege conforment; actionum intrinſecam moralitatem & ſapientiam atque bonitatem legislatoris non curant. Sed *Confucius* hominibus iſtis a ſinceritate *Confuciana* procul adhuc remotis ne ſpeciem quidem virtutis tribuit, cum eos in numerum ſervorum improborum, immo animantium brutorum, rationis expertium, referat (*not.* 91.). *Sinæ* moderni iisdem inter *Bonzios* ſuos locum concedent, qui ſeveriorem quandam, referente *Couplet* in Declarat. præm. f. 10. ſanctioremque vitæ rationem mentiuntur, virtutem in pompam vertentes, quod ſic arte mendicandi aliis ſuperiores evadant.

mæ ſuperior ab inferiori vulgo non ſatis diſcernatur, *Sinis* hoc diſcrimen optime obſervantibus (150).

Subordinatio officiorum in colenda virtute.

Vrgebant autem *Sinenſes*, ut quis ante mores ſuos & vitam rite componeret, quam patrem familias ageret; ut ante domum ſuam bene gubernaret, quam ad regimen admitteretur (151): nec mea quidem ſententia male hæc urgebant. Qui enim fieri poteſt, ut familiæ ſuæ præſit, qui ſibi ſoli præeſſe nequit? Qui fieri poterit, ut multos alios regat, qui ſeipſum ac familiam ſuam, hoc eſt, paucos regere neſcit & quos propius novit? Accedit, quod alios recturus exemplo ſuo (152) docere debeat, & fieri poſſe, quæ præcipiuntur, & ideo præcipi, quod ad media felicitatis conſequendæ referantur.

Studi-

(150) Vide, quæ ſupra de diſcrimine ſcholæ parvulorum & adultorum annotata ſunt (*not.* 93. 94.).

(151) Ita enim Scient. Sinenſ. lib. 1. f. 3. legitur: *Volentes* (ſcilicet priſci Reges & Imperatores) *recte adminiſtrare ſuum regnum, prius item recte inſtituebant ſuam familiam. Rurſum volentes recte inſtituere ſuam familiam domeſticam prius recte componebant ſeu excolebant ſuum ipſorum corpus. Volentes recte componere ſuum corpus, prius rectificabant ſuum animum. Volentes autem rectificare ſuum animum, prius verificabant ſuam intentionem. Volentes verificare ſuam intentionem prius perficiebant intellectum.* Additur autem intellectum perfici exhauriendo rerum omnium rationes.

(152) *Sinæ* exemplo, non juſſu populum regi jubent & in imperantium exemplo genuinam obligandi rationem collocant (*not.* 91.) indivulſum nexum inter exemplum Regis & populi imitationem (*not.* 107. ſtatuentes atque perſuaſiſſimi, ſine exercitio meditatione ſola nunquam perveniri ad notiones veritatum moralium poſſe (*not.* 106. 125.), præſertim cum in notionibus claris acquieſcant (*not.* 136.), quas verbis ſolis cum altero communicare non licet.

Studium Sinarum emendandi alios.

Neque vero ſatis erat *Sinenſibus* in id omni ſtudio eniti, ut ipſimet virtutis iter ingrediamur, nec ad vitiorum devia declinemus: ſed omnem quoque moveri lapidem jubebant, ut & alii idem iter ingrediantur & ab iisdem deviis declinent. Inter ſapientiæ itaque *Sinenſium* principia non poſtremo loco habendum eſt, quod, ubi in bono profecerant, alios ſui ſimiles reddere pro virili conarentur (153). Quod ipſi conſecuti fuerant acumen, eodem ut ceteri excellerent curæ cordique habebant: qua ipſi boni malique cognitione gaudebant, eodem ut alii imbuerentur, ſummopere ſtudebant: qua ipſi voluptate fruebantur, eodem ut & alii perfunderentur, in votis maxime habebant: quod ipſi amore, quod odio proſequebantur, idem ut & alii amore, ut odio proſequerentur operam dabant: qua denique ipſi virtutis gloria fulgebant, eadem ut & alii effulgerent, ſumma induſtria conabantur. Hinc erat, quod Imperatores ac Reges populo (154), patres familias domui, paren-

(153) Ita ſane habet doctrina *Confucii* ſtatim initio ſcholæ adultorum ſeu Scient. Sin. lib. 1. f. 1, ubi præcipit, unumquemque primum ſemetipſum perficere & dein de populo renovando cogitare debere. Fecit quoque, quod aliis præcepit, *Confucius*, qui cum ab anno ætatis decimo quinto ſibi vacaſſet (*not.* 5.), doctrinam, cujus veritatem in ſe ipſo conſecutus fuerat (*not. cit.*), indefeſſo ſtudio divulgavit, inſuper habitis ſceleratorum inſidiis atque malevolorum odio (*not.* 14.) & non contentus vaſti imperii terminis ad ipſas barbaras gentes doctrinæ divulgandæ gratia iter meditatus & de neglectu doctrinæ conqueſtus. Cum enim ſe probosque viros paſſim negligi videret, dolore plenus lib. 3. Scient. Sin. part. 3. f. 19. in hæc tandem prorupit verba: *Mea doctrina hodie negligitur & non propagatur: Quorſum igitur Chinam adhuc incolo? Conſcendam ratem, navigaturus per maria & hoc tam corruptum moribus ſeculum ocyus fugiam.* Conf. *not.* 25. Immo Scient. Sin. lib. 2. f. 74. diſertis verbis docetur, quod vir perfectus non modo ſeſe, ſed & alios perficere debeat.

(154) Vide, quæ modo (*not.* 152.) diximus & recole exempla *Yaonis* atque *Xunii* legislatorum (*not.* 8. 107).

parentes liberis exemplo essent (155), sicque iis prodessent, quos rationis imperio subjicere non licebat (156).

Finis Sinarum ultimus.

Inculcabant autem potissimum *Sinenses*, sive tibi ipsi, sive aliis emendandis vaces, non subsistendum esse nisi in summa perfectione (157), hoc est, cum eam attingere non detur (158), nunquam: quin potius continuo ulterius progrediendum, ut cum ipsimet, tum alii

(155) Non admittebant fieri posse, ut parentes liberis, patres familias familiis regendis sint pares nisi ante semetipsos regere didicerint (*not.* 101). Non mirum, quod, quæ in Regibus ac Imperatoribus commendabant, eadem quoque parentibus atque patribusfamilias injungerent, cum liberorum educatio & familiæ administratio pro specie regiminis haberetur, ad cujus ideam ipsum imperium componebant (*not.* 7). Sane *Confucius* lib. 3. Scient. Sinicæ part. 1. f. 91. cum nonnemínem prædicaret, quod hoc tantum egerit, ut virtutem ad eos extenderet, in quos privatum domesticumque habebat imperium, affirmat hoc etiam esse gubernare & magistratum gerere. Etenim cum ipse magistratum gessisset, ut regularum politicarum sensum ac veritatem perspiceret (*not.* 25. 106.), ad similitudinem inter familiæ administrationem & magistratum sollicite attendit. Neque adeo hic quoque loquitur nisi experta.

(156) Quibus enim denegata est de actionum valore per se statuendi facultas, illi aliorum, quos rerum intelligentes judicant, autoritate nituntur, artifici in arte sua credentes. *Sinæ* igitur curabant, ne noxium, sed proficuum esset autoritatis præjudicium.

(157) Hanc regulam disertis verbis inculcat *Confucius* initio scholæ adultorum. Vide (*not.* 108).

(158) Agnovit hoc ipse *Confucius* atque de se candide confessus, quod ab ea, quam alios docebat, perfectione procul adhuc esset remotus (*not.* 66.), ægerrime ferens, si aliter videretur discipulis (*not.* 78.), ne exemplo suo noceret, quo prodesse volebat.

alii ad altiorem indies (159) virtutis gradum evehamur. Dirigebant adeo *Sinenſes* actiones ſuas omnes ad ſummam ſui aliorumque perfectionem tanquam ad finem ultimum (160): Qua directione ſummam totius juris naturalis (161), immo quicquid in actionibus noſtris quocunque titulo (162) laudari poteſt, contineri a me dudum

(159) *Confucius*, qui ab anno ætatis decimo quinto usque ad finem vitæ, annum ſeptuageſimum tertium, continuam virtuti navavit operam, omnes ſuas cogitationes, ſtudium omne eo convertit, ut quotidie progrederetur ulterius. Hoc igitur fieri poſſe in ſemetipſo expertus, cum anno ſeptuageſimo in ſe deprehenderit, quæ adhuc deerant ſexageſimo. Vide, quæ de incrementis virtutis *Confucianæ* dicta ſunt ſuperius (*not.* 80.).

(160) Hanc ſummam doctrinæ, cui vacare debent adulti, tradit *Confucius*, ut ſe aliosque continuo perficere ſtudeant, ſummamque perfectionem tanquam metam, ad quam tendant, ſibi proponant.

(161) Fontem juris naturalis non agnoſco, niſi actionum omnium cum naturalium, tum voluntariarum inter ſe conſenſum, qui obtinetur, ſi voluntariæ per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales rationesque finales particulares tandem in generalem reſolvantur: Quoniam finis ultimus univerſi eſt gloria Dei, ſive perfectionum divinarum manifeſtatio, ita ut rationes ultimæ eſſentiarum & legum motuum ſint attributa divina; ita perinde eadem ultimæ rationes eſſe debent actionum liberarum, ut homo quoque per liberam actionum ſuarum directionem gloriam Numinis illuſtret. Unde fontem juris naturalis penitius inſpiciens deprehendi, gloriæ divinæ illuſtrationem a perfectione humana ſeparari non poſſe. Ubi illa abeſt, hæc nondum conſummata.

(162) Etiam, quæ ad decorum ſpectant, per easdem rationes a me determinantur, per quas determinantur ea, quæ juſta & honeſta dicuntur, ut adeo decori quoque ſint principia certa, per quæ verum a ſpurio diſtingui poteſt.

dum demonſtratum eſt (163). Equidem non apparet, quod diſtinctam hujus perfectionis notionem habuerint (164), quin potius ſororium iſtud vinculum, quo actiones ad perfectionem ſtatus humani tendentes inter ſe colliguntur, quodque a me (165) in apricum productum eſt, minime perſpicientes perfectionem tanquam gradum virtutum unice conſideraſſe videntur (166): Quodſi tamen

(163) Quædam huc ſpectantia jam continentur in Philoſophia practica univerſali (*not.* 133.), etſi non penitus confecta (*not.* 130). In Meditationibus autem moralibus, quæ primum A. 1720. prodiere, mox 1722. recuſæ ſunt, præmiſſis in Metaphyſica, quæ ſuperiori anno tertia vice excuſa, principiis neceſſariis, clarius oſtendi, quid ſit & quantum valeat actionum ad ſui perfectionem directio (*not.* 135).

(164) Vide, quæ ſupra (*not.* 136.) dicta ſunt. Confer. quoque *not.* 166.

(165) Ut ſororium iſtud vinculum diſtincte perſpicias, opus eſt notione diſtincta perfectionis in genere, tum etiam cognitione univerſi generali, quam *Cosmologiam tranſcendentalem* appello, atque Theologia naturali. Suppono enim illud beneficio luminis naturalis agnoſci debere. Sinis defuit diſtincta perfectionis in genere notio, nec ea, quæ ad Cosmologiam tranſcendentalem ſpectant, ipſis perſpecta fuere. Theologia vero naturali prorſus caruerunt (*not.* 54). Fieri adeo non potuit, ut diſtincte explicarent, quomodo omnes actiones liberæ inter ſe colligentur, & quæ ſit ratio, ut cum ipſis naturalibus necti poſſint, immo ut perfectionem ipſius univerſi augeant, non turbent. Nam etſi principium naturalis juris nobis ſit actionum liberarum directio ad noſtram perfectionem; ex noſtris tamen principiis metaphyſicis abunde liquet, idem adhuc generalius concipi poſſe per directionem actionum liberarum ad perfectionem univerſi. Atque ex hoc principio generali omnium evidentiſſime officia erga alios, tum etiam erga ipſas res inanimatas deducuntur.

(166) Inculcat *Confucius* ſcholæ adultorum initio, non ſiſten-

men cum regulas, tum exempla morum in libris ipſorum claſſicis paſſim obvia accuratiori trutina examinentur, confuſa minimum idea ipſis non defuiſſe videtur (167). Neque hoc mirum nobis videri debet, cum & in ceteris, quæ nos explicatiora dedimus, notiones valde confuſas habuerint: quæ etiam cauſa fuit, cur interpres poſt tot annorum ſtudium non ſatis intellexerit, quid verbis Philoſophorum Sinenſium ſubſit. Quænam notiones confuſæ cum verbis conjungantur, non ex nudis ſemper verbis patet (168): verum qui ex confuſione ipſas extricarunt, confuſarum cum diſtinctis identitatem conjecturis plerumque aſſequi debent (169).

Summum bonum Sinarum.

In non impedito progreſſu ad majores indies perfectiones ſum-

ſtendum eſſe niſi in ſumma perfectione." Ibi perfectio concipi videtur per modum gradus virtutis. Equidem & in hoc caſu vera perfectionis notio non repugnat. Sed nobis jam non quæſtio eſt, num eadem gradui virtutis conveniat; verum an *Confucius* & *Sinæ* id agnoverint.

(167) Urgebant enim *Sinæ* iſtiusmodi actionum directionem, ut omnium in hoc univerſo conſurgat rerum concentus, hominem tanquam partem univerſi conſiderantes (*not.* 84). Ad hunc concentum requirebant microcoſmi in libera actionum determinatione cum macrocoſmo conſenſum (*not. cit.*). Ad conſenſum microcoſmi cum macrocoſmo obtinendum præcipiebant conſenſum actionis externæ cum interna (*not.* 78.) & quoad actionem internam conſenſum appetitus ſenſitivi & rationalis (*not.* 88.) atque adeo affectuum cum ratione (*not.* 97.).

(168) Notiones confuſæ verborum vi in alterius mente non excitantur, niſi ejus, qui eas jam ante habuit & cum verbis iſtis conjunxit. Conf. *not.* 136.

(169) Atque hinc patet ratio, cur Sinarum mentem hactenus non aſſecuti ſunt alii de notionibus diſtinctis rerum moralium parum ſolliciti; aſſecutus autem ſum ego, qui notiones iſtas evolvere & in alias ſimpliciores reſolvere ſtudui.

ſummum hominis bonum conſiſtere (170), a me alibi (171) demonſtratum eſt. Quoniam *Sinæ* tam ſtudioſe inculcarunt, in virtutis tramite continuo progrediendum eſſe ulterius, nec in ullo perfectionis gradu ſiſtendum, niſi ad ſummum perveneris (172), quem tamen ut quis attingat fieri non poteſt (173); mea quidem ſententia ipſorum quoque Philoſophis ea animo ſedit opinio, hominem beatiorem fieri haud quaquam poſſe, quam ut ad majores perfectiones indies progrediatur.

Motiva Sinarum.

Enimvero ut tanto alacrius ad metam contenderent, eodem ſtimulo utebantur, quo eruditi ad præclara in quovis eruditionis genere præſtanda incitantur, nimirum benefactorum gloria (174), quæ

(170) Sermo nobis eſt de ſummo hominis bono philoſophico viribus naturæ obtinendo. Tale autem bonum, non aliud naturaliter in hominem cadere, *Confucii* exemplo probatur (*not.* 884).

(171) In meditationibus nempe moralibus, earumque parte prima, quæ *Philoſophiæ practicæ univerſalis* titulo a me inſigniri ſolet & in qua notiones morales generales evolvo atque principia practica generalia ſtabilio.

(172) Vide, quæ dicta ſunt (*not.* 85.).

(173) Docuit hoc *Confucius* ſuo exemplo (*not.* 66.), accuratiſſimus ſui obſervator (*not.* 78.), & in ſtudio virtutis adeo indefeſſus (*not. cit.*), ut ſeptuageſimo adhuc ætatis anno annotaret progreſſus ulteriores (*not.* 80.).

(174) Gloria & ambitio toto cœlo a ſe invicem diſtant. Gloria deſignat voluptatem, quam ex eo percipimus, quod a nobis benefacta ab aliis agnoſcantur, atque homini, immo ſubſtantiæ ſpirituali naturalis eſt, quemadmodum ex notione voluptatis & ſubſtantiæ ſpiritualis demonſtrari poteſt & a nobis alibi demonſtrabitur. Nec in eo quid vitii eſt, quod lætemur benefactis & quod bene facta ab aliis agnoſcantur. Unde ipſemet Deus fertur in gloriam ſui, qui mundum hunc ita condidit, ut effectus teſtetur de cauſa ſua ſumme perfecta, & homini præcepit, ut ab uni-

quæ ardua licet aggredientibus vires dabat. Videmus hinc *Sinas* luculenta Imperatorum ac Philoſophorum exempla regularum loco habuiſſe (175), ut ad gemina præſtanda alios inflammarent: Qui enim gloria ducuntur, paria cum aliis laudem merito ſuo conſecutis præſtare conantur, immo ſuperiores iisdem evadere ſtudent (176).

Modus motiva proponendi ſingularis.

Annotavi autem modum quendam prorſus ſingularem (177), quo Philoſophi *Sinenſes* uſi ſunt ad imitandum præclare facta diſcipulos accenſuri. De perſonis, quorum merita magno in pretio erant, paradoxa narrabant diſcipulis, ut attoniti mirarentur, quid ipſas impulerit ad tale quid faciendum: ubi diu multumque in quærenda ratione, aſt fruſtra deſudaſſent, quid ejusdem ſubeſſet, tandem exponentes ad imitationem in caſibus ſimilibus calcar addiderunt.

An

verſi contemplatione ad attributorum divinorum agnitionem aſcendat. Ambitio autem vitium eſt, quo quis plures appetit honores, quam ipſi debentur & ex merito ab aliis ultro deferuntur. Qui ex notionibus ſtatuunt, non temere judicant, haud quaquam diſtinguenda inter ſe confundunt.

(175) Sane *Confucius* exempla aliorum, *Yaonis* præſertim atque *Xunii* legislatorum, meditatus, ut in ſtudio virtutis proficeret (*not.* 19). Immo ideo Annales Sinici propria genti accuratione conſcribuntur, ut uſui morali atque politico inſerviant (*not. cit.*), atque ideo inter libros claſſicos ſapientum referuntur (*not.* 138).

(176) Æmulatio, quæ virtutis imitatione abſolvitur, in laude ponitur, non in vituperio. Ideo enim præclara exempla proponuntur, ut virtutem, quam in aliis admiramur, ipſimet conſectari ſtudeamus.

(177) Occurrunt exempla iſtiusmodi in *Memcio*, quarto imperii *Sinenſis* libro claſſico (*not.* 138.).

An Sinis fuerit virtus.

Videor mihi audire auſteros (178) quosdam morum cenſores ſuſurrantes, quod Sinenſes ambitione ducti egerint, quæ externam virtutis ſpeciem habent (179), a vera autem virtute adeo fuerint alieni 180), ut ipſorum actiones ſplendidorum vitiorum (181) labe inqui-

(178) Auſteros morum cenſores appello, qui non ex notionibus, ſed præjudiciis de aliorum moribus judicant, ut habeant, quæ reprehendant, confundentes, quæ differunt.

(179) Repugnat exemplum *Confucii*, immo *Xunii* Imperatoris. Neque enim tulit *Confucius*, ut de virtute ac ſinceritate ipſius præclarius ſentirent alii, quam par erat (*not.* 78.), cum videri nollet, qui nondum erat, & omnem movit lapidem, ut actio externa internæ conſentiret atque cum lætitia fieret, quod rationi congruum (*not.* 78.). *Xunius* proprio judicio diffiſus tabulam publice expoſuit, ut in ea quilibet annotaret, quid ab ipſo factum videretur correctione dignum (*not.* 78.). Et in genere ex antecedentibus apparet, quantum urſerint, ut omnia ex veritate fierent & paſſiones animi cum ratione in gratiam redirent. Vide inprimis, quæ *not.* 66. 78. 80. dicta.

(180) *Confucius* & Sinæ antiqui dedere operam, ut cum judicium mentis, intentio & appetitus atque actio interna inter ſe, tum cum lege naturali conſentirent. Iſtiusmodi conſenſus virtutis eſt, non vitii: virtutis inquam in genere. Vt enim virtus ſit philoſophica, vel chriſtiana, a motivis pendet, quibus omnia actionis requiſita variantur (*not.* 51. 52. 53.). Conſentiunt Theologi. Ita *Bechmannus* in Annot. ad Compend. *Hutteri* loc. 14. quæſt. 6. §. 2. p. 520. *Gentilium bona opera non ſunt peccata, quatenus conſiderantur præciſe quoad conformitatem cum lege Dei: repugnat enim, aliquid, quatenus legi Dei eſt conforme, habere rationem peccati.*

(181) Notiſſima eſt *Auguſtini* ſententia, quod virtutes gentilium fuerint ſplendida peccata. Eadem probata videtur Formulæ concordiæ conditoribus. Ita enim in Articulo de bonis operibus legi-

inquinatas recte omnino dixeris. Aſt ignoſcant boni illi viri, quod ipſis aſſentiri nequeamus (182). Cum ambitione non confunden-

da eſt

legitur. *Etſi opera illa, quæ ad conſequendam externam diſciplinam faciunt (qualia etiam ab infidelibus & non ad Deum converſis fiunt & requiruntur) ſuam coram mundo dignitatem & laudem habent, & temporalibus quibusdam præmiis in hoc mundo a Deo ornantur: attamen cum non ex vera fide proficiſcantur, revera coram Deo ſunt peccata, hoc eſt, peccatis contaminata, & a Deo pro peccatis & immunditie reputantur, propter naturæ corruptionem, & quia perſona cum Deo non eſt reconciliata.* Videtur adeo objectio libris Symbolicis conformis. Etenim & *Sinæ* fuerunt infideles, nec ad Deum converſi, cujus nonniſi confuſam quandam habuere notionem, ita ut omni attributorum cognitione fuerint deſtituti, pro atheis ideirco habiti a nonnullis (*not.* 54).

(182) Confundunt enim, quæ a ſe invicem probe diſtinguenda, nec obſcure in ipſa Formula Concordiæ diſtinguuntur. Nos tribuimus *Sinis* virtutem philoſophicam aut, ſi cum Formula Concordiæ loqui malueris, juſtitiam civilem (*not.* 53.); minime autem virtutem theologicam, cujus ſunt bona opera, quæ placent Deo (*not.* 55.). Vitium opponimus virtuti philoſophicæ; peccatum virtuti theologicæ. Quod igitur in numero vitiorum collocari non meretur, in foro tamen theologico pro peccato haberi atque peccatis contaminatum dici poteſt. Non quærimus diſcrimen in vocibus ſed in re, inanibus diſtinctionibus parum faventes. Agedum itaque, explicemus paulo diſtinctius, quod hactenus non ſatis animadverſum videtur. Totum negotium huc redit, ut actionis conformitatem cum lege æſtimemus. Actio cenſetur legi conformis, ſi ea fuerit, quam lex imperat. Agnovit autem *Confucius*, non ſufficere externi actus cum lege convenientiam; ſed requiri quoque conformitatem actus interni, judicii nempe, appetitus & intentionis, ut ſcilicet judicantes, actionem eſſe legi conformem, non fallamur, ut eandem appetamus, quia legi conformis & ut eam propter iſtam rationem appetamus, ob quam

lege

da eſt gloria, quas toto cœlo differre alibi a nobis demonſtratum eſt

lege imperatur, ſeu ob intrinſecam honeſtatem. Adſunt igitur omnia requiſita ad virtutem philoſophicam, cui actus opponitur vitioſus, vel a vitio quidpiam trahens. Nimirum actio oppoſita virtuoſæ eſt vitioſa; vitii autem labe contaminatur virtuoſa, ſi, ſalva conformitate cum lege externa, deficit aliquod ad internam requiſitum, v. gr. intentio. Enimvero licet actio nihil habeat cum vitio commune atque adeo ab ejus labe immunis recte dicatur; nondum tamen actio talis eſt, quæ Deo placeat, cum deſint requiſita operis Deo placentis. Etenim ut actio placeat Deo, neceſſe eſt, ut motiva ſint attributa divina, quo libera actionum humanarum directione gloria Numinis perinde illuſtretur ac actionibus naturalibus rerum creatarum in univerſo. Id defuit neceſſario virtuti omnium viribus gratiæ deſtitutorum. Etenim *Sinæ* diſtincta attributorum divinorum notitia caruere (*not.* 54.), quæ adeo in determinationem actionum influere haud quaquam potuere. Gentes ceteræ erroneas de Deo & olim fovebant, & hodienum fovent opiniones, olim nonniſi Judæis vera Dei cognitione imbutis & ad gloriam Dei actiones ſuas dirigentibus. Quamobrem & iſtæ non potuere motivis uti attributis divinis, quemadmodum par erat. *Confucius* non obtinuit omni ſuo ſtudio ultra dimidium ſeculum continuato, ut omnis actio a vitii labe eſſet prorſus immunis (*not.* 80.): multo minus igitur fieri potuit, ut pietatis, quam diximus, philoſophicæ gradum imum attingat, qui ſolis naturæ viribus virtuti operam navat. Omnis adeo actio hominis irregeniti nondum ea eſt, quæ Deo placere poſſit, etſi is alter fuerit *Confucius*. Immo ex revelatione conſtat, ipſorum regenitorum opera ab ea perfectione abeſſe, quam urget lex naturæ, quatenus directione actionum ad perfectionem totius univerſi continetur, ne Deo deformetur opus ſuum. Vnde accidit, quod non placeant opera, niſi proficiſcantur ex fide in Chriſtum, cum hominis per fidem uniti cum Chriſto opus imperfectum plenaria Salvatoris obedientia conſtituatur perfectum.

eſt (183). Quis, quaeſo, jure reprehendet actiones bonas edentem, ut benefactorum conſcientia fruens lætetur (184)? Quis reprehendet omnem in dirigendis actionibus adhiberi diligentiam, ut non habeant malevoli, quod reprehendant, habeant vero alii, quod laudent ac imitentur (185)? Quis denique reprehendet virtutem ipſa ſui pulchritudine placuiſſe, ut ea ornatum eſſe laudi nobis ducamus, ea carere in vituperium vertamus (186)? Porro quis ignorat intrinſecam eſſe actionibus bonitatem? Quis neſcit, actiones labe carere, quatenus ob intrinſecam bonitatem amantur, æſtimantur, patrantur (187)? Quamobrem cum in ſuperic-

Apparet inde, ut libris Symbolicis ſua conſtet autoritas, minime opus eſſe, ut *Sinarum* virtus in vitiorum numerum referatur & ſincera operis intentio ipſis denegetur. Manifeſtum autem præterea eſt, quæ diximus, non aliena eſſe ab interpretatione librorum ſymbolicorum a Theologis facta (*not.* 67. 180.).

(183) Nempe in meditationibus moralibus de actionibus hominum. Confer, quæ paulo ante (*not.* 174.) dicta ſunt.

(184) Commendamus actiones bonas, ut benefactorum conſcientia fruamur. Evitandas vero inculcamus actiones pravas, ne conſcientiæ morſus ſentiamus.

(185) Vrget ſane ipſa ſcriptura ſacra, ne calumniatoribus anſam calumniandi præbeamus. Vrgemus, hominem famam tueri debere. Quis improbat illud Poëtæ: *Omnia ſi perdas, famam ſervare memento?* Quis improbat, ut aliis exemplo eſſe ſtudeamus?

(186) Juvenis illud inculcari audivi: *Oderunt peccare boni virtutis amore; Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

(187) *Repugnat*, inquit Bechmannus, *aliquid, quatenus legi Dei eſt conforme, habere rationem peccati* (*not.* 180.). Sed legi Dei conformis eſt actio, quatenus intrinſeca bonitate gaudet; difformis vero, quatenus intrinſecam habet turpitudinem. Habet autem intrinſecam honeſtatem, quatenus tendit ad perfectionem microcoſmi, conſequenter ipſius macrocoſmi (*not.* 84.); intrinſecam autem turpitudinem, quatenus perfectioni microcoſmi, conſequenter ipſius macrocoſmi adverſatur.

perioribus oſtenderimus, *Sinas* actionibus bonis operam dediſſe, quod intrinſecam earum bonitatem intimius introſpicerent; quod in iis jure (188) reprehendamus, non habemus: ſuperius namque jam monſtravi, non alia ipſis fuiſſe motiva, quam mutationem ſtatus ex actionibus conſequentem (189). Ecquis vero in dubium vocabit, quod Deus actiones quasdam præcipiens, alias prohibens ad eandem reſpexerit (190)? Quis ad hæc animum advertens affirmare non erubeſcit, hominem culpari debere, quod eam ob rationem actiones alias committat, alias omittat, ob quam Numen ſapientiſſimum idemque optimum easdem præcipit atque prohibet (191)? *Ritu-*

(188) Nimirum nil reprehenſione dignum in virtute *Sinarum*, quatenus ſpectatur ut philoſophica. Secus ſe res habet in foro theologico, ubi de perfecta obedientia ſermo eſt, quæ omnimodam cum lege convenientiam requirit ante (*not.* 182.) clarius expoſitam.

(189) *Sinis* non fuit niſi virtus philoſophica (*not.* 54.): illius autem motiva ſumuntur a mutatione ſtatus cum interni, tum externi actionem conſequente, unde judicatur honeſtas atque turpitudo intrinſeca (*not.* 51.). Atque eadem fuit ratio, cur a poſteriori actionum diſcrimen fuerint venati, multum adeo tribuentes judicio illorum, qui illarum experimenta in ſeipſis ſumſerant.

(190) Ante *Pufendorfium*, cum intrinſeca rerum honeſtas & turpitudo ab omnibus defenderetur, nemo ea de re dubitabat. Etſi autem *Pufendorfius* a moralitate objectiva diſceſſerit, quatenus non admiſit obligationem ad quasdam actiones edendas, alias vero omittendas, niſi quæ a voluntate ſuperioris proficiſcitur; adverſariorum tamen objectiones diſcutiens ultro agnovit, rationes iſtas, unde nos intrinſecam rerum honeſtatem & turpitudinem æſtimamus, fuiſſe Deo, cur hos actus præceperit, vel prohibuerit, ita ut eundem ſibi ipſi fuiſſe repugnaturum affirmarit, ſi alios præcepiſſet, vel prohibuiſſet. Legantur inprimis, quæ c. 5. *ſpecimi-nis controverſiarum circa jus naturale ipſi motarum*, fuſius ab eodem de hoc argumento in medium proferuntur.

(191) Vide, quæ ante dicta ſunt (*not.* 180. 187.).

Rituum uſus in cultura virtutis.

Reſtat adhuc ſingulare quoddam *Sapientiæ Sinenſis* principium, de quo ut dicamus, inſtituti noſtri ratio poſtulat. Ritibus olim valde delectati *Sinæ* eorum numero abundabant ac in ſchola parvulorum, quam omnes totius imperii incolæ frequentabant, easdem edocebant. Vnde etiam hodienum inter libros claſſicos quinque priſcorum ſapientum, qui diverſi ſunt ab iis, quos *Noëllius* vertit, *liber* quidam *rituum* comparet (192) ſæpius citatus in libris claſſicis Latine verſis. Videtur Interpres librorum *Sinenſium* eundem exigui feciſſe, quod ab eo vertendo abſtinuerit: aſt optarem ego, ut verſio quædam proſtaret, me in illo (quod in proverbio dicitur) reperturum confidens, non quod pueri in faba. Quantus enim ſit ceremoniarum uſus in virtutis exercitio, alibi (193) a me luce meridiana clarius monſtratum eſſe norunt, qui, quæ a me eam in rem publicata ſunt, accuratiori trutina examinarunt. Teſtantur autem ſpecimina in libris Latine verſis hinc inde obvia, *Sinarum* ritus habere rationes (194) ſapientia ipſorum dignas. Dicto fidem facturus unicum mihi commemoraſſe ſufficiat exemplum. Olim, hoc eſt, cum ſtatus imperii *Sinenſis* flotentiſſimus eſſet, mulier prægnans objecta turpia adſpicere, voces laſcivas audire minime audebat (195). Veſpere Muſicæ Præfectus, qui erat cœcus, ut ſonos rectius dignoſceret (196), duas libri Carminum odas de recta rei dome-

(192) Vide *not.* 138.

(193) Indicavi jam aliqua huc ſpectantia olim in *Philoſophia practica univerſali* ſchol. prop. 23. deinde vero principia de ceremoniis ſeu ritibus enucleatius propoſui in Meditationibus moralibus §. 176. & ſeqq. ex quibus artis ratiocinandi peritus facile deduxerit alia ſpecialiora.

(194) Diriguntur enim ad certum finem, alias ægre obtinendum, v. gr. ut in recto virtutis tramite detineatur ad devia facile deflexurus, aut ut, quod laudis ac virtutis eſt, reddatur familiarius.

(195) Ne ſcilicet fœtui in utero ingenerarentur inclinationes ad libidinem, vel objecta libidinoſa.

(196) Senſus ceteri acutiores ſunt deficiente viſu, cum major ſit attentio

domeſticæ diſciplina, ipſa auſcultante, decantabat (197) ac res honeſtas narrabat. Hæc quidem eum in finem fiebant, ut infans ingenio præſtans naſceretur: id quod eventu comprobatum fuiſſe teſtatur *Lieu Hiam* in libro, quem de mulierum inſtructione conſcriptum poſteritati reliquit (198). Licet nobis ritui huic facem præferre noſtram, ut appareat, quantum ſolidæ rationis eidem ſubſit (199). Noſtis, Auditores, quantus inter mentem ac corpus conſenſus intercedat (200), quodque, dum fœtus in utero formatur, nihil in forma organorum mentem propius reſpicientium immutari poſſit, quin idem aliquam in mente mutationem cum muta-

tentio ad perceptiones ceteras, qua ad eas accuratius diſcernendas opus eſt. Confirmant dicta exempla cœcorum tactu colores diſtinguentium.

(197) Quæ decantantur, non modo firmius memoriæ imprimuntur, ita ut ſequenti adhuc mane quaſi aures feriant, verum etiam affectus ciere ſolent, ut cum ideis appetitus ſocietur. Intendebant igitur *Sinæ*, ut hac ratione inclinationes naturales fœtui ad res honeſtas & rectam rei domeſticæ diſciplinam ingenerarentur. Quamobrem quoque huic inſtituto exequendo tempus veſpertinum deſtinabant.

(198) Citatur liber in *Schola parvulorum*, de qua ſupra (*not.* 138.).

(199) Ego in Philoſophia operam do, ut in rationes inquiram eorum, quæ vel obſervantur, vel ab aliis docentur, & inde ulterius deduco aliis vel non agnita, vel a me nondum lecta, atque ſingula ita inter ſe connecto, ut alia ex aliis demonſtrentur. Etenim Philoſophi eſſe exiſtimo, ut reddat rationem ſufficientem eorum, quæ ſunt, & ſcientiam condituri, ut veritates inter ſe connectat.

(200) Conſenſus inter mentem & corpus obſervatione nititur, nec in dubium vocari poteſt, quocunque tandem modo quis commercium inter mentem & corpus explicet. Immo eum admittere debet, qui ab explicatione prorſus abſtinet in ſola obſervatione acquieſcens.

mutatione in corpore facta conſentientem inferat (201). Nec latet, quod ob communem ſanguinis in matre ac fœtu circulationem fluidorum motus in fœtu cum motu fluidorum in matre conſpiret. Neque ullum ſupereſt dubium, quin ideis mentis immaterialibus quædam in cerebro reſpondeant ideæ materiales in motu fluidi nervei per tubulos cerebri nervoſos (202) determinata quadam celeritate lati conſiſtentes, & quod, ſicuti ex perceptionibus appetitus in mente naſcuntur, ita ex ideis materialibus motus organorum appetitibus iſtis reſpondentes in corpore oriantur (203). Patet ergo, quod ideis materialibus in cerebro matris tempore graviditatis excita-

(201) Clarius ea explicavimus in Pſychologia rationali cap. 5. Met. & in Annotat. ad Metaphyſ. oſtendimus, quod in omni valeant hypotheſi, qua Philoſophi in explicando commercio inter mentem & corpus utuntur. Videatur Cl. *Thümmigius* in Inſtitut. Philoſ. qui Pſychologiam rationalem independenter a Syſtemate harmoniæ præſtabilitæ explicatam dedit.

(202) Subſtantiam cerebri eſſe tubuloſam, noſtro tempore detexit celeberrimus minimorum Naturæ obſervator, *Antonius van Leeuwenhœk* in Epiſt. Phyſ. p. 310. & ſeqq. Confer noſtras Meditationes de uſu partium §. 37.

(203) Motus in corpore appetitibus animæ reſpondentes oriri ex ideis materialibus in cerebro, quæ immaterialibus in anima reſpondent, in omni ſyſtemate verum eſt, quo commercium inter mentem & corpus explicari ſolet, niſi quod in Syſtemate influxus directio ſpirituum animalium in nervum motorium pendeat ab actione animæ, in Syſtemate cauſarum occaſionalium a concurſu Dei ordinato. Quod hypotheticum eſt, in præſenti negotio nullum habet momentum. Nobis in more poſitum eſt, ut in reddendis rationibus eorum, quæ fieri obſervantur, ſollicite caveamus, ne hypothetici quidpiam ingredi permittamus, ubi omne hypotheticum exulare poteſt. Ita & certitudini conſulimus, & veritatem extra hypotheſium limites conſtituimus, ut ad plurium diverſas hypotheſes foventium ſit palatum.

citatæ ſimiles quadantenus in cerebro infantis cauſentur (204) atque ſimiles etiam in eodem motus conſequantur, quales hinc in matre conſequuntur. Quamobrem cum ideæ ſemel impreſſæ cerebro quandam concilient diſpoſitionem ad eas iterum excitandas, conſequenter etiam ad motus inde pendentes; quis non intelligit, ſimiliter cerebro infantis quandam conciliari diſpoſitionem ad certi generis ideas ac pendentes inde in corpore motus, in mente appetitus. Conſtat præterea, ideas firmius imprimi cerebro per Muſicam & concentum, quam per orationem (205). Quis ergo dubitet, quin ritus a *Sinis* olim fœmininis gravidis præſcripti fuerint rationi conformes?

Concluſio.

Expoſui vobis, Auditores, ſapientiæ antiquiſſimorum *Sinarum* (206) principia, quæ cum meis conſentire tum alias publice (207) profeſſus ſum, tum in hac illuſtri panegyri quadantenus (208) oſtendi.

(204) Dico: *quadantenus.* Cum enim cerebrum molle nondum prorſus ſimile exiſtat cerebro matris; nec easdem penitus mutationes patitur, quas hoc ſubit. Differentiam ſollicitius ſcrutari non licet; forſan nec dum datur. Quæ enim a ſtructura cerebri pendent, nondum ſatis obvia ſunt.

(205) Vide, quæ paulo ante (*not.* 196. 197) dicta ſunt.

(206) *Sinas* nimirum modernos a veſtigiis antiquiſſimorum, quos ſibi Duces elegit *Confucius*, haud parum diſceſſiſſe, R. R. P. P. Miſſionariorum fide conſtat.

(207) In Ratione Prælectionum Sect. 2. c. 6. §. 22. 23. 24. p. 296. 297.

(208) Plura in annotationibus præſentibus docui. Oſtendit quoque in nonnullis conſenſum Cel. *Bülffingerus* in ſpecimine doctrinæ veterum *Sinarum* moralis & politicæ, e. gr. in methodo conjectandi aliorum mores Sect. 1. Spec. §. 51. 52. p. 56. 57. in principio moralium generali & regimine affectuum Sect. 3. §. 91. p. 107. etſi in Epilogo §. 233. p. 281. ad diſcrimen inter virtutem naturalem & pietatem philoſophicam a nobis primum diſtinctius expo-

oſtendi. Iisdem tanquam cynoſura (209) uſus fui in Pro-Rectoratus

expoſitum & ſuperius (*not.* 51. 52. & 182.) inculcatum attendens non diffireatur, *Sinas* multum ea parte infra nos conſtitiſſe.

(209) Pollicitus id fueram, cum publice ex more reſponderem de munere Pro Rectoratus in me ſuſcipiendo quæſitus. Ita nimirum habebat iſtud reſponſum:

Quotiescunque in ampliſſimo hoc Conſeſſu de Pro-Rectoratus munere verba fieri audivi; toties idem munus, quod haud parum aggravet humeros, judicari memini. Abſit profecto, ut aſſerto, quod tot tantorumque virorum autoritate nititur, fidem denegare audeam, præſertim cum non deſint, quæ id abunde confirmant, rationes ab aliis dudum prolatæ, atque adeo a me nunc non repetendæ, ipſaque quatuordecim fere annorum experientia, quibus publici doctoris munere in celebri hac Muſarum ſede functus, moleſtias ac tædia cum Pro-Rectoratu connexa ſatis ſuperque me docuerit. Quamobrem etſi non cautum eſſet ſtatutis, ne quis onus ſuis humeris debitum in alienos transferat; religioni tamen mihi foret iſtiusmodi auſus; mihi, inquam, qui eo ſum animo, ut voluptatem perciperem ex moleſtiis alienis, ſi alios liberaturus. eas in me derivare valerem, Tabularum conditores imitaturus, qui omnes calculi moleſtias ſoli devorant, ut iisdem prorſus careant, quotquot venturis ſeculis calculos ſubducere habent opus. Nemini nocere, cunctis prodeſſe, rationi ſemper conveniens atque homine dignum mihi viſum. Equidem diffiteri non poſſum, in turbulento hoc, quem dolemus, rerum noſtrarum ſtatu difficilius geri Magiſtratum: ſed veſtra, Patres conſcripti, prudentia, veſtra etiam in me benevolentia fretus de conſiliis ad commoda Academiæ noſtræ data quacunque occaſione promovenda oppido opportunis nunquam deſpero. Utinam cives noſtri attenta mente perpenderent regiminis Academici rationem! neque enim ullum fore dubito, qui nobis parere durum arbitraretur. Cum noſtrum ſit, in ſpem Eccleſiæ atque Reip. juventutem fidei noſtræ commiſſam educare; regimen noſtrum paternum eſt. Pro-Rector cum Profeſſoribus ceteris ſe

habet

ratus munere, quo hactenus fungi mihi incubuit, quantum licuit:

habet ad ſtudioſos ſicuti parens ad filios. In ſalutem itaque civium noſtrorum proni non decernimus, niſi quod felicitatis ipſorum promovendæ certiſſimum medium deprehendatur. Ad duriora nunquam propendet animus, ubi leniora proſunt. Atat! ubi ad ſaniorem mentem reduci nequeunt, qui nullam ſalutis rationem habentes in propria viſcera ſæviunt, nec olim ventura, ubi ex Academia in patriam redituri ſunt, providis oculis proſpiciunt, niſi paulo ſeverius in ipſos animadvertatur, vel eo ipſo agnoſcere debent paternum, quo eos proſequimur, affectum, quod convenientia morbo pertinaci remedia adhibeamus. Tanto cum cives noſtros amore complectamur, quantus indulgentiſſimus parentum erga liberos affectus eſſe ſolet; æquum omnino eſt, ut ad parendum prompti ſummo cum ſtudio caveant, ne perverſis moribus uſi Muſas noſtras turbent. Providentia igitur divina confiſus, veſtra, Patres conſcripti, pietate, prudentia, veſtra in me benevolentia fretus & optima quæque de civibus noſtris pollicitus humeros oneri, quod autoritate ac juſſu Regis Potentiſſimi, Domini noſtri longe clementiſſimi, & unanimi inclyti Senatus Academici conſenſu, mihi, Vir Magnifice, impoſiturus es, lubens ſubmitto. Confucius *olim, referente* Memcio, *celebri apud Sinenſes Philoſopho, in libro quarto Claſſico Imperii Sinenſis, qui ab ipſo nomen habet, de regno Chinæ judicium laturus: Noſtrum, inquit, Chinæ Regnum ideo ab aliis differt, quia in eo vera honeſtatis, æquitatis, ſapientiæ præcepta traduntur. Hinc pridem ego audivi, civilem noſtræ Chinæ diſciplinam conducere ad immutandos & reformandos incultos exterarum gentium mores; nunquam autem audivi, eam immutaſſe & deformaſſe ſuorum ſequacium mores in incultos mores barborum. Faxit Deus ter optimus maximus, ut, quod de Chinæ regno gloriatus eſt* Confucius, *idem anno vertente de Academia noſtra gloriari liceat! Inſigni profecto tum ego, tum collegæ omnium Ordinum honoratiſſimi lætitia perfundemur, ubi in natali Fridericianæ gloriari nobis dabitur: No-*

cuit: noſtis enim Pro-Rectorem Academiæ non ex ſuo arbitratu, ſed ſecundum leges & ſtatuta, ſæpius ex voluntate collegarum regere cives. Quidni ergo fieri poſſit, ut, quæ nonnulli a me facta improbent, eadem & improbem egomet ipſe! Sed nec eſt, quod me pœniteat regiminis, tum quod plurimis me ſatisfeciſſe perſuaſus ſum, tum quod ea ſub regimine meo contigit Academiæ felicitas, ut plures cives in album academicum relati fuerint, quam ſub ullo alio Pro-Rectoratu factum fuiſſe novimus (210), cum numerus eorum ultra ſeptingentos excreverit. Deo igitur, ſupremo rerum omnium arbitro, gratias mente humillima perſolvo, cujus gratiæ acceptum fero, quicquid boni cum in me, tum in Academiam redundavit ex Pro-Rectoratu meo. Nec minus grata mente prædico inſignia prorſus (211) beneficia, quibus Potentiſſimus Boruſſiæ Rex, Dominus noſter longe clementiſſimus, hoc anno Academiam *Fridericianam* & me in ea cumulavit. Servet Numen benigniſſimum Regem optimum cum Domo Regia, ut ſub ipſius regimine nova indies hoc Lyceum capiat incrementa? Gratias denique ago omnibus ac ſingulis, quocunque nomine mihi compellandi veniant, qui conſilio pariter atque auxilio Magiſtratum gerenti adfue-

ſtra Fridericiana ideo ab aliis Academiis differt, quia in ea vera honeſtatis, æquitatis, ſapientiæ, pietatis ac eruditionis præcepta traduntur. Hinc omnes una experti ſumus, noſtram doctrinam & diſciplinam conducere ad immutandos incultos juvenum, qui ex aliis ad nos adventant regionibus, mores; nunquam autem audivimus, eam immutaſſe & deformaſſe noſtrorum ſequacium mores in incultos mores barbarorum. Quicquid in meis viribus poſitum eſſe deprehendero, ego omni ſtudio conferre enitar: nec alia de vobis, Patres Conſcripti, animo ſedet opinio. Nihil itaque reſtat, quam ut cives ex venturis præſentia æſtimantes ſibi in tempore conſulant: quod ut fiat, Numen ipſis propitium apprecor.

(210) Ex albo ſcilicet academico, cui nomina ſtudioſorum a condita academia inſcripta ſunt.

(211) Inter illa beneficia refero, quod, *Bodino* JCto mortuo, ſalarii augmentum mihi obtigerat.

adfuerunt, tum etiam iis, qui alieniori in me animo virtutem exercendi anſam ſuppeditarunt. Aſt nec vos ſilentio præterire debeo, *Juvenes optimi*, partim genere, partim animi dotibus præſtantes, qui operam dediſtis, ne mihi munus Pro-Rectoratus redderetis grave ac moleſtum. Vix novi tædia, quæ mihi creaveritis, cum ad devia delapſi dicto meo audientes facile vos iterum in viam reduci paſſi fueritis, uno forſan alteroque excepto, quod in tanto ſtudioſorum numero mirum videri haud debet. Et quamvis quidam male ſani nec ingenuis, qui ſtudioſum decent, moribus præditi ſeditionem moverent (212); eas tamen ſola verborum omnis affectus præter amorem expertium vi ſtatim, ut noſtis, compoſui (213). De aliis tædiis non conqueror, cum ſingula, quæ mihi

(212) Miles ſcriptus fuerat, qui ante ſtudiis theologicis operam dederat Halæ, nunc rure pædagogum egerat. Theologiæ Profeſſores ſuis perſuadebant auditoribus, eum in numerum civium academicorum referendum adhuc eſſe, quod ipſorum conſenſu abierit, teſtibus Decani literis ad me datis, quæ in Actis Inquiſitionis leguntur. Ego contra cenſebam, eum jurisdictione academica exemtum, nec Pro-Rectoris eſſe, nec Magiſtratus academici, ut cauſam ejus agat, calculum ſuum adjicientibus Collegis, cum in publico conſeſſu res agitaretur. Studioſi quidam Theologiæ exacerbati literas ſeditioſas, quibus Studioſi convocabantur, publicis valvis affigi curabant. Qui literas ſcripſerat, erat in orphanotrophio educatus & inſigni morum ac pietatis elogio mactabatur a præfectu: id quod legitur in Actis Inquiſitionis.

(213) Cum Studioſi veſpere magno numero in foro confluxiſſent, ſupremus autem militis præſidiarii præfectus urgeret, ut caverem, ne quid contra eum auderent Studioſi; id tandem conſilii cœpi, ut per miniſtrum academicum aliquos ad me acciri juberem: qui cum negare haud quaquam poſſent, Pro-Rectoris non eſſe, ut cauſam ejus gerat, qui jurisdictionem ipſius non agnoſcat, & verbis meis fidem habentes, quod non ſim permiſſurus, ut quicquam contra privilegia fiat, in reſponſione mea acquieverunt,

mihi obtigere, in uſus longe ampliſſimos converterim (214), atque adeo haud parum proficiendi occaſio mihi ſuppeditata fuerit. Moleſtias nullas ſenſi, cum mihi oneri non ſit, quod officii poſtulat ratio: Opto autem, ut meo in hoc munere Succeſſori non magis, quam mihi ſit moleſtum!

Compellatio Pro-Rectoris creandi.

Jubet enim Rex Potentiſſimus (215), Dominus noſter longe indulgentiſſimus, ut Pro-Rectoratus munus in virum ſumme reverendum atque doctiſſimum, Dn. *Joachimum Langium*, S. S. Theologiæ Doctorem & P. P. O. Polygraphum celeberrimum, hodierna luce transferatur. Equidem cum is unanimi Collegarum conſenſu (216) Pro-Rector in annum ſequentem eligeretur, votis noſtris annuens ſe hoc munus in ſe ſuſcepturum promiſit & Rex Boruſſiæ potentiſſimus, Dominus noſter longe clementiſſimus, electionem

runt, cumque ſuis commilitonibus eandem nunciaſſent, extemplo omnes placidi ſeſe domum contulerunt. Etſi autem altero mane ſeditioſarum ſchedularum affixionem repereret Studioſus ille degener; nemo tamen invitatus comparuit.

(214) Certus nimirum ſum per ea, quæ de ſapiente rerum nexu a me demonſtrata ſunt in Metaphyſicis, omnia noſtra fata pendere a providentia divina. Atque ideo in moralibus inculcavi, nos, ſive proſpera fuerint, ſive adverſa, iisdem uti debere tanquam motivis actionum bonarum committendarum, malarum vero omittendarum, ut faciamus, quod Dei providentis optimæ in nos voluntati conforme.

(215) Pro Rector nimirum Academiæ *Halenſis* a Collegis electus a Rege confirmatur.

(216) Eligunt Collegæ Pro-Rectorem ſingulis annis, ſed juxta ſtatuta, quæ jubent, ut munus Pro-Rectoris transferatur ex uno in alterum eo ordine, quo in numerum Profeſſorum ordinariorum & Senatum academicum unusquisque fuerit receptus, non attento Facultatum, quas vocant, diſcrimine, cum munus Pro-Rectoris conferatur Profeſſori, non quod membrum Facultatis, ſed Senatus academici ſit.

nem approbavit ac literis gratioſis confirmavit. Quoniam tamen moris eſt ac ſtatuta jubent, ut Pro-Rector inaugurandus publice declaret, ſe non invitum adire Magiſtratum; ideo in hac illuſtri panegyri ex Te quæro, Vir ſumme Reverende, Excellentiſſime atque Doctiſſime, Dn. *Joachime Langi*, S. S. Theologiæ Doctor & P. P. O. celeberrime, num eo adhuc ſis animo, quem nobis in conſeſſu collegarum declaraſti, quod ſcilicet per annum ſequentem faſces academicas ſuſcipere velis, utque animi tui ſententiam omnibus, qui nunc præſentes ſunt, alta voce exponas rogo.

Hic interpoſita eſt declaratio Langiana de munere Pro-Rectoratus ſuſcipiendo.

Inauguratio Pro-Rectoris.

Poſtquam igitur ex te, *Vir ſumme reverende*, ſatis ſuperque intelleximus, Te in ea ſententia firmiter perſiſtere, ut ad dignitatem Pro-Rectoris Academiæ *Fridericianæ* eveharis; agedum! Fiat Tibi ſecundum voluntatem tuam. Aſcende igitur ad me in hanc cathedram, ritu ſolenni ad tantum munus inaugurandus.

Quod itaque felix fauſtumque ſit ac in Academiæ *Fridericianæ* decus ac emolumentum cedat! ego, *Chriſtianus Wolffius*, Academiæ *Fridericianæ* huc usque Pro-Rector, Te *Joachimum Langium*, S. S. Theologiæ D. & Prof. P. O. juſſu & autoritate Potentiſſimi Regis Boruſſiæ, Domini noſtri longe clementiſſimi, ex unanimi collegarum conſenſu, Pro-Rectorem Academiæ *Fridericianæ* Magnificum creo, pronuncio atque proclamo, utque ab omnibus ac ſingulis pro eodem habearis & Cives inprimis noſtri obſequium ac reverentiam Tibi legitimo Magiſtratui præſtent, pro ea, qua ad præſens negotium polleo, autoritate Regia volo ac jubeo. Salve igitur, Academiæ hujus *Pro-Rector Magnifice*, quo Te nomine primus compello fauſta quæcunque Tibi apprecatus, ut omnes ac ſinguli intelligant, dignitatem Rectoralem nunc ex me in Te eſſe translatam, utque meo exemplo excitentur alii, en! quod debeo obſequium, quam debeo reverentiam ſponte promitto. Cum Tibi nunc incumbat munus Pro-Rectoris, Vir *Magnifice*, pallium

etiam purpureum ſummi, quem per annum ſequentem geres, Magiſtratus inſigne ab humeris meis ablatum tuis impono, ut appareat, Te in Dignitate eminenti eſſe conſtitutum, utque ipſemet intelligas, arduum hoc, ad quod promotus es, munus ea Tibi prudentia, ea animi moderatione obeundum eſſe, ne vileſcat autoritas Tua, immo ut Collegæ meminerint, ſingulos per ſtatuta curare debere, ne autoritati Tuæ ac eminentiæ quidpiam decedat. Aucturus ſplendorem dignitatis Tuæ capiti mitram hanc rectoralem impono: eam intuitus meminiſſe debes, in Statutis prudentiſſime cautum eſſe a Sereniſſimo Conditore, ut jus ita reddas, quo autoritatem dignitatis ingenio Tuo augeas. Accipe bina, quæ Tibi trado, ſceptra, vera Majeſtatis inſignia, quibus Tibi confertur jurisdictio in cives academicos, ſed ita, ut memineris, a quo Tibi collata ſit, atque adeo non Tuo arbitratu, ſed juxta leges ac ſtatuta a Potentiſſimo Rege noſtro præſcripta juſtitiam adminiſtres. Eum in finem hic Tibi porrigo leges, ſtatuta ac privilegia atque curæ Tuæ commendo, ut ſancte cuſtodiantur atque ſerventur. Eadem diurna atque nocturna volves manu, ut in nullo negotio ne latum unguem ab iisdem recedas. Ut autem noris, quinam Tibi obſequium debeant, & quinam jurisdictioni academicæ ſubſint, en! Tibi trado Album academicum, cui nomina Civium atque Studioſorum diligenter inferre neque adeo impune ferre debes, ut, qui ſtudiorum cauſa apud nos commorantur, nomina ſua apud Te non confiteantur. Habes hic etiam ſigilla, quibus munire debes omnia decreta & ſcripta, quæ ſub Tuo & Senatus academici nomine publicantur. Tandem Tibi porrigo claves & cum iis Tibi poteſtatem trado auditoria ac carcerem quoque, quando opus fuerit, aperiendi, ut coërcere poſſis refractarios & quos monitis ad meliorem frugem reducere non licet. Atque ita nihil ſupereſt, quam ut Tibi, *Vir Magnifice*, *Academiæ Pro-Rector*, de tanta dignitate, qua nunc effulges, gratulatus ſummum Numen invocem, ut ſub Tuo regimine floreat *Fridericiana* noſtra! Dixi.

Num. V.

Num. V.

Epiſtola gratulatoria ad Conr. Henr. Menſching Hannoveranum, diſſertationi Thumigii de immortalitate animæ adjuncta. 1721.

Immortalitas animæ a plerisque non intellecta.
Nec individualitas a morte corporis hucusque probata.
Quam præſens diſſertatio ex dogmatis Wolfianis evincit.

Immortalitatem animæ defendere Philoſophi omnes volunt: ſed ad pervidendum, quibus eandem rationibus valide tueantur, tantum non omnes caligant. Non mirabitur, qui, doctiſſime Reſpodens diſſertationem, cujus defendendæ gratia in arenam deſcendis, vel fugitivo oculo perluſtraverit. Vidit Autor mentis acie pollens, quid ſibi velit immortalitas animæ, plurimos non videre. Ab eo autem, qui quid demonſtrandum ſit ignorat, fruſtra demonſtrationem expectaveris omnibus abſolutam numeris. *Socrates* olim atque *Plato* agnoverunt, indeſtructibilem eſſe natura ſua animam, & meo quidem judicio ſuppeditarunt principia, quibus, quod docuere, demonſtrari poteſt: ſed animam a morte corporis individualitatem moralem ſervare minime adverterunt, tantum abeſt, ut de ea evincenda cogitaverint. Immo ſunt quædam apud *Platonem* in *Phædone*, unde ſuſpicari licet, *Socratem* cum *Pythagora* individualitatis moralis ſubſiſtentiam negaſſe. Recentius *Leibnitius* pro ea, quæ Viri ſummi erat, perſpicacia obſervavit, animæ immortalitatem non ſufficienter probari, niſi ſuppleas, quod a *Socrate* & *Platone* fuerat neglectum, quamvis, quomodo ſuppleri debeat, non docuerit. Anceps ac periculi plenum videtur, quod ſummorum virorum impetus eluſit, aggredi. Aſt tenuis eſt animi deſpondere ſcientiam, quam intentatam reliquit indefatigabilis induſtria. Ad ſublimia nituntur excelſa ingenia, nihil non inveniunt ubi pertinaciter quærunt. Ego, quod noſti, in meditationibus metaphyſicis ex principiis, quæ *Plato* facile agnoverit, deduxi, animam ſua natura eſſe indeſtructibilem, & a morte corporis indivi-

dividualitatem physicam ejus subsistere. Ex principiis domesticis monstravi, quod etiam individualitas moralis subsistat: suppositi autem, quod ulterius evolui debebat, atque per principia mea stabiliri poterat, animam a commercio corporis liberam in statu perceptionum distinctarum perseverare. Telam hanc non infeliciter pertexit dissertationis hujus Autor doctissimus, sicque complevit demonstrationem arduam, ut non habeant intelligentes, quod desiderent amplius. Tu suadentibus Patronis, Parente optimo hortante, in percipiendis dogmatis meis privatam hactenus defatigasti industriam accuratus, attentus, sedulus. Vt probes quid profeceris, multis & gravibus argumentis animæ immortalitatem defendis. Ausus profecto non exiguus. Ex dissertatione quæ summa vi ingenii conscripta est, mascule defensa major Tibi accedit gloria, quam ex triviali scriptione nascitur. Quem Præsidem elegisti, quem Præceptorem veneraris, principiorum meorum adeo gnarum, ut applaudentibus melioribus, iis ulterius promovendis se parem ostenderit, eum porro ducem sequere. Sic erit tempus, quo & ipse dogmata mea, ad religionis tutamen judicio Theologorum gravissimorum adeo necessaria, plene planeque perspicias, & novis accessionibus amplifices. Augebis vero non minus gaudium, quo nunc parentem venerandum perfundis, de studiis Tuis ex tam præclaro specimine optima quæque ominantem quem Deus Tibi, Te ipsi servet Vale. Dabam d. IX. Decembris A. 1721.

No. VI.

Epistola gratulatoria ad Georg. Frid. Vnruhe, Respondentem dissertationis Thumigianæ, qua Phænomenon solis coelo sereno pallescentis 1721. d. 1. Jun. evolvitur.

Insoliti casus sive prodigia naturalibus nituntur causis, Metaphysices denuo expositæ beneficio a superstitione vindicantur.

Rario-

Rariora naturæ phænomena ab antiquiſſimis temporibus futuri quidpiam præſagire viſa, ipſo Cicerone judice (lib. I. de divinat. c. 42.). *Portentorum* nomen ideo meruere: quod mali quidpiam portendere creditur, vel quia portentoſum, vel quia portento ſimile videtur, cum circumſtantiæ ſingulares aliquid inſoliti aut ſingulare pro ſe ferant, in *prodigiorum* numero habetur. In erudita quam publice defendis Nobiliſſime Reſpondens, diſſertatione luculento ſolis cœlo ſereno palleſcentis exemplo probas, quæ portentoſa & prodigioſa habentur, non minus naturales habere cauſas, atque ex iis explicari & comprehendi, quam quæ quotidiana ſunt & vulgaria. Equidem non deſunt, qui ea de cauſa prodigia atque portenta in ſuperſtitionem vertunt, indignantibus prodigiorum & portentorum Patronis, & Naturæ ſcrutatores ſuſpectos reddere conantibus, quaſi eorum culpa eveniat, quod quem ipſimet portentis atque prodigiis decernunt, honor iisdem minime deferatur. Enimvero non phyſicorum induſtria, ſed metaphyſicæ verioris ignorantia hoc peperit præjudicium. Hanc ego fere ſepultam, antequam excoleretur ab inferis quaſi reſuſcitavi, & in ea omnis cognitionis ſolidæ fundamenta contineri luculenter commonſtravi, immo absque ipſius ope Philoſophiam pragmaticam minime obtineri clariſſime oſtendi, applaudentibus melioribus, ringentibus in angulo invidis, quorum aut nulla, aut certe perquam exigua in Republica literaria eſt autoritas a nobis, qui melioribus ſuffragiis dudum vicimus, flocci atque nauci pendenda. Ex principiis itaque metaphyſicis, quæ demonſtrativa quadam ratione ſtabilivi, claret, omnia in univerſo pulchro quodam nexu inter ſe cohærere, atque eo potiſſimum adductum fuiſſe numen ſapientiſſimum, ut præſentem rerum ſeriem alteri cuique prætulerit, ad quam non minus, quam ad præſentem ſeſe extendebat potentia ipſius. Ex iisdem porro liquet, quicquid vi hujus nexus ſequitur ex præcedente, inter fines referri debere, quos Deus ſapientiæ ſuæ convenienter per ipſam rerum Naturam conſequi intendit. Hæc qui perpendit, portenta atque prodigia a vanitate omnimoda facile abſolvet, atque ſuperſtitioni limites aſſignabit. Nec tempus nec locus patitur, ut ea uberius deducamus; ſparſimus ſemi-

na, quæ ubi in aliorum hortis efflorescere videbimus nobis voluptatem parient. Tu doctissime Respondens sedulum hactenus te præbuisti, dogmatum meorum auditorem & in iis haud contemnendos feciſti progressus, ut quid profeceris, publico specimine docere satagas. Applaudo tuis conatibus, & quævis prospera apprecor atque ominor. Non deerunt Patroni, qui eo quem mereris favore te amplexi digna studiis tuis solidioribus præmia decernent. Dabam in alma Eridericiana d. 27. Martii 1722.

Num. VII.

Epistola Gratulatoria ad Virum Consultissimum, Amplissimum atque Excellentissimum Dominum Jo. Vlricum Cramerum, Jur. V. & Phil. D. Professorem Publicum Ordinarium in Academia Marburgensi, qua disquiritur: Num utile sit artem inveniendi in systema redigi. Autore Christiano Wolfio.

1733.

Cartes, Malebranche, Hooke, Mariotti Looke, Tschirnhausen approbatores hujus instituti.
Reprobatores ejusdem, ut Leibnitius.
Vsus inde Juris Consulti.
Differentia Artis inveniendi a Logica.
Ars inveniendi naturalis, artificialis.
Regulæ artificialis.
Inventa poëtarum.
Prærogativa artificialis sperandæ, jucundi exinde labores.
Exempla regulas suppeditabunt. Ignorantia, affectus exulabunt.
Inventa Analyseos.
Demonstrationum consummatarum fontes, ususque Auctoris.
Fructus earum in Theologia &c.
In Jurisprudentia, methodi Crameri, cujus merita laudantur.

Controversa adhuc, quod nosti, Vir Consultissime, Collega conjunctissime, inter viros summos quæstio est, utrum expediat nec ne, artem inveniendi certis regulis comprehendi ac in systema redigi. *Cartesius* affirmativam tenuisse videtur, cum peculiarem de Methodo conscripserit dissertationem, qua regulas numero paucas exposuit ad inveniendum utiles a se deprehensas, a praxi

praxi Arithmeticorum facile ſeparandas, quemadmodum alibi oſtendi a). Approbavit hoc inſtitutum *Malebranchius* & vaſtum de arte inveniendi Tractatum compoſuit, aliquoties recuſum b), magno applauſu in orbe erudito exceptum, in quo regulas Carteſianas uberius expoſuit, & amplam de anima tractationem inſtituit. *Robertus Hooke*, cum de philoſophia naturali bene mereri ſtuderet, Algebram philoſophicam meditatus, quæ ad philoſophiam naturalem promovendum utilis foret, etſi in conatu ſubſtiterit, quemadmodum ex iis apparet, quæ poſt fata viri doctiſſimi publicavit *Robertus Waller* c). Nec aliam fuiſſe intentionem *Mariotti*, cum Tentamen Logicæ conſcriberet, nemo ignorat, qui vel oculo fugitivo idem perluſtravit d). *Johannes Looke* non alio fine conſcripſit Tractatum de dirigendo intellectu, quam ut uſum facultatum mentis in veritate inveſtiganda edoceret e). Non eſt alius, qui artis inveniendi in Syſtema redactæ utilitatem magis prædicavit quam DN. de *Tſchirnhauſen*, quemadmodum norunt, qui Viro inſigni familiariter uſi ſunt. Labore tam utili ſibi defunctus videbatur in praeclaro f) Medicinæ Mentis opere, ſtupendos methodi ſuæ effectus in Matheſi præſertim ac Philoſophia naturali pollicitus in ſecundo & tertio Tomo Operis, quorum ille inventa propria mathematica, hæc phyſica in publicum proferre debebat. Cum præmaturo fato extinctus fuerit vir ſummo ſcientiæ promovendæ ſtudio ardentiſſime flagrans & paulo ante obitum ſchedas ſuas omnes flammis feralibus tradiderit; nihil illorum inventorum videre licuit, quæ tantopere in commendationem methodi ſuæ non ſine ſumma animi voluptate extollere ſolebat.

a) Tom. I. Elem. Math. Vniv. §. 125. Arithm.
b) Titulus eſt: De la Recherche de la Verité.
c) The poſthumous Works of Rob. Hooke f. 7. & ſeqq.
d) Vid. Oeuvres de Mr. Mariotte Tom. 2. p. 609. & ſeqq.
e) Legitur primo loco inter poſthuma eique titulus: Of the Conduct. of. the Underſtanding.
f) Innuit hoc ipſe titulus, qui operi præfixus, Medicina Mentis, ſive Artis inveniendi præcepta generalia. Specialia quoque & ſpecialiſſima dare volebat. Videatur Præfatio.

Enimvero nec desunt autoritates minores, quibus sententia negativa gloriatur. Sane tot egregia in Matheſi & Philoſophia, præſertim naturali, proſtant inventa, a Viris ſummis ſumma mentis vi in apricum protracta, qui ob artem inveniendi, qua ſe pollere tot tantisque documentis comprobarunt, primo inter eruditos primi ordinis loco collocandi, de arte tamen inveniendi ad regulas certas revocanda nunquam cogitarunt, ſed vel tacito conſenſu illud *Senecæ*, longum eſſe iter per præcepta, breve per exempla, comprobarunt ſufficiat mihi ſolum hic nominaſſe *Leibnitium*, Heroëm iſtum literarium, quem nec *Malebranchii*, nec *Tſchirnhuſii* auſus probaſſe, ſed ſuaſiſſe memini, ut absque regularum præſidio veniatur in rem præſentem & artem exercendo ars acquiratur.

Tu, *Vir*, *Doctiſſime*, ſententiæ affirmativæ accedis & erudite oſtendis opus eſſe Jcto arte inveniendi, ſi omnes muneris ſui partes adimplere debeat, artem vero inveniendi ipſi propriam manus auxiliatrices expectare ab arte inveniendi generali. Optas igitur, ut ea in ſyſtema redigatur a philoſopho, quo deinceps in rem ſuam utatur Jctus. Ego equidem non nego poſſe artem exerceri absque regulis, modo quæ ab aliis jam inventa ſunt animo probe comprehenderis & probe ratiocinandi facultatem tibi ipſo uſu comparaveris (ecquis enim negaret, quod noſtro præſertim ævo experientia tot tamque egregiis documentis confirmat?); hoc tamen non obſtante profiteor utiliſſimum fore laborem, qui arti inveniendi ad regulas certas revocandæ impenditur, modo eidem ſeſe accingat, qui ideam hujus artis animo complexam tenet & perſpicue eloqui valet, quæ in eadem continentur. Quamvis uſum Logicæ in Arte inveniendi agnoſcam eumque, ni fallor luculentius oſtenderim, quam hactenus factum ab aliis g); artem tamen inveniendi a Logica diſtinguo h), neque adeo iſtis ſatisfactum exiſtimo, ſi vel maxime in hac nihil amplius deſiderari poſſit i). Inter utramque vero eam cognationem intercedere exiſtimo, quæ ad dirimendam quæſtionem præſertim ſufficit.

Sicu-

g) Logicæ part. 2. ſect. 2. integra §. 662 - - 742.
h) Vid. Diſcurſus prælim. §. 61 - 74.
i) §. 470. Pſych. empir.

Sicuti enim quædam datur Logica naturalis artificiali contradiſtinguenda; ita ſimiliter ars quædam inveniendi naturalis eſt, quæ ab artificiali differt. Et eodem prorſus modo ſeſe habet ars inveniendi naturalis ad artificialem, quomodo ſe habet Logica naturalis & artificialis alibi k) inculcavimus: quod ubi feceris, protinus apparebit quænam ſit Artis inveniendi artificialis prærogativa. Nimirum in veritate adhuc latente inveſtiganda facultates mentis certis regulis adſtringuntur ordinem illum continentibus, quo ſeſe invicem excipiunt operationes animæ, ut cogitatio noſtra tandem incidat in veritatem quæſitam. Datur utique naturalis quædam in homine diſpoſitio dirigendi operationes animæ regulis iſtis convenienter, alias enim fieri minime poſſet, ut in veritate invenienda utiliter operam collocarent, qui de regulis iſtis nunquam cogitarunt.

Diximus vero jam ſuperius, ne nunc quidem regulas iſtas ſufficienter expoſitas ullibi proſtare, poſtquam tot ac tanta in Matheſi præſertim ac philoſophia naturali proſtant inventa, nonniſi profunda indagatione eruenda. Diſpoſitio illa naturalis ad actum & repetitis ſæpius actibus ad habitum deducitur, ubi quæ ab aliis inventa ſunt accurate ſtudio perveſtigaveris, donec ea penitus animo comprehenderis tibique familiaria reddideris, &, cum notionibus refertum poſſideas animum, ad alia proprio Marte invenienda eandem affers diligentiam & aſſiduitatem, qua in alienis intelligendis uſus fueras, donec tandem fruſtrato ſæpius conatu tandem incidas in veritatem quæſitam. Succeſſus animum addit, ne difficultatibus deterrearis, quæ meditanti ſeſe objiciunt: idem & ſtimulum addit, ut ad alia audenda alacri ſtudio accedamus. Et hoc mihi voluiſſe videntur, qui ſuadent veniendum eſſe in rem præſentem & artem exercendam *exemplis*, abjecta omni de regulis cogitatione, quibus dirigatur anima in veritate inveſtiganda. Nec aliam eſſe viam conſtat, quam calcare ſolent inventores. Hæc ipſa naturalis diſpoſitio ad habitum præſcripta ratione deducta dirigendi operationes mentis in veritate latente eruenda.

k) in Prolegomenis Logicæ.

Ars inveniendi naturalis eſt, quam vulgo vocare ſolent, cum id quod connatum eſt ab eo quod acquiritur non ſatis diſtinguatur. Vnde eſt quod ad inventores transferant nonnulli quod de Poëtis dici ſuevit, eos ſcilicet non fieri, ſed naſci, ac ideo neſcio quid divini in ingenio inventorum fingunt, qui cum artis illius notionem nullam habeant, inexplicabile quid eam eſſe fingunt, eximium tamen & extraordinarium, quaſi naturæ humanæ mero Numinis arbitrio ſuperadditum. Quemadmodum vero Logica artificialis diſtincta explicatio eſt naturalis l), ut in ea regulæ demonſtrentur, quibus facultas cognoſcendi in veritate cognoſcenda dirigitur, & modus ſibi comparandi habitum eas ad praxin transferendi doceatur; ita etiam Ars inveniendi artificialis diſtincta explicatio eſt artis inveniendi naturalis, & in ea regulæ demonſtrari debent, quibus intellectus in veritate latente inveſtiganda dirigitur, expoſito ſimul modo acquirendi habitum regulis iſtis expedite utendi. Qui igitur in votis habent, ut Ars inveniendi in ſyſtema redigatur, iidem non deſiderant niſi ut regulæ, quas hactenus ſecuti ſunt inventores, vel ſaltem ſequi poterant, eodem quo uſi ſunt ſucceſſu, ex principiis a natura mentis humanæ ac notione entis petitis demonſtrentur & exemplis præclaris illuſtrentur atque confirmentur, monſtratis quoque ſubſidiis, quibus eas in poteſtatem noſtram redigamus. Hactenus itaque inventores confuſam habent artis hujus ideam, ipſo uſu ſibi comparatam, quemadmodum paulo ante expoſui, aſt ubi Ars inveniendi in ſyſtema redacta proſtabit, notio ipſis erit diſtincta, ex ipſo illo ſyſtemate haurienda, antequam in rebus inveſtigandis ſtudium aliquod poſueris. Quæ igitur eſt notionis diſtinctæ præ confuſa prærogativa; eadem quoque Arti inveniendi artificiali præ naturali tribuenda. Cui naturalis tantummodo ars eſt inveniendi ſeu confuſa illa regularum idea diuturno uſu acquiſita, quas tenet anima in veritate invenienda, is idem facit in caſu ſimili, quod vel a ſe ipſo, vel ab aliis alias factum fuerat, perpetuus imitator vel ſui ipſius, vel aliorum. In illa autem confuſione caſus ſimiles ſæpe videntur, qui non ſunt, adeoque imitandi conatus plurimum fruſtratur & ab una idea exemplari ad alte-

l) §. II. Log.

alteram, prout casus tulerit, transilitur, donec tandem forte fortuna in eam incidatur, quæ conatum successu ditat, vel a proposito prorsus sit desistendum.

Quodsi ex adverso artem inveniendi artificialem tibi comparaveris, facilius patet qua via sit eundum, & num ea satis trita sit, ut ad scopum, quem intendis, pervenire possis. Multo etiam laboris compendio acquirere licebit artem inveniendi & ejus usus latius patebit, ubi ea in Systema fuerit redacta, & ad eam admittentur, qui nunc ab eadem arcentur. Exercebitur quoque ars inveniendi in aliis scientiis, quæ nunc propemodum in sola Matheſi utilitate sua sese commendat. Et cum nunc veritatis investigandæ studium valde molestum sit, ut multa tædia devorare cogatur inventor, antequam veritate quæsita potiatur, nisi eam casus veluti sponte sua quærenti objiciat, nec appetatur nisi futuræ voluptatis ex veritate inventa percipiendæ contemplatione; ubi regulis distincte cognitis utetur inventor ad dirigendas mentis operationes in veritate inquirenda, ex ipso studio, quod in inquisitione ponit, voluptatem percipiet, successu præviso continuo intendenda, sicque jucundus erit labor, qui antea molestus fuerat. Et cum antea difficultate sua inventorem plurimum defatigaret, ex frustrato conatu enata tædia cerebrum perplexum ac motum sanguinis inordinatum redderent; nunc menti perpetua erit serenitas motuque sanitati corporis amico cietur sanguis; ut nullum ex profundis meditationibus metuendum sit corpori periculum, inventorque quantumvis assiduus fronti exporrectæ animi præsentiam in quovis negotio, alio jungat, si vel maxime meditationes serias interrumpat. Neque nocebit interruptio: cum enim inventor certa lege progrediatur, gradum sistere licebit, quandocunque voluerit; eodem tramite, ubi avocatus redierit, progressurus, quo ante incessisset, nisi avocatus fuisset. Quamobrem non erit quod iraſcatur circulos turbanti, neque enim turbari poterunt.

Nullum quoque mihi supereſt dubium fore, ut ubi regulæ ab exemplis abstrahendæ in systema redactæ fuerint, ex iis a priori colligantur aliæ adhuc latentes, sicque plura in potestatem nostram redigantur, quam quae hactenus in eadem esse deprehenduntur.

Neque

Neque hoc ſilentio prætereundum eſſe exiſtimo, quod, quam primum ars inveniendi in ſyſtema redacta fuerit, de dotibus Inventorum certius futurum ſit judicium, quam nunc ſperare licet. Non deſunt, qui de ingeniorum præſtantia contendunt; ſed cum intrinſecis deſtituantur rationibus, quas ex notione Artis inveniendi peti par erat, ad extrinſecas confugiunt, quibus ſuperſtructa inevidentia judicia haud raro vacillant Tum vero terminabuntur controverſiæ, ubi judiciis ſua conſtabit evidentia, nec quicquam dabitur affectui, cujus nunc haud exiguæ ſunt in judicando partes. Utilitates haſce cum non temere prædicem; ecquis non videt inanem minime ſumi operam, ubi Artis inveniendi regulæ diſtincte explicentur utque iisdem ſua conſtet veritas, accurate demonſtrentur.

Tu, Vir Conſultiſſime, laboris hujus utilitatem pro ea, quæ Tibi eſt, perſpicacia optime agnoſcis, & in Oratione tua rerum ubertate gravi prædicas. Spem ejus percipiendæ ICto facis, quem inventorem haud raro eſſe debere demonſtras. Ars inveniendi ſpecialis a diſciplinis, in quibus exercetur, pendet atque cum iis creſcit.

Exemplo nobis eſt Analyſis recentiorum Mathematicorum, quam Algebram vulgo vocant, tam finitorum quam infinitorum aut, ſi mavis, infinite parvorum. Quis enim in ea adeo hoſpes eſt, ut ignoret ipſam ſibi ſua debere incrementa. Sane ut idem conſtaret evidentius, ego in meis Matheſeos univerſæ Elementis eandem ea tradidi methodo, ut regulæ ſequentes ex iis deducantur, quæ per antecedentes reperta ſunt. Et memini, me olim, cum in Academia Lipſienſi Matheſin atque Philoſophiam docerem, non abſimili methodo elementa Arithmeticæ, Geometriæ & Mechanicæ pertractatum fuiſſe, ut, expoſitis quibusdam regulis inveniendi definitiones ac theoremata generalibus, ſingula proponerem per modum quærendorum, ac juxta regulas illas eruerem quod quærebatur: ubi etiam oſtendebam, quomodo in anterioribus reperta regulas ſubminiſtrent ad ulteriorem progreſſum neceſſarias.

Neque me poſthac unquam pœnituit hujus laboris: huic enim tribuo,

tribuo, quod demonſtrationum conſummatarum, quas voco m) quasque in ipſis Mathematicorum ſcriptis rariſſimas eſſe nemo non concedere tenetur, qui in iis obvias ad leges demonſtrationis conſummatæ exigit, ideam animo comprehenderim & ejus beneficio plurimum lucis diſciplinis mathematicis affuderim, ipſumque Matheſeos ſtudium facilitaverim: id quod ſatis ſuperque experiuntur, qui, cum in Elementis noſtris fuerint verſati, ad alios libros legendos animum appellunt. Eidem ſtudio acceptam fero demonſtrationum analyſin, quam paſſim trado n) & quæ methodum docendi maxime naturalem atque ſumma cum evidentia conjunctam animo inſinuat, plurimum quoque artem ipſam inveniendi juvat. Nec alia fuit ratio, quod Logicæ verioris rationem omnem intimius perſpexerim, & ejus lapidem Lydium haud fallacem reperierim o). immo illis luminibus auctus philoſophiam quoque methodo accurata pertractare valeo ac aliis facem præfero, ut videant, quomodo eandem in ſuperioribus etiam Facultatibus quas vocant, imitentur uſi luminibus, quæ ex philoſophia mea hauriunt. Quodſi eadem methodo, qua ego philoſophiam tracto, utentur quoque Theologi, ICti & Medici; in ſingulis quoque Facultatibus Artis inveniendi uſum præclarum percipient, & ſpeciales ſibique proprias detegent methodos, quibus in abyſſum veritatum profundius penetrabunt.

Non jam provoco ad Viros Theologos, qui ſummo applauſu principiis noſtris philoſophicis in Theologia utuntur & methodum, qua philoſophamur, imitantur; nec ad Miniſtros Eccleſiæ, qui inopinata auxilia in ſuis ad populum ſermonibus a philoſophia noſtra noſtraque methodo ſibi ferri experiuntur. Nec Medicos compello, quibus noſtra ad ſua felicius tractanda proſunt. Sufficit, Vir Conſultiſſime, quod Tu ſpeciminibus publicis minime vulgaribus docueris, quantam utilitatem afferat philoſophia noſtra ad Jurisprudentiam, ſive methodum ſpectemus, ſive doctrinam.

Quam

m) §. 855. 856. Log.
n) vid. Ratio Prælection. & §. 551. 552. Log.
o) §. 26. Log.

Quam methodum ad Jurisprudentiam tractandam optimam judices, orbi erudito aperuisti p), cum Themidis cultores ad lectiones publicas invitares ad publicum docendi munus in illustri hac Musarum sede admotus. Sumsisti, quod ultro concedere tenentur omnes, methodum optimam esse eam, qua & mens legum clarissime aperitur & rationes genuinæ in apricum producuntur, Themidisque cultores ad Jura in casu singulari dextre applicanda apti efficiuntur q). Evincis autem methodo demonstrativæ præstari, quod ab optima expectatur, atque hinc summo jure colligis, demonstrativam methodum esse optimam jura docendi methodum. Qua igitur ego in tradenda philosophia utor; eandem Tu, Vir Doctissime, ad Jura tradenda transfers. Ipse autem publica jam dedisti specimina, quibus abunde docuisti, quo fructu methodo ista in Jurisprudentia tam naturali r) quam civili s) utamur, & quomodo verus intellectus legum eruatur atque leges ad notiones universales reducantur t). Et quod tunc temporis judicavi, cum jura de pacto hereditario renunciativo filiæ nobilis a dissensu Doctorum liberares & in concordiam redigeres, te ope methodi demonstrativæ perfeciſſe, quod tibi proposueras u); idem adhuc sentio, secutisque speciminibus tanquam novis documentis in sententia mea fui confirmatus. Quam singulariter prosint notiones nostræ philosophicæ ad rationes Juris intimius rimandas, præclaro admo-

p) In Programmate de optima jura docendi Methodo.
q) loc cit. p. 4.
r) vid. Specimen novum Juris naturalis de æquitate in probabilibus.
s) vid. Jura de pacto hereditario renunciativo filiæ nobilis a dissensu Doctorum liberata & methodo demonstrativa in concordiam reducta.
t) vid. Specimen intellectus legum profundius eruendi sistens doctrinam juris Romani de divisione hereditatis inter plures heredes, institutos & computatione Falcidiæ.
u) vid. Præfatio, quam Tractatui, quo Jura de pacto hæreditario renunciativo filiæ nobilis a dissensu Doctorum liberantur, præmisi.

admodum exemplo oſtendiſti, cum idea quadam exemplari modum inveſtigandi ac perſcrutandi juris Canonici intellectum inſinuaturus reſtitutionem ſpoliati adverſus bonæ fidei poſſeſſorem vi notionis exceptionis arceres x). Eadem uteris methodo in Jurisprudentia tradenda, qua nos philoſophiam tradere ſuevimus: & in rationibus Juris reddendis ac evolvendis ad philoſophiam noſtram confugis ab ea auxilia petiturus. Immo Matheſeos quoque opem imploras y), ubi absque ea determinari nequit, quod certum eſt ratumque haberi debet. Hoc pacto ſtudiorum academicorum introducitur uniformitas, quæ quantum conducat diſcentibus alibi z) oſtenſurus ſum ſatisque experiuntur, quotquot Te, Collega conjunctiſſime, Duce in Jurisprudentia, me in Philoſophia ac Matheſi duce utuntur, illi præſertim, qui jam devorarunt tædia ex vulgari Jurisprudentiam docendi diſcendique methodo tyroni devoranda, ut memoriæ mandet ea, quorum ideam ab uſu fori demum expectat.

Dudum in votis habui, ut ne in ſuperioribus Facultatibus deeſſent Doctores, qui eadem nobiscum methodo uterentur in docendo & dogmata ſua cum principiis philoſophicis a nobis evolutis connecterent ob inſignem diſcentium utilitatem & Eccleſiæ ac Reip. fructum inde ſperandum. Quamobrem mihi, qui in utilitatem publicam totus intentus ſum, nihil jucundius accidere poterat quam cum intelligerem Potentiſſimum Suecorum Regem, Haſſiæ Landgravium, Dominum noſtrum longe clementiſſimum, Tibi profeſſionem Juris ordinariam locumque, qui in Facultate Juridica morte

x) Vid. Programma de reſtitutione ſpoliati adverſus bonæ fidei poſſeſſorem.

y) Vid. Specimen intellectus legum profundius eruendi ſupra laudatum, & alterum de æquitate juris naturalis in probabilibus antea ſimiliter commendatum. Conf. Programma partes æquales in lucro & damno Sociorum ſpectandas explicans & regulam Societatis Arithmeticorum inde demonſtrans.

z) In Horis ſubſecivis.

morte ſenis venerandi, ICti eximii, Kleinſchmidii, vacabat, decreviſſe. Gratulor Tibi, Vir Conſultiſſime, quod nactus ſis ſpartam, quam ornare potes, & cum ea occaſionem explicandi ingenii tui dotes. Gratulor Academiæ, quod nacta ſit Doctorem, quo duce Themidis cultores multo laboris ac temporis compendio, nec ſine voluptate ſolidam Juris utriusque Scientiam ſibi comparare valent. Gratulor orbi erudito, qui ab indefeſſa tua induſtria multum ſibi promittere debet, perfectum juris civilis ſyſtema aliquando a Te expectaturus. Gratulor denique mihi, quod nactus ſim collegam, qui ad eundem mecum ſcopum tendit. Faxit Deus Optimus Maximus, ut ſalvus atque incolumis ad eam ætatem pervenias, quam vegetam octogenario major expertus eſt, qui Tibi locum in Facultate fecit! Nullus enim dubito fore, ut ſpem, quam ex ſpecimininibus ſingularibus a Te editis concepere Viri circumſpecti ac rerum intelligentes, abundanter adimpleas &, quod in Oratione tua inaugurali nunc quidem verbis docuiſti, in poſterum exemplo tuo evincas ICtum eſſe poſſe veri nominis Inventorem. Vale. Dabam Marburgi Cattorum d. XXX. Martii A. O. R. MDCCXXXII.

Num. VIII.

Præfatio Phyſicæ Electivæ Jo. Chriſtoph. Sturmii Tomi II. anno 1722. publici juris facti a Perilluſtri Wolfio addita.

Cognitio naturæ hiſtorica, ſcientifica, mathematica.
Hiſtoricæ momenta. Plinii hiſt. nat.
ſcientificæ experimenta
Notionum digeſtio a Carteſio & Leibnitio.
Uſus Hypotheſium.
Geometriæ fructus. Aliæ ſpecies Matheſeos ejusque hiſtoriæ compendium.
Lucubrationes Autoris in eadem.
Merita Sturmii.
Hiſtoria hujus operis ejusque laudes.
Specialiſſima Phyſicæ pars ſero abſolvetur.

Ecce

Etsi ab omnibus retro seculis rerum naturalium scientia fuerit exculta, haud quaquam tamen hodieque deesse videas, qui methodum de iis philosophandi in controversiam ducunt. Neque vero in ea expendenda frustra sumi operam putandum est: ex methodo scientiæ momenta pendent. Ego iterum ac sæpius monui, rerum naturalium cognitionem triplex involvere discrimen, quo non nisi accuratius evoluto, in natura perquirenda magnifice conata perficiuntur. Prima hujus cognitionis species ea est, quam *historicam* appello, observationum ac experimentorum cancellis circumscripta. Proximus ab ea locus cedit alteri, quam *scientificam* nuncupo, ex observationibus & experimentis multum ac diu æqua lance pensitatis dogmata decentissime condens, non violabilia Naturæ de rerum eventu decreta. Supremum tenet tertia, quam *mathematicam* dico, virium atque effectuum quantitatem ad mensuram revocans. Illa ceterarum basis est & fundamentum ea concatenatum rerum nexum sistit: hæc causas phænomenorum sufficienter perspectas esse evincit. Omnes sororio vinculo connectuntur sibique mutuo & auxilia & fundamenta præstant.

Historicam naturæ cognitionem ex parte habet etiam vulgus, eam inprimis, quæ ad vitæ necessitatem & artem exercendam facit: magis exquisita delectantur, qui experimentis operam assiduam navant, Naturæ scrutatores indefessi ingenioque pollentes. *Plinius* olim, quæ Natura spectanda exhibet delineare decreverat in Historia mundi, quam conscriptam posteritati reliquit: sed levi nimis penicillo adumbrat, quæ nativis coloribus pingi oportebat. Nec hodie prostat Historia naturæ integra, in qua defectus Plinianæ emendatos reperias, utut passim apud præclaros Autores reperiantur, quæ haud contemnendam ejus partem constituunt. Laborant *observationes* multis ut plurimum defectibus: id quod satis experiuntur, qui iisdem ad scientiam promovendam uti decernunt. Neque e longinquo petenda est ratio: observationum in scientia usum qui ignorat, nec momenta perspicit, ad quæ potissimum animum advertere convenit. Magis igitur exasciatæ ab iis expectandæ sunt, qui cum observandi studio scientiam conjungunt.

Enimvero ad cognitionem Naturæ ſcientificam & mathematicam *obſervationes* ſolæ non ſufficiunt; *experimentis* inſuper opus eſt: cujus rei rationes alibi expoſui diſtinctius. Experimenta plurimum urſit *Verulamius*, ſed quæ ipſe cum in Sylva Sylvarum, tum in ſcriptis aliis larga manu dedit, nondum ea fuerunt, unde ſcientia præclara haurire potuit incrementa. Superiori demum ſeculo Philoſophiæ experimentalis ſtudium decentiſſime tractari cœpit, cum aëris gravitas invictis argumentis contra *Ariſtotelicos a Galilæo* adſtrueretur. Cum enim ipſe in Dialogis de motu modum ponderandi aërem & ejus cum aqua æquilibrium exhibuiſſet atque methodum examinandi veritates ipſas mathematicas per experimenta introduxiſſet; mox ejus diſcipulus *Torricellius* ejusdem aëris cum Mercurio ſive argento vivo æquilibrium detexit inventis Præceptoris conſentiens: quo celebri experimento excitati *Paſcalius Merſennus* aliique ulteriores ad Philoſophiam experimentalem excolendam ſtimulos addiderunt. Poſtquam *Otto de Guericke*, Conſul Magdeburgenſis antliam pnevmaticam inveniſſet, ac inexpectatis admodum experimentis Philoſophiam naturalem locupletaſſet, ejusque exemplo excitatus in Anglia *Robertus Boyle* eodem inſtrumento in experimentis capiendis non ſine ſucceſſu uteretur, ab eo ſane tempore majore animi contentione experimentatum fuit ubivis locorum, quam unquam antea factum fuerat. Quod autem modo de obſervationibus annotavimus, *idem* quoque de experimentis monere tenemur, ſcilicet ea ſubinde multis laborare defectibus, quod uſum in ſcientia non prævidentes minime intelligant, qua circumſpectione inſtituenda veniant. Quamobrem & magis exaſciata experimenta ab iis expectanda ſunt, qui cum experimentandi ſtudio ſcientiam conjungunt. Cognitionem ſcientificam & olim affectarunt, & hodienum affectant multi, qui inter naturæ myſtas comparere laudi ducunt. Veteres in ea parum profecerunt, partim methodi, partim experimentorum defectu: quo contingit Philoſophiam naturalem magis verbalem evadere, quam realem.

Multum etiam impedimento erat ignorantia inter notiones confuſas atque diſtinctas, quam optime *Carteſius* in ſua philoſophandi methodo ſuſtulit, etſi diſcrimen non ſatis in theoria expoſuerit:

id

id quod demum a *Leibnitio* factum, & a nobis in noſtris meditationibus Logicis aliquoties brevi annorum ſpatio recuſis in uſum traductum fuit, Etſi autem hodie plerique a confuſis notionibus in Philoſophia naturali abhorreant, nec occultas ſcholæ qualitates, ſympathias & antipathias, vires attractrices aliaque hujus generis complura luxuriantis imaginationis monſtra probent; exemplo tamen Carteſii in fingendi licentiam prolapſi *hypotheſes* ad arbitrium exſculpunt & ſcientiæ progreſſui obicem ponunt. Equidem non omnem hypotheſium uſum prorſus rejicio, cum in tentamine, quod paucos ante annos de vera cauſa multiplicationis frumentorum idiomate patrio publici juris feci, luculenter oſtenderim, quem in inveniendo uſum habeant, & quamnam experimentandi anſam præbeant, ut tandem ad veritatem liquidam perveniatur: non tamen probo, ſi qui hypotheſes fingunt rationibus parum firmis munitas, ut rationes, quas ignorant, reddere poſſe videantur, ſi quis cauſas phænomenorum ſciſcitetur. Ego ſane in ſcientia non admitto principia, unde aliorum ratio reddatur, niſi quod ex obſervationibus atque experimentis legitimo conſequentiæ filo fuerit deductum.

Mathematica rerum naturalium cognitio, inter paucos diſtributa, cum Matheſeos, quam puram vocant, haud proletariam notitiam ſupponat. Primam ſui originem Aſtronomis ea debet, qui Geometriam ad obſervationes applicantes id tandem effecerunt, ut motus ſiderum & quæ inde ſuſpenduntur legibus alligarent, nec vano eventu prænunciarent afflatu quaſi divino tacti. Mox alterum comparuit ſpecimen in Optica, cujus illa opem ſæpius implorat: quamobrem & *Keplerus*, Aſtronomus ſummus, de parte Aſtronomiæ optica commentatus in Paralipomenis ad *Vitellionem* Opticum percelebrem. Tertium ſpecimen jam olim exhibitum eſt in Muſica, ubi ſoni menſuris ſubjiciebantur. Enimvero longius multo proceſſit *Archimedes*, maximum illud Græciæ lumen, qui cum in libris de æquiponderantibus, tum in cæteris de inſidentibus humido genuinam patefecit methodum naturam mathematice tractandi. Poſtquam ea per plura ſecula neglecta jacuerat, ſuperioris demum initio *Galilæus* eadem feliciſſime uſus nova cognitionis naturæ mathema-

thematicæ ſpecimina dedit in dialogis de motu curvarumque in ea uſum præclaro exemplo illuſtravit. Specimina magis illuſtria longo poſt intervallo impertitus publico inter excelſa ingenia in ſublimi conſtitutus *Hugenius*, cum in excellenti opere de horologio oſcillatorio tum in diſcurſu de cauſa gravitatis, quæ adeo profuerunt profundæ indaginis Viro *Iſaaco Newtono*, ut in incomparabili Principiorum Philoſophiæ naturalis Mathematicorum opere unus omnium maxime naturam mathematice tractandam aggreſſus fuerit; cujus deinde exemplum ſecuti ſunt alii, quorum merita intra arctos præfationis limites comprehendere non licet, præſertim poſtquam incomparabilis *Leibnitius*, Vir in omni eruditionis genere ſummus novum calculi genus invenerat, a *Joh.* inprimis *Bernoullio* inſigniter promotum, quo naturam mathematice ſubjicere nunc magis, quam antea, in poteſtate eſt. Ego cum multis gravibus argumentis eſſem convictus, quod poſtea *Rogerium Baconem* in ſpecula Mathematica diſtinctione prima capite tertio p. 9. affirmare legi, in aliis ſcientiis excluſo Mathematicæ beneficio tot eſſe dubitationes, tot opiniones, tot errores a parte hominis, ut non poſſint explicari, de eo potiſſimum eram ſolicitus, ut ad naturæ contemplationem mathematicam plures invitarem. Conſcripſi eum in finem elementa Aerometriæ, ut exemplis non adeo difficilibus docerem Philoſophos, quomodo Matheſin ad experimenta applicare ſicque ad certam in Phyſicis cognitionem pervenire debeant. Ne deeſſent fundamenta, quæ ex Matheſi petenda ſunt ad cognitionem naturæ mathematicam adſpiranti, mox univerſæ Matheſeos elementa continuo vinculo inter ſe connexa ac eo ordine digeſta, exhibui, ut methodi quoque vim perciperent in iis evolvendis decenti cum attentione verſantes.

Quodſi Deus vitam ac otium conceſſerit, aliis laboribus abſolutis, quibus ſcientiarum incrementa promovere conſtituimus, Mathematicam naturæ cognitionem ut amplificemus omnem movebimus lapidem, Matheſin ad experimenta applicaturi, & Geometriam in hypotheſibus non alienis atque ad arbitrium confictis, ſed naturæ conformibus exercituri.

Quam naturæ cognitionem amplificare ſtuduerit B. *Sturmius*, de

de Matheſi & Philoſophia naturali optime meritus, non ignorant rerum naturalium curioſi, quorum nemo eſt, qui non ſcripta Sturmiana ad Philoſophiam naturalem ſpectantia evolvat. Studia Mathematica ex Academiis Germanicis fere exulabant: utut enim non deeſſent Profeſſores, qui Matheſi docendæ deſtinabantur, deerant tamen auditores, qui mathematicis diſciplinis animum imbuere geſtiebant. Sturmius itaque eadem inſtauravit & tempori ſerviens lacte nutrivit, quorum ſtomachus cibos ſolidiores digerere neſciebat, atque ſic tandem effecit, ut nunc cum applauſu altiora doceri poſſint, ubi antea nauſeam movebant elementa. Nec ipſe deſtitutum ſeſe ſenſit hac voluptate, ut ad ſublimiora adſpirantibus dux & autor viæ exiſteret.

Quamvis vero Matheſi excolendæ cum laude incumberet, majorem tamen *Phyſicæ* operam navavit & ad veriorem naturæ cognitionem viam ut commonſtraret nihil intentatum reliquit. Primus in Academiis Germanicis antequam in exteris quispiam de ſimili inſtituto cogitaret, experimentis phyſicis vacavit & ut quæ doceret, omnibus conſtarent, alibique alii Profeſſores labores tam utiles imitari poſſent, eadem typis publicis deſcribi curavit, titulo Collegii experimentalis. Opere tunc temporis tam ſingulari tantam nominis celebritatem conſecutus, ut exteri etiam ejus amicitiam ambirent. Ex eo ſane apparet, quam accuratus ac circumſpectus fuerit in experimentando, quam acutus in rationibus reddendis, quam ſedulus in autoribus melioribus perluſtrandis. Ex eodem quoque perſpicimus, quod non modo hiſtoricam, verum etiam ſcientificam naturæ cognitionem habuerit, nec a mathematica abhorruerit, licet pro inſtituti ratione eadem parcius uteretur. Qui Sturmii noſtri Collegium experimentale attentus perlegebat, nil quicquam magis in votis habebat, quam ut vir ad ſtudium Philoſophiæ naturalis natus integrum ſyſtema conderet. Augebatur commune eruditorum deſiderium, cum ex conamine Phyſicæ conciliatricis intelligerent, virum merito ſuo celebrem ſcripta Phyſicorum tam veterum, quam recentiorum multo cum ſtudio perluſtraſſe, ſingulorum ſententias ad trutinam appendiſſe, quæ terminis differebant, ideis conveniebant, inter ſe conciliaſſe, at-

que ſic eum eſſe, qui unus omnium optime docere poſſit, quicquid boni in Phyſicorum ſcriptis paſſim reperitur. Huic deſiderio ſatisfacere decreverat Phyſicæ hypotheticæ electivæ opus editurus, ſed ut nemo ſibi minime ſatisfactum conqueri poſſet, illud minime præcipitavit, quin potius ſingula iterato examini ſubmiſit, antequam in publicum proferret, ne quod conſummatum non eſſet luci publicæ exponeret. Ne tamen diutius differret, quod multorum votis expetitum, anno 1697. Tomum primum publicavit, quæ partem Phyſicæ generalem complectitur. Judicabant intelligentes expectationi ex aſſe ſatisfeciſſe celeberrimum Autorem: videbant enim phænomena accurate recenſeri, hypotheſes Autorum celebrium, quibus eadem ſalvantur, fideliter exponi, & poſtquam ad examen accuratum fuerint revocatæ, perſpicue doceri, quid ex iis pro ſtabiliendis dogmatis deſumi poſſit, partum cognoſcebant ſuo Autore dignum.

Applauſus itaque, quo Tomus primus excipiebatur, calcar addebat Sturmio noſtro, ut laborem ceptum indefeſſo ſtudio continuaret, atque ante obitum ſuum integrum Tomum ſecundum abſolveret, qui Phyſicam ſpecialem comprehendit. Docuere hactenus multi, quod tot annis a morte Viri celeberrimi elapſis arbitrarentur, eum rebus humanis ereptum fuiſſe, antequam opus ceptum perficeret, orbem eruditum carere prorſus debere opere tam proficuo. Quamobrem non dubitamus fore, ut, cum nunc in publicum præter expectationem veniat, tanto majori cum applauſu excipiatur. Non exiguam ſpondet Phyſicæ verioris cultoribus utilitatem. Accurata phænomenorum deſcriptio hiſtoriam naturæ in compendio ſiſtit. Neque vulgare hoc compendium cenſeri debet; ſed exactum, quod non modo ad effectus naturæ cognoſcendos ſufficit, verum etiam ad earum cauſas inveſtigandas manu ducit. Invenies hic, quæ plurimorum annorum obſervationibus vix obtinentur, multoque cum temporis diſpendio apud Autores, eosque non ubivis obvios, diſperſa colliguntur.

Fida hypotheſium recenſio ſervit loco introductionis in hiſtoriam Phyſicæ literariam, ut multo temporis ac laboris compendio addiſcamus, quid aliis viris doctis de rebus naturalibus meditatis

in

in mentem venerit, ita ut unum opus instar Bibliothecæ physicæ esse possit. Imo majorem revera usum præstat Bibliotheca physica integra, cum non modo tempori ac labori parcatur, dum multorum loco non nisi unus evolvendus est liber, verum etiam non cujusvis sit tam accurato examine dijudicare, quid de hypothesibus Autorum sit statuendum, quemadmodum a nostro factum est. Denique Epicrisis a doctissimo Autore superaddita monstrat, quid hactenus in Philosophia naturali præstitum sit, ne novo labore quæramus, quod jam ab aliis inventum, nec ab eo investigando desistamus, quod nondum a quopiam in apricum fuit protractum.

Deest equidem pars Physicæ specialissima de plantis, animantibus brutis atque homine, cui B. Autor manum admovere non potuit rebus humanis exemtus, cum vix Tomum secundum ad umbilicum perduxisset. Enimvero hunc defectum supplevit, dum Editori persuasit, ut *Honorati Fabri* de hoc inprimis Physicæ argumento præclare meriti opus *de plantis, brutis ac homine* prælo subjiceret. Cui adeo volupe fuerit eundem cum duobus Tomis *Sturmianis* conjungere, is sane habebit totius physicæ systema, quo nondum orbis eruditus novit præstantius; quodsi quis scire gestiat, num forsan in nonnullis a *Fabrianis* placitis recedat *Sturmius* noster, is compendium Physicæ sanioris consulat, quod ipso vivo lucem adspexit. Dabam Halæ Magdeburgicæ d. 27. Martii, Anni 1722.

Num. IX.

Lectori Candido S.P.D. Christianus Wolfius.

Methodus ad obtinendam certitudinem, cum testimonio eidem satisfeciſſe Autorem.

Cum de Jurisprudentia civili in formam demonstrativam redigenda sententiam in Horis subsecivis dixerim; quæ ibidem legi possunt, hic non repetam. Quamvis igitur non desint, qui omnibus viribus contendere nituntur, leges civiles re-

ſpuere methodum accuratam, qualem Mathematici amant & qua nos philoſophari cœpimus; eos tamen non moramur: ſit ita quod eorum, qui tale quid auſi fuerant, ſucceſſum infelicem objiciant. Veniendum in rem præſentem. Nec quem deterrere debet exemplum eorum, quibus male ceſſit conatus. Utut enim de facultatibus ſuis ſæpe plus ſperent homines, quam in iis eſt, ut, cum deſint vires, tantummodo laudanda ſit voluntas; non tamen omnibus denegatur, quod uni vel alteri non fuit conceſſum. Quamobrem ſi qui rem male gerunt, iidem ſtimulo eſſe debent aliis, ut eandem bene gerant, & ex alieno caſu diſcendum, quid ſit vitandum. Quid valeat in jure accurata methodus, præſens demonſtrationum in eodem ſpecimen palam loquitur. Quod enim ſibi propoſuerat Autor conſultiſſimus; id perfeciſſe mihi videtur. Methodi demonſtrativæ auxilio jura de pacto hereditario renunciativo filiarum a diſſenſu doctorum liberavit & in concordiam reduxit, ſi quod meum judicium eſt, feliciſſime. Methodi vires in Matheſi atque Philoſophia expertus fuerat, quarum ſe valde peritum eleganti ſpecimine juris naturalis de æquitate in probabilibus exemplo emtionis ſpei illuſtrata luculenter probavit, ut ſuperfluum exiſtimemus alia commemorare, ex quibus idem perſpicitur. Quantæ ſint in Jure, experimento proprio convictus fuit ſuoque jam exemplo alios docet. Meum jam eſt juvare attentionem illorum, qui ad eandem laudem adſpirant, ut intelligant, quidnam ſit illud, quod imitari debeant. Pacta hereditaria renunciativa filiarum jure Germanorum antiquo erant ſuperflua, jure civili improbata, jure canonico probata, eademque hodie in familiis nobilibus Germaniæ uſitatiſſima ſunt. Cum origo horum pactorum in eo, quod circa ipſa juſtum eſt, momentum trahat; ex fontibus hiſtoricis eruenda erat. Non ſepoſuit Nobiliſſimus Autor methodum, ad quam tanquam ſacram anchoram confugerat ex dubitationum fluctibus emerſurus, in quas lectorem conjiciunt Doctores continuo diſſenſu ſibi invicem adverſantes; ſed pro ea, quæ ipſi eſt, methodum applicandi dexteritate oſtendit, quod in argumento etiam hiſtorico non contemnenda auxilia afferat. Reperies hic propoſitiones determinatas factis ſtabilitas, quæ principiorum vice in demonſtrationibus fun-

funguntur. Absit vero, ut methodi non satis gnarus hic requisiveris, quæ a natura rei abhorrent. Facta documentis probantur & testimoniis Historicorum, quæ sumenda sunt, qualia publice prostant. Sed notes velim acumen Autoris nostri, quo methodi beneficio facta parum concordia discernit, & ceteris concordantia eligit, dubia claritati restituit, quasi aliud agendo, ut attentionem lectoris excitari opus sit, ne illud inobservatum relinquat, quod observari utilitatis maximæ. Ubi jam porro ad id evincendum progreditur Autor, quod circa pactum hoc justum est; casus, qui in foro ultra seculum occurrunt & de quibus disputant autores, ex summorum ICtorum voluminibus selegit, eorumque decisiones ad propositiones determinatas reduxit, ut, si cum philosophis loqui velis, ex determinatione subjecti deduci possit prædicatum, aut, si cum ICtis loquendum, ex circumstantiis, per quas determinatur casus, decisio fluat. Quodsi igitur in posterum occurrat casus singularis, propositionis unicæ applicatione, aut, si compositus fuerit, applicatione plurium sine ullo negotio decidetur. Etenim ex circumstantiis casus præsentis colligitur, ad quam propositionem tanquam ad normam sit referenda; ex propositione autem intelligitur, quomodo sit decidendus. Ipso adeo facto docuit Vir clarissimus, quantum interfit jura ad propositiones determinatas revocari: quod etsi aliquando facillimum sit, subinde tamen negotium faceſſit. Ceterum dum non alios casus expendit, quam qui foro innotuerunt; propositionum singularum utilitas per se manifesta censeri debet. Hoc ipso vero docuit, tum quomodo Jurisprudentia pragmatica & usui fori satisfaciens condi possit, tum quomodo leges in Corpore Juris non minus Canonici, quam civilis ad propositiones determinatas reduci & defectus, si qui notantur, suppleri queant. Cum enim hodie præsertim tot prostent JCtorum, qui de jure responderunt, decisiones, consilia & responsa; quinam in foro maxime occurrant casus, inde intelligitur. Quodsi ergo eosdem exemplo autoris ad propositiones determinatas revocaveris; regulas suppeditabis judicibus, juxta quas facillime jus dicturi sunt, & propositionum hypotheses palam facient, quid ante probari de facto debeat, quam regula ad idem applicari possit. Et quoniam in

utroque Juris Corpore plurimæ occurrunt caſuum deciſiones, leges autem per caſus facile illuſtrantur; eodem prorſus pacto leges ſingulas & decreta ceterasque conſtitutiones Pontificum ad propoſitiones determinatas, genuinas Juris regulas, reduces, quo Noſter caſus a doctoribus deciſos ad easdem revocavit. Enimvero tum demum intelligitur, propoſitionem rite eſſe determinatam, ſi ex ſubjecti determinationibus concatenato ratiociniorum nexu deducatur prædicatum. Atque ita ſimul naſcitur evidentia, qua aſſenſus propoſitioni præbendus extorquetur & veritas ejusdem extra dubitationem ponitur. Probe hæc obſervavit Cl. Autor. Dum enim rationes decidendi affert, non aliud agit, quam ut concatenatis ratiociniis ex circumſtantiis caſus colligat, quod in eo juſtum eſt, ſi cum Philoſophis loquendum, ex determinatione ſubjecti deducat prædicatum propoſitionis: id quod a demonſtratore fieri debere non modo praxis Mathematicorum docet, verum etiam Ariſtoteles jam olim præcepit, dum ex aſſumtis procedere demonſtrationem inculcavit, nos vero in opere logico clariſſime evicimus. Hoc ipſo vero docuit, quomodo rationes decidendi paſſim apud Autores obviæ evolvantur, ut in demonſtrationem abeant, & genuinæ a ſpuriis infallibiliter ſecernantur. Abunde ſimul ipſo facto probavit, non eſſe contemnendas rationes decidendi ab Autoribus allatas, ſed iis commode in rem ſuam uti poſſe Demonſtratorem non modo in propoſitionibus rite determinandis, verum etiam in demonſtrationibus concinnandis: enimvero ubi quod a Noſtro factum eſt accurata trutina expendere volueris, non adeo facile eſſe intelliges, ut hunc illarum uſum facere poſſis. Principia, quibus utitur Autor in rationibus decidendi evolvendis ſeu in formam demonſtrationis expandendis, ſunt leges indubiæ interpretationis ac uſu fori comprobatæ: ſententiæ quædam Doctorum minime controverſæ; principia nonnulla philoſophica a nobis ſtabilita tandemque propoſitiones anteriores. Argumentum enim, quod tractat ſpeciale eſt, atque adeo principia omnia inſita eſſe nequeunt. Nullum adhuc proſtat Juris Syſtema, in quo leges fuerint demonſtratæ, conſequenter ad demonſtratas alibi propoſitiones provocare minime potuit. Neque leges cuidam pro arbitrio fingere licet:

ſed

ſed tales ſumendæ, quales in foro introductæ. Cumque, ubi leges expreſſæ deficiunt, placita Doctorum in earum locum ſurrogentur; ab iis quoque recedere non debet Demonſtrator, quamdiu ea legibus conſona deprehendit. Quando vero impoſſibile eſt, ut absque principiis quibusdam philoſophicis ratiociniorum filum producatur; ecquis illorum uſum reprehendet, quem nobis neceſſitas imponit? Satisfecit igitur denuo Cl. Autor officio boni Demonſtratoris, qui non prò arbitrio principia fingere, ſed ex conceſſis argumentari debet. Dum vero non admiſit in numerum propoſitionum niſi caſus a Doctoribus deciſos, nec aſſumſit demonſtrandi principia niſi leges expreſſas & placita Doctorum minime controverſa una cum philoſophiæ principiis; ſingulari quadam ratione accidit, ut nihil dixerit quod non citet ex aliis, etſi dixerit, quæ in Autoribus, quos laudat, fruſtra quæſiveris. Atque ita effecit, ut, quod alias ſuperfluum exiſtimatur, ſit penes ipſum neceſſitatis, & quod vulgo videtur in ipſo laudem mereatur. Receptum adeo morem ſequi videtur, dum aliquid molitur, quod plane novum eſt in ſuo genere. Dum vero inter principia demonſtrandi, quibus utitur, propoſitiones quoque anteriores comparent; haud obſcure apparet, quod eum tenuerit ordinem, quem lex methodi demonſtrativæ injungit, ſcilicet quod propoſitiones ita ordinaverit, ut præcedant ea, quibus in demonſtrandis ceteris opus eſt. Quoniam igitur jura circa pacta hereditaria obſervanda ex legibus Doctorumque placitis receptis atque propoſitionibus anterioribus demonſtravit, eadem cum inter ſe, tum cum legibus copulavit & hiſce conſentanea reddidit. Vera adeo dixit, dum affirmavit, ſe in illa unam introduxiſſe concordiam, unam conſequentiam, veritatemque adeo elucere, ut adverſarium neminem conſtitui opus fuerit. Quemadmodum vero ſummam utique laudem meretur, quod tam illuſtre demonſtrationum in Jure ſpecimen dederit, cum non haberet quod imitaretur; ita non minus laudanda eſt ſingularis ejus modeſtia, quam cum probata eruditione ea ætate conjunxit, quæ alias ad reprehendendum alios proclivis eſſe ſolet. Nulla fere occurrit propoſitio, circa quam non æqualis propemodum eſt conſentientium ac diſſentientium numerus. Nullibi tamen

tamen videris carpi dissentientes aut promeritæ illorum laudi quid detrahi: quo ipso sane non modo amorem veritatis prodidit, cui unicæ litandum esse duxit, verum etiam optime se intelligere probavit, non esse ex detrimento famæ aliorum ei captandam gloriam, qui per propria merita ad claritatem nominis contendere potest. Conscripsit consultissimus autor hoc Demonstrationum in Jure Specimen, pro summis in utroque jure honoribus & privilegiis rite consequendis disputaturus. Quamobrem cum insolito, merito tamen applausu exceptum fuerit, ut sub forma Tractatus idem recudi consultum videretur bibliopolæ; hæc præfari constitui, ut norint alii quid observare debeant methodum demonstrativam ad jura applicaturi: quod utiliter fieri, ex præclaro hoc specimine satis clare intelligitur. Plura eam in rem diximus, cum de Jurisprudentia in formam demonstrativam redigenda in Horis subsecivis ageremus, & multa quoque, quæ de philosophia in eandem formam redacta ostendimus, ad Jura methodo demonstrativa proposita applicari possunt. Quamobrem ne actum agere videamur, specialiora in medium proferre nolumus. Non inconsultum vero videtur dubium aliquod removere, quod methodi interiora non introspicientibus occurrere poterat. Cl. Autor nonnisi unicam definitionem pacti hereditarii renunciativi præmittit: de axiomatibus vero altum est silentium. Enimvero Mathematici, qui methodi demonstrativæ artifices existimantur, plurimas definitiones & axiomata complura vel præmittere, vel propositionibus demonstrativis passim interserere solent, & ipsimet, cum in discursu præliminari Logicæ præmisso leges methodi demonstrativæ explicaremus, præcepimus, ut termini singuli accurata definitione explicentur. Videtur adeo Noster fundamentalem quandam methodi legem minime observasse, cum multis utatur terminis quos minime definivit. Ita non definit pactum in genere, nec hereditatem, nec juramentum, nec conventionem, nec ratihabitionem, nec testamentum, nec fideicommissum, nec legitimam, nec consensum, nec querelam de inofficioso, nec terminos complures alios, quibus tamen in ipsis propositionibus utitur. Neque dubium est, quin multi de præsente argumento dissertationem methodo demonstrativa conscripturi

ſcripturi terminos iſtos omnes definiviſſent. Atat! non adeo paſſus eſt Autor in ſe deſiderari acumen ſuum, quo in viſcera methodi penetravit, ut ea definiret, vel probaret, quæ tanquam cognita atque perſpecta præſupponi debebant: quod ſi feciſſet, eandem ſane cenſuram meruiſſet, quam incurreret Aſtronomus in diſſertatione quadam de argumento prorſus ſingulari definitiones aſtronomicas vel geometricas, quas præſupponere debet, inutiliter repetens, & cui vulgo obnoxii fiunt, qui de argumento ſpeciali acturi afferunt, quæ ad generalem tractationem ſpectant, toties idem repetituri, quoties de alio argumento ſpeciali ſub eodem generali contento agere conſtituunt. Studio igitur Noſter omiſit, quæ præſupponenda fuerant, & limato, quo utitur in rebus diſcernendis judicio tribuendum, quod omittenda non appoſuerit. Quod ſupereſt, Deum ſupplex veneror, ut Autorem conſultiſſimum, a quo præclara expectare nos jubet præſens ſpecimen, per longam annorum ſeriem ſalvum ac incolumen præſtet! Dabam Marburgi Cattorum d. 5. Junii A. O. R. 1731.

Num. X.

Præfatio ad Grotium de Jure belli ac pacis 1734.

Juſtitia comes prudentiæ & quare. Utilitas vera.
Eadem invenienda per experientiam.
Lux Grotio per autorem affulgens.
Explicationes Gronovii probantur.
Subſidia juris poſitivi adhibita.
Habilitas ad explicandum Grotium.
Ariſtotelis & Scholaſticorum philoſophiam non eſſe deſpiciendam.
Editio Grotii præſens.

Hugo *Grotius*, vir ſummus, præclarum de Jure Belli ac Pacis opus conſcripſit, ut certam agendorum normam haberent, qui publica negotia tractant. In his definiendis ſpectatur & utilitas, & æquitas. Illud prudentiæ; hoc juſtitiæ eſt. Juſtitia laudem per ſe parit; prudentia tum demum, ubi juſtitiam comitem habet: neque enim vere prudentem ſe probat, niſi qui idem

juſtus eſt. Virtus virtuti non contrariatur; ſed ſororio vinculo inter ſe cohærent omnes. Nec quod juſtitia diſſentiente utile apparet, re vera tale eſt. Prudentia veri nominis futura proſpicit, ne præſens utilitas in poſterum damna pariat, & unius utilitas cum alterius vel multorum damno conjungatur. Utilitatem præſentem perſpicere haud difficile eſt, & quæ ad hoc requiritur perſpicacia experientia levi comparatur. Neque adeo longa theoria opus eſt, ut quid præſentis utilitatis ſit ſpectes. Aſt diuturniore experientia opus eſt, ut utilitatem præſentem ex futuro æſtimes. Enimvero quid juſtum ſit, quid injuſtum dici mereatur, experientia magiſtra non addiſcitur. Certa igitur theoria opus eſt, ne fallax ſit judicium. Hanc qui inſuper habent, cœca aliorum imitatione nonniſi caſu incidunt in id quod juſtum eſt, plerumque ab eo aberrant.

Falluntur adeo plurimum, qui ſibi aliisque perſuadere nituntur, quaſi eadem tuto carere poſſimus. Supervacaneam eſſe, quæ in ea comparanda conſumitur, operam. Veniendum eſt in rem præſentem, ut negotiorum tractationi ſeſe immiſcens ex eo, quod faciunt alii, diſcat quid ſimili in caſu a ſe fieri debeat. Accidit hinc, ut, quam ore damnant *Carneadis* ſententiam, jura ſibi homines utilitate ſanxiſſe, omnes ad utilitates ſuas natura ducente ferri, ipſo opere probent. Unde conſequens, quod, qui ſuperiorem habent nullum, veluti populi eorumque Rectores, ex utilitate ſua jus ſibi pro arbitrio fingere poſſint, potentiam prudentia moderante, ne ab ea, quam intendunt, utilitate aberrent. Normam adeo juſti potentiam agnoſcunt, ſed prudentia adjutam, ne minor utilitas damno majore compenſanda veniat. Quanta vero inde damna redundent in genus humanum, quam lubrica reddatur ejusdem felicitas, noſtrum jam non eſt disquirere. Sufficit per ea, quæ modo dicta ſunt, abunde conſtare, quam ſit neceſſaria juris theoria, ſi publica negotia ex veritate, non ex ſola quadam utilitatis fucatæ ſpecie definiri debeant.

Theoriam hanc non infelici ſucceſſu, me judice, condidit Autor. Doctrina enim, quam proponit, neque ab uſu remota eſt, neque a ratione aliena. Solerti ſtudio eam conquiſivit ex dictis factisque veterum. Cum enim per multa ſecula ſteterint regna,

gna, vix fieri potuit, quin casu sese obtulerint, quæ ex usu sunt, levi acumine observanda. Et quoniam Philosophi veteres, immo etiam Oratores & Poëtæ de his ipsis, quæ casus ita obtulit & in quæ ipsa rerum exigentia acumen ad negotia humana animum advertentium attraxit, judicium suum interposituri in rationem eorum inquisiverunt; cum eam in ideis rerum præsentium obviam perspicere multo facilius sit, quam veritatem adhuc latentem a priori eruere, quin probatam doctrinam a spuria separare potuerint dubitandum non est, utut in enunciando non fuerint adeo felices, ne vel plura subinde vel pauciora dixerint: a quo vitio quinam immunes fuerint præter Geometras, ego quidem novi neminem. Non igitur vitio vertendum Autori, quod testimoniis & factis veterum tantum tribuat. Absit tamen, ut quis sibi persuadeat, Autorem doctrinam tam arduam a sola autoritate suspendisse. Quod enim ipsemet monet lectorem, primum sibi curam hanc fuisse, ut eorum, quæ ad jus naturæ pertinent, probationes referret ad notiones quasdam tam certas, ut eas nemo negare possit, nisi ubi vim inferat, id ex vero dictum deprehendi, ubi singula ad rigidissimum examen revocavi. Etsi more hactenus omnibus recepto, antequam nos de accuratiori disciplinas tradendi methodo cogitaremus, rationes magis indicaverit, quam evolverit, immo sæpius sine ulla ratione attulerit, quæ ex iisdem cum ceteris principiis fluunt; ubi tamen quis fuerit in rationibus evolvendis artifex, quam sint doctrinæ Autoris inter se connexæ, si pauca quædam exceperis, & ex notionibus evidentibus deducantur, ipso opere deprehendet. Ego sane eas observavi tales, ut in systema veri nominis facile redigi possint. Immo ubi operibus metaphysicis ad finem perductis opus completum Juris naturæ & gentium nostra methodo digestum daturi sumus; quantus sit doctrinæ Grotianæ cum principiis nostris philosophicis consensus, & quam sint inter se connexæ liquido constabit. Quamobrem cum juvenes præclari ingenii, qui cum omnem Matheseos, Philosophiæ ac Juris civilis atque Canonici campum emensi essent, a me peterent, ut Grotianum opus ipsis interpretarer, ea quidem lege; ut singula revocarentur ad propositiones determinatas & ex notione subjecti beneficio principiorum

philoſophiæ noſtræ ratiocinando colligeretur prædicatum; eorum deſiderio ſatisfacere nullus dubitavi, atque ipſorum deſiderium abſonum non fuiſſe ipſemet abunde confirmatus ſui. Is nimirum fructus eſt philoſophiæ noſtræ, quem paſſim perſpiciunt viri eruditi, quod veritati omni lucem inexpectatam affundat, ut, dum intimius pernoſcitur, ipſa ſua nuditate magis ſeſe commendet, quam ornatu verborum, quem ab Oratoribus atque Poëtis expectat.

Unde opus quoquè Grotianum noſtro lumine perfuſum magis fulget &, dum plene intelligitur, *Grotius* ipſe, Vir extra omnem controverſiam ſummus, ſe ipſo major videtur. Commentatorum erat hanc lucem affundere: enimvero etſi fuerint plurimi, qui in opus præclarum, ſolidam omnino ac probatam doctrinam continens, commentati ſunt, & quorum famæ ac meritis nihil derogatum hoc nomine velim; cum tamen doctrinas ab aliis traditas ad notiones determinatas revocare, earumque inter ſe & cum veritatibus iſtis prioribus nexum commonſtrare non potuerint, eam ad opus utiliſſimum non attulerunt operam, qua maxime indigere videbatur. Non itaque miramur, quod hodie ſint plurimi, qui tanto operi pretium ex vero ſtatuere neſciunt, & quibus *Grotius* ſe ipſo minor videtur. Ceterum non negandum non una de cauſa opus inſigne intellectu eſſe difficile, ita ut interprete opus ſit, ubi quis idem intelligere voluerit, qui rerum ideis nondum refertum habet animum, ut ipſi ſua veluti ſponte ſeſe offerant, quando verbis applicandæ. Autor ſtylo puriore uſus a receptis in Scholis Philoſophorum & ICtorum formulis abſtinet. His adeo adſueti ſubinde hærent in ſenſu verborum, ut ideo *Gronovii* notæ ſeſe vel hoc nomine ipſis commendent, quod intellectu non cuivis lectori obvia ad formulas loquendi conſuetas revocet. Notiones ipſæ, quas in futurum uſum memoria conſervari opus, per contextum ſæpius ita diffuſæ ſunt, ut ad eas pertinentes determinationes non ſine multa ingenii exercitatione inde eruantur, & haud raro in factis lateant dogmata. Experta loquimur, cum in interpretando *Grotio* ea potiſſimum nobis cura incumbat, ut ſingula, quæ ad tractanda negotia publica & diſſimiendas controverſias populorum eorundem-

rundemque Rectorum, vel ad intelligenda ſequentia uſui eſſe poſſunt, ad determinatas notiones revocemus, quales uſus requirit, ſiquidem & facilis, & certa eſſe debet earum applicatio. Qui enim communi more libros communi methodo conſcriptos, qua etiam Autor noſter uſus eſt, perlegunt, hoc unice contenti, quod verba Autorum intelligere ſibi videantur & a lectione recedentes, quæ legerint, aliis recenſere valeant; eorum animis nonniſi confuſæ rerum ingenerantur notiones, quæ applicationem dogmatum ad facta & difficilem, & dubiam, & lubricam reddunt. Hinc etiam videas, ut multa ac diuturna lectione nunquam conſequantur, quod noſtra methodo, cujus præſtantiam nunc paſſim agnoſcunt & viri eruditi, & juvenes ad diſciplinarum ambitum comprehendendum animum appellentes, primo ſtatim labore conſequi datur. Opus *Grotianum* uſui aptaſſent commentatores, ſi notiones determinatas in contextu latentes eruiſſent ac determinate quoque enunciaſſent, utut veritatem earum ex ipſis earundem viſceribus demonſtrare haud potuiſſent. Monet Autor in Prolegomenis, ſe uſum eſſe genere dicendi, quantum potuit, conciſo & docenti conveniente, ut tanquam in uno conſpectu habeant, qui negotia publica tractant, & quæ incidere ſolent controverſiarum genera & principia, unde dijudicari poſſunt: enimvero huic fini magis conducit notionum, quibus principia iſta continentur, præciſa determinatio & non minus accurata enunciatio, ita ut ſingulis determinationibus notionem ingredientibus ſingula reſpondeant vocabula in ſignificatu proprio vel per legitimas terminorum definitiones, vel per ideas obvias lectori admodum familiari. Non major difficultas ſeſe offert in rationibus eorum, quæ docentur, pericrutandis, ut eorundem perſpiciatur veritas. Præterquam enim quod rationes, quas affert Autor, more communi tantummodo indicentur, non evolvantur, ut noſtræ methodo adſuetis ſatisfacere poſſint, eædem haud raro in teſtimoniis, ad quæ Autor provocat, & factis, quæ narrat, veluti abſconditæ latent, ut vix ac ne vix quidem ſine acumine pervidendi abſtracta in concretis perſpiciantur, neque cujusvis ſit easdem abſtrahere, præſertim cum ſæpiſſime ad aliqua ſaltem teſtimonii adducti verba, vel ad aliquas tantummodo facti enarrati circumſtan-

tias animum advertere debeamus, ut eædem nobis haud raro jam antea notæ demum occurrant. Quodſi quis ipſo opere edoctus intelligit, quæ ſcribo; eum me ultro conſentientem habiturum eſſe confido. Quodſi vero tanto labori parem te deprehenderis, rationes ab Autore inſinuatas ſive manifeſtas, ſive latentes eſſe probas experieris. Et ubi in philoſophia noſtra fueris probe verſatus, principia *Grotiana* cum noſtris ita connecti poſſe intelliges, ut in ſyſtemate noſtro nata videantur: id quod omni veritati commune eſt, ut adeo, qui noſtra animo comprehenſa tenent, quicquid deinde legerint alibi, id omne cum iſtis connectere & ſic ſyſtema veritatum, quod habent, amplificare valeant. Sæpiſſime Autor provocat ad analogiam Juris Civilis, ſubinde etiam Canonici, quod vel hoc nomine ipſi probatur, quod conſcientiæ etiam habeat rationem, quam non reſpicit Jus civile ſola rectitudine actus externi contentum, de qua in foro ſoli fit judicium: nec imprudente conſilio. Cum enim ipſius tempore maxime eſſent, nec deſint adhuc hodie, qui ſibi perſuadent omnem Juris ambitum Jure civili Romano contineri, ita ut credulæ juvenum vacuas mentes habentium turbæ perſuadere nitantur, non dari Jus naturæ aliud, niſi quod in Inſtitutionibus & Pandectis contineatur, & præpoſtere admodum omnes Regum ac populorum controverſias ex legibus Romanis, aſſumtis interdum canonibus, definire audeant; apprime opus videbatur, ut in iis potiſſimum, quæ viri ſolis principiis Juris Romani ex uſu fori tantummodo intellectis imbuti paradoxa judicare poterant, evinceret, nihil hic ſtatui, quod non iisdem cum Jure Civili principiis generalibus nitatur, ne pro jure cerebrino venditetur, quod a Jure civili recedere putatur, vel in eodem verſati attentionem fugit: ita enim Autoris placita damnaturus in reverentiam idoli ſui peccare debebat. Praterea quoque Autor nonnunquam ex Jure civili adducit rationes: neque enim negandum eſt, tales haud paucas in ICtorum Romanorum placitis inſinuari, quod etiam Autor agnoſcit, etſi non perſpectas a communibus Juris interpretibus, penes quos, ut Autoris verba mea faciam, diu fori regnum fuit, quique *Tesmaro* noſtro judice rem Juridicam in foro eo adduxerunt, ut paucula legibus pleraque autoritatibus Doctorum

ctorum nitantur. Et bene obſervat Autor rationes iſtas ſæpe optimas eſſe ad demonſtrandum id, quod juris eſt naturæ: id quod inprimis ex vero dictum apparet, ubi juxta leges genuinæ demonſtrationis evolvuntur, quo nos etiam medio utimur ad rationes genuinas a ſpuriis ſeparandas, quas vulgo miſcent Doctores, præſertim illi, qui rationum multitudini tribuunt, quod earum robori tribuendum erat, vitio eruditorum vulgo communi, quaſi multitudo compenſet robur notione a robore hominum ſumta, quorum vis unita fortior.

Quodſi igitur ad lectionem operis *Grotiani* accedunt, qui ne terminos quidem Juris civilis ac canonici, nedum principia norunt; illis obſcura videntur, quæ alias nihil obſcuritatis habent, nec proſunt notæ *Gronovii*, ſi quando Latinius dicta ad loquendi formulas in Jure civili uſitatas revocat, ut facilius intelligi debeant. Et hactenus liquet, *Grotium* interpretari non poſſe eum, qui in Jure civili atque canonico alienus ac hoſpes eſt, multo minus ipſius mentem aſſequi poſſe eum in omnibus, qui tyrocinia in utroque Jure nondum depoſuit. Autor principiis philoſophiæ *Ariſtotelicæ* & ſcholaſticæ fuit imbutus, quibus hinc inde non modo utitur, ſed quæ etiam tacite in notiones ejus irrepſerunt, quia magna ingenia, quæ propriis meditationibus indulgent, vel inſcii animum ad ea advertunt, quæ ipſis familiaria ſunt, & vi eorum tanquam evidentia admittunt, quæ aliis animum iſtis principiis vacuum habentibus æque evidentia non videntur.

Quamobrem mentem ejus per omnia aſſecuturus philoſophiæ *Ariſtotelicæ* atque ſcholaſticæ non prorſus ignarus eſſe debet, ut ſuam in ipſius mentem quaſi transformare poſſit: id quod omnino opus eſt, ubi alterum plene intelligere volueris. Quodſi ergo illam non deguſtaveris, hinc quoque difficultates nonnunquam experieris in operis *Grotiani* lectione. Abſit autem ut ob contemtum *Ariſtotelicæ* & Scholaſticæ philoſophiæ, qui hodie inter eruditos invaluit, abjecte de Autore ſentias. Qui enim ipſimet ſcripta philoſophi evolvunt & tanta perſpicacia præditi ſunt, ut ea intelligere poſſint, de meritis ejus aliter ſtatuunt, quam vulgo faciunt, qui eadem nunquam legerunt, nec, ſi legiſſent, intelligere poterant. Cicero ſane

ne virum ſingulari ingenio & pene divino appellat & Autor noſter ob tractandi ordinem, diſtinguendi acumen & rationum pondera ei inter philoſophos principem locum tribuit. Neque ſcholaſtici ii ſunt, quos merito rideas, quemadmodum hodie faciunt multi ad carpendum alios, quam ad præclara præſtandum aptiores. Cum enim perſpicaces admodum ſint ad ea videnda, quæ in aliorum dictis reprehendi poſſunt, & cum hac perſpicacia modeſtiam ingeniis magnis familiarem jungant, rationibus inter ſe, non convitiis decertantes; ipſorum conſenſui haud immerito plurimum tribuit Autor, ut is certum veritatis indicium habeatur. Nihil ſane abſurdi apparet in iis, quæ Autor ex *Ariſtotele* atque Scholaſticis hauſit; ſed ubi ad notiones diſtinctas revocantur, ut penitus intelligantur, & ad rationis trutinam exigantur, ut evidentia reddantur, nil quicquam deprehendes, quod ſit a veritate alienum. Principium non unum ex *Ariſtotele* adducitur, quod maxime fœcundum deprehendes, ubi ex principiis deducere didiceris, quæ inde colligi poſſunt. Nec ſine acumine dicta reperies, quæ paſſim ex *Ariſtotele* citat. Difficultates hactenus enatas cum non cujusvis ſit tollere; meretur omnino opus *Grotianum*, ut eidem lux affundatur ad mentem tanti viri intimius perſpiciendam. Quamobrem nos facile adduci paſſi ſumus, ut idem in gratiam eorum, qui certam uſuque comprobatam theoriam negotiorum publicorum ſibi comparare in animo habebant, interpretarer, nec ea in re inpoſterum operam meam denegaturus ſum illis, qui tam laudabili deſiderio flagrabant. Quoniam vero tanta exemplarium copia commode haberi non poterat, quanta deſiderabatur, aut inpoſterum deſiderabitur, ideo ſuaſi bibliopolæ noſtro, ut id recuderet. Inſtituto noſtro parum conducunt notæ, quibus Autorem illuſtrare ſtuduerunt viri eruditi. Quamobrem ne pretium libri augeretur, eidem Autor fui, ut novam editionem fieri curaret, ſolis Autoris annotatis & indice locupletiſſimo inſtructam, quo maxime opus habet hoc opus. Dedit eam juxta editionem Amſtelodamenſem A. 1667. Nemo a me deſideret, ut aliorum opera notis vel commentariis illuſtrem: vix enim mihi ſufficit temporis ſpatium ad labores meos perficiendos, quos Deo annuente perficere decrevi. Et quicquid boni in opere

Grotia-

Grotiano eſt, id omne in noſtro de Jure naturæ ac gentium opere cum veritatibus ceteris, unde pendet, connexum extabit. Abſit autem, ut quis exiſtimet operi *Grotiano* hoc ipſo ademtum iri ſuum uſum. Cum enim nos principia iſta a priori ſimus demonſtraturi, quæ ab Autore teſtimoniis atque factis præſertim veterum illuſtrantur; operi *Grotiano* is uſus reſtabit, quem a teſtimoniis atque exemplis jure expectat. Quoniam teſtimonia referuntur ad ea, quæ caſus obtulit, ipſa neceſſitate, in qua conſtituebantur homines, acumen ad obvia excitante; teſtimonia rationi conformia ab uſu non abhorrere conſtat & veritatem veluti experimenta præclara firmant, ut adeo appareat, autorem ad ea provocantem non nuda autoritate ſua corroboraſſe. Præterea teſtimoniis iſtis inſunt, quæ appetitum movent, ſenſitivum quidem, quamdiu in notionibus confuſis acquieſcimus nullum illius evidentiæ ſenſum habentes, quam nos ſectamur; rationalem vero, ubi ſingula, quæ ipſis inſunt, ad rationis trutinam exacta eidem conſentanea reperiuntur, tantoque fortius, quo magis fuerit acumen ad iſtam conformitatem pervidendum. Forſan nobis alias erit occaſio dictis fidem faciendi uno alteroque exemplo. Facta notionum realitatem evincunt & adverſus præjudicia animum muniunt, quaſi ſint abortus luxuriantis imaginationis chimærarum loco habendi, quæ, quod a noſtris moribus aliena intelliguntur, ab uſu remota putantur: quod præjudicium quo eſt communius & haud raro illorum autoritate accipit robur, quorum judicio ea in re maxime ſtandum eſſe exiſtimatur, quoque magis noxium eſt vel neglectum, vel prorſus contemtum pariens eorum, quæ diſci non uno nomine intererat maxime; tanto magis e re eſſe videtur medelam commodam eidem afferri. Exempla præterea ideas exemplares de modo agendi animo inſinuant & tam excelſos animos ad incitamentum excitant, quam abjectis pudorem incutiunt, ne faciant quod dedeceat. Quod adeo in Autore vulgo perperam reprehenditur, ego probo & maximi facio, ſuo unum quodque pretio æſtimans. Magno ingenio & acumine Autor in unum volumen congeſſit, quicquid ad tractanda negotia publica proficuum, quatenus juſtitiam & æquitatem ſpectes, per volumina omnis ævi diſperſum, ita theſaurus ſapientiæ

ac prudentiæ omnis ævi in præclaro hoc opere contineatur, qui in multos usus converti poterat, modo eidem penitus intelligendo magis operam darent, qui negotiorum publicorum curam habent. Non vana spe lactor fore, ut in posterum nostra huic fini inserviant, sicque *Grotianus* quoque thesaurus in usus magis convertatur generi humano proficuos: id quod animitus opto. Dabam Marburgi Cattorum d. IX. Januar. A. O. R. M D CC XXXIV.

Num. XI.

Præfatio ad Augspurgii Jura de Dominio &c. 1739.

Jura positiva ex Jure naturæ deducenda ut justitiæ respondeant.
Methodus demonstrandi in omni cognitionis genere.
Sicut in matheſi & Philosophia.
Quia veritates sunt æternæ, & scepticismus evitandus.
Mira confusio eorum, qui de certitudine minus solliciti sunt.
Dominium & imperium esse fundamenta juris positivi.

Iura positiva, modo non ab omni ratione aliena sint ac inter se concordent, qualia Romana esse voluit D. Justinianus Imperator, non minus quam naturalia methodo demonstrativa tradi posse in Horis subsecivis docui. Recte enim Vlpianus a) observavit, jus proprium, id est, civile effici, cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, hoc est, naturali. Datur nimirum Theoria naturalis Juris civilis, in qua demonstratur, quid Juri naturali addendum, vel detrahendum sit, ut abeat in civile. Hæc Theoriæ pars quædam est Juris Naturæ & communia principia cum Jure Gentium arbitrario habet, etsi hactenus inculta & deserta jacuerit. Constituet partem aliquam systematis Juris Naturæ methodo scientifica a nobis adornandi, cujus pars prima propediem luci publicæ exponetur. Quodsi ergo Jus Naturæ universum fuerit demonstratum, ex eo vi theoriæ illius deducere licebit leges positivas Statui Reip. dato consentaneas. Et ubi idem moliri libet quo-

a) l. 6. ff. de J. & J.

quoad Jus Romanum, non modo patebit, quænam leges ſint rationi conſentaneæ, quænam ab eadem diſcedant; verum etiam dilucide conſtabit, utrum omnes inter ſe concordent, an vero quædam in iſto Jure dentur antinomiæ. Immo hinc etiam eluceſcet, quænam leges in gratiam cererarum ſint immutandæ & quomodo immutari debeant, ut una ſit concordia, nec minus evidens erit, quænam ſint Statui Romano propriæ, noſtro autem minime conveniant. De veritate eorum, quæ dixi, nemo dubitare poteſt, niſi qui ignorat, quænam ſit vis methodi demonſtrativæ. Vtilitatem vero hujus methodi ad Jura enodanda translatæ ultro concedere tenetur, qui de veritate non amplius dubitat. Si quis ea, quæ in Horis ſubſecivis uberius expoſui, attenta & a præjudiciis liberæ mente perlegerit, de veritate cur dubitet non habebit.

Etſi autem non deſint, qui methodi demonſtrativæ utilitatem etiam in Jure agnoſcunt, reperiuntur tamen qui ſibi aliisque perſuadere conantur, quaſi ea in Jure nullius ſit utilitatis aut, ſi qui liberaliores fuerint, tyronibus eam convenire concedunt, viros autem eadem minime indigere opinantur. Aſt hi omnes ſatis ſuperque produnt methodi hujus ignorantiam, quæ ſi ipſis perſpecta eſſet, fieri haud quaquam poterat, ut tam abſonas de eadem foverent opiniones. Methodi demonſtrativæ leges ſupremæ hæ ſunt. Res omnes de quibus agendum, accurata definitione ſunt explicandæ. Accurata autem cenſetur, quæ tot præciſe continet notas, quot rebus definitis, quotieſcunque obviæ ſunt, agnoſcendis & ab aliis diſtinguendis ſufficiunt. Deinde ſingula, quæ de re aliqua affirmantur, determinata propoſitione ſunt efferenda. Determinata autem eſt propoſitio, in qua ſubjectum ſub ea repræſentatur notione, vi cujus ipſi competit prædicatum. Denique veritas propoſitionis cujuslibet demonſtranda. Demonſtratur autem propoſitio, ſi ex notione ſubjecti concatenatis ratiociniis colligitur prædicatum, & ratiocinia non modo rite ſeſe habeant quoad formam, ne in regulas a Logicis præſcriptas impingant, verum etiam quoad materiam, ut nulla utaris præmiſſa, niſi jam antea demonſtrata, aut inter notiones communes referenda, adeoque ſine probatione a nemine non concedenda. Tota itaque methodus demonſtrativa

non consistit nisi in applicatione genuinæ Logicæ, quæ non alio fine addiscitur, quam ut veritatem certo cognoscas. Quamobrem ubi nobis curæ cordique est veritatem cognoscere, ibi hac methodo utendum. A vero igitur aberrant, qui eam nonnisi Matheſi convenire, aut ad summum ultra Philosophiæ limites non extendi opinantur. Etenim num solis Mathematicis ac Philosophis convenit veritatem certo cognoscere, cæteris vero perinde est, sive veritatem cognoscant, sive errorem pro eadem amplectantur? Nemo puto hoc asseveraverit. Concedendum itaque est, methodum demonstrativam in omni cognitionis genere esse adhibendam, nec sine ea in ullo ad metam perveniri. Primi fuere Mathematici, qui hac methodo usi veritatem liquidam assecuti sunt.

Non tamen hinc concluditur, eam Matheſi propriam esse. Cœpimus nos eadem methodo philosophari. Non tamen hinc recte infertur, quod ultra Philosophiam extentenda non sit, nec extendi possit. Quodsi nec Mathematici eadem hodienum uterentur, nec nos ad philosophandum eandem adhiberemus; hoc tamen non obstante in salvo esset ipsius universalitas. Inter veritates æternas referri debet, quod absque methodo demonstrativa in nullo scientiarum genere ad certam veritatis cognitionem pertingere possimus. Et siquidem Mathematici eandem huc usque neglexissent, nec ipsis indubitata foret rerum mathematicarum cognitio, sed ea potius in Matheſi regnaret incertitudo, quæ ad scepticismum ducit acutiores. Si quis contendat, alia quoque methodo, quam demonstrativa nos veritatis convinci posse; quænam ea sit doceat.

Quodsi diversa esse debet a demonstrativa, oppositas habere debet leges. Ergo res, de quibus agendum, aut prorsus nulla, aut saltem definitione minus accurata sunt explicandæ. Si nulla definitione explicantur, notionibus confusis contenti esse debemus. Enimvero quoniam per confusas notiones, præsertim si non satis determinatæ fuerint, diversa facile habentur pro iisdem; in rebus agnoscendis & a se invicem distinguendis facile committitur error, consequenter eas ad alienam speciem, vel alienum genus reducimus. Accedit quod ex confusis notionibus ratiocinando nihil colligi possit; unde rationes reddituri confugiunt ad extrinsecas,

ſecas, quæ ultra probabilitatis quendam gradum non aſcendunt, haud raro nihil prorſus probant! Si definitiones non fuerint accuratæ, multis peccari poteſt modis, quemadmodum in opere logico prolixe docuimus. Qualicunque vero vitio laboraverint, non eum præſtant uſum quem habere debent, ſcilicet ut per eas citra fallaciam & citra omnes ambages ad ſpeciem ſuam vel genus ſuum res reducantur. Porro ſi diverſa eſſe debet methodus a demonſtrativa, propoſitiones non exigit determinatas, ſed vagas admittit. In vagis propoſitionibus ſubjectum non præciſe repræſentatur ſub ea notione, ſub qua ipſi competit prædicatum, ut notione ſubjecti poſita ponatur etiam prædicatum. Quamobrem aut ita enunciantur, ut non pateat, quandonam prædicatum tribui debeat ſubjecto, aut ſubjectum inſufficienter determinatur, ut non per ea ſola, quæ de eodem ſumuntur, ipſi conveniat prædicatum. Nemini ignotum eſſe poteſt, qui ad propoſitionum applicationem animum attendit, ſi vel maxime in Logica veriori non fuerit verſatus, ubi propoſitio applicanda venit, ante oſtendendum eſſe, objecto præſenti ineſſe ea qua de ſubjecto ſumuntur, ſeu in ejus notione continentur, quam ipſi tribui queat prædicatum. Quodſi ergo propoſitiones fuerint vagæ, fieri haud quaquam poteſt, ut in iis applicandis errorem evites. Non nego vulgo vel deeſſe definitiones, vel dari non ſatis exactas, ac propoſitiones admitti vagas. Enimvero hinc illæ lachrymæ! Hinc iſtæ querelæ, quod tam erronea, tam diſcrepantia de eadem re ſint hominum judicia, ut alias ſilentio prætereamus. Denique methodus a demonſtrativa diverſa alias admittit probationes, quam demonſtrationes. Quamobrem neceſſe non eſt, ut nullum ſumatur principium, quod non ante fuerit ſufficienter probatum, nec opus eſt, ut legitimorum ratiociniorum concatenato nexu ex notione ſubjecti colligatur prædicatum. Enimvero qui vel primis labris elementa Euclidis deguſtavit, ei perſpectum eſt, hanc eſſe rationem, quod doctrinis Euclidis inſit omnis evidentia, in ceteris omnia ſint ſubjecta ac dubia, quod ibi occurrant demonſtrationes exactæ, tales vero alibi deſiderentur. Immo per principia verioris Logicæ patet, probationem nullam poſſe eſſe certam, niſi quæ nomen demonſtrationis tuetur. Hactenus dicta ſi

perpendis, ſponte ſua cadit objectio, quaſi tyronibus ſaltem, non viris conveniat methodus demonſtrativa. Anne enim viris aliæ ſunt facultates animæ, quam tyronibus, quas natura homini ad cognoſcendum ea, quæ ſunt, vel eſſe poſſunt, conceſſit? An alius eſt earundem uſus, quam quem in Logica demonſtratum dedimus? Non aliter mihi ſentire videntur, qui hoc ſibi perſuadent, quam ſi affirmarent, viros non pedibus incedere, quemadmodum pueri, aut ſaltem pedes, non movere eodem modo, quo pueri facere ſolent. Oppido quoque falluntur, qui opinantur Euclidem elementa ſua nonniſi tyronibus ſcripſiſſe, ac ideo demonſtrativa methodo uſum fuiſſe. Continentur in Elementis Euclidis, quæ etiam viris negotium faceſſunt. Elementa vocavit Euclides, quæ de Matheſi tradidit, quia ex doctrinis ejus tamquam principiis deducenda ſunt, quæcunque in omni Matheſi cognoſci poſſunt, quemadmodum natura multiplici mixtione elementorum omnia producit corpora in toto hoc mundo adſpectabili obvia. Sed non opus eſt in re manifeſta plura dici. Laudandi omnino ſunt, qui exemplo noſtro non modo in Philoſophia, verum etiam in omni alio doctrinarum genere methodo demonſtrativa utuntur. Et ſi vel maxime contingat, non omnes in ea applicanda eſſe adeo accuratos, ut nihil deſiderari poſſit; laudandus tamen eſt eorum conatus. Sequentur enim alii, qui defectus, ſi qui adhuc notentur, ſupplebunt & quæ lima adhuc indigent, emendabunt. Quamobrem commendamus maxime illorum inſtitutum, qui Jura quoque methodo demonſtrativa ad certitudinem revocare ſtudent.

Si a juribus naturalibus homini conatis diſceſſeris, duo imprimis ſunt Jura acquiſita primaria, quæ & hypothetica, dici ſolent, Dominium ſcilicet & Imperium. Ex illo fluunt Jura omnia privata, ex hoc publica. Clariſſime hoc oſtendemus in ſyſtemate noſtro de Jure naturæ & Gentium. Operæ itaque pretium fecit Conſultiſſimus Autor, quod Jura de dominio pactisque domini acquiſitivis ad methodum ſcientificam revocare ſtuduerit. Neque dubitamus fore ut, qui commentationem ejus attenta mente perlecturi ſunt, multiplicem inde percipiant fructum. Dabam Marburgi Cattorum d. 31. Dec. A. 1739.

Num. XII.

Num. XII.

Præfatio ad Dn. Stibrizii Philoſophiam Wolfianam contractam 1744.

Uſus hujus philoſophiæ in quavis ſcientia

Inde propoſitiones absque demonſtrationibus & ſcholiis, more quondam Merſenni, hic in compendium redactio.

Poſtquam Philoſophiam methodo demonſtrativa tradere aggreſſi ſumus, ſtatim animadverterunt plurimi, quantum interſit noſtro, & communi more philoſophari. Perplacuit, quod in operibus noſtris deprehenderent definitiones terminorum perſpicuas & propoſitiones determinatas, quibus ad ratiocinandum diſtincte & accurate opus habemus, & quas ſolas in futurum vſum memoriæ fideli mandare tenemur, ut didicerimus, quæ per omnem vitam uſui ſunt. Facile enim præviderunt, hoc modo Philoſophiam lucem præferre in omnibus negotiis humanis, ne in tenebris dubiis pedibus tentantes labent, & in facultatibus, quas dicere ſolemus, ſuperioribus eodem munere fungi, quod ſol exequitur in orbe terrarum. Nemo arroganter dictum exiſtimet, quod veriſſime dicitur, & unusquisque de ſe experiri poteſt, niſi nimis longum ac difficile videatur experimentis duci ad conſentiendum. Non mea res agitur, cum ab iſta temeritate quam longiſſime ſim remotus, ut per imprudentiam mihi tribuam, quæ Philoſophiæ ſunt, illius muneris, quo nihil præſtantius a Deo datum eſt hominibus. Placuit præterea ſolertioribus & acutioribus, quod, ſi noſtro more philoſophentur, non fluctuante animo imbibant opiniones fallaces & haud raro diſcordes, ſed aſſenſus lubricos potius ſuſtineant, donec veritatem in apricum productam funditus perſpiciant. Placuit denique excelſis ingeniis, quod, qui noſtro more philoſophantur, in mundum rationalem ingrediantur, in quo pulcherrimum veritatum univerſalium nexum, quem oculis non poſſunt, animo contemplantur. Quamvis vero nobis propoſitum minime fuit, in medium afferre ea omnia, quæ ex principiis a nobis

nobis demonſtratis deducere porro poteramus, multo minus in iis eruendis deſudare, quæ procul ab iis remota ſunt; ſed intra eos terminos nos continuimus, quos præfixit uſus a nobis intentus, cum his, quæ dedimus, magis ardua & abſcondita aliorum induſtriæ reliquerimus abunde contenti a nobis ad eadem patefactum eſſe aditum, qui non per invidentiam ad pompam, ſed per ingenuitatem ad generis humani utilitatem philoſophamur; non tamen evitare potuimus, quo minus ſyſtema, quod condimus, & quod in immenſum diffundi per ſe aptum eſt, in opus magnum abiret, præſertim cum nobis danda eſſet opera, ne demonſtrationibus parum adſueti, earum vim minime perciperent, aut difficultate eam percipiendi deterrerentur, ſiquidem conciſiores dare voluiſſemus, ac præterea conſultum nobis viſum fuerit ubivis ea annotari, quæ vel majorem lucem dictis affundere, vel eorum uſum inſinuare, vel ad altiora viam commonſtrare poterant. Quamvis adeo parum juſtæ ſint illorum querelæ, qui operis prolixitatem accuſant, cum ſuperflua in eodem contineri oſtendere haud quaquam poſſint; non tamen improbandum eſt eorum deſiderium, qui, cum opus integrum ſibi comparare vel non poſſint, vel quibus otium non eſt ad idem perlegendum, in votis habent, ut Syſtema contrahatur, ne ejus notitia ac uſu deſtituantur. Non deerant itaque, quibus non inutile videbatur, ſi tantummodo definitiones ac propoſitiones excerperentur, omiſſis demonſtrationibus ac ſcholiis, quod exiſtimarent præſtare utique, ut quis hiſtorica ſaltem cognitione veritatum in omni vita adeo utilium, & quæ non ſine detrimento in Facultatibus ſuperioribus ignorantur, imbutum habeat animum, quam ut earundem prorſus ſit ignarus, quemadmodum *Merſennus* definitiones ac propoſitiones ex ſcriptis veterum Geometrarum ſine demonſtrationibus congeſſit. Hunc laborem profuturum quoque putabant ei, qui propoſitiones, quarum veritatem vi demonſtrationum percepit, memoriæ crebra repetitione imprimere voluerit. Immo & ſi quis in demonſtrationibus citatas definitiones ac propoſitiones evolvere voluerit, minori labore ac moleſtia easdem in libro uno, quam in multis evolvi poſſe judicabant. Enimvero etſi in applicandis propoſitionibus nullum habeant uſum demonſtrationes,

quippe

quippe quibus tantummodo de earum veritate convincimur, ut adeo ad recte ratiocinandum iisdem commode utatur, qui eas saltem memoria comprehensas tenet, quemadmodum in praxi geometrica utitur propositionibus *Euclideis*, qui earum demonstrationes nescit; negari tamen non potest, multo utiliorem operam sumi in ipso systemate cognoscendo, in quo veritates inter se concatenatæ exhibentur, ut earum mutua a se invicem dependentia agnoscatur, præsertim cum hoc studio simul habitus demonstrandi acquiratur: id quod ad rectam & promtam veritatum applicationem haud parum conducit. Magis itaque probandum est consilium Collegæ nostri conjunctissimi, cl. *Striebritzii*, viri longe doctissimi, quod de Systemate nostro contrahendo cepit. Non opus est, ut de eo dicam, cum ipse idem omnium optime aperire possit. Mihi sufficit monuisse, quod vir veritatis amantissimus & in ea propaganda studiosissimus, quemadmodum omni eruditionis genere excellit, ita etiam Philosophiæ nostræ Systema, si quis alius, intime perspexit, ut in eo contrahendo operam utiliter ponere potuerit. Faxit Deus, ut veritas indies magis propagetur, & genus humanum eam consequatur felicitatem, quam sine veritatis agnitione consequi haud datur! Halæ die sexta Aprilis A. O. R. MDCCXLIV.

No. XIII.

Præfatio ad Bernsau Theologiam Dogmaticam Pars I. 1745.

Demonstrationis methodus in theologia revelata, ad supplenda, quæ in Horis Marburgensibus Autor docuit.
Inconsultas allegationes ad probanda proprii animi sensa taxat.
Bernsavium in genuinum sensum scripturæ inquisivisse testatur.

Methodum demonstrativam, quæ nonnisi Logicæ accurata applicatio est, & recto usu operationum intellectus exercetur, ad theologiam quoque revelatam transferri posse, in Horis subsecivis Marburgensibus monuimus, ibidemque ostendere

cœpimus, quænam obſervanda ſint, ut in tam arduo negotio nos ſatis cautos ac circumſpectos præbeamus; reliqua, quæ adhuc deſiderantur, addituri, ſiquidem eas continuandi otium nobis ſuperfuiſſet. In Theologia revelata doceri debet, quidnam in ſcriptura ſacra de Deo ejusque decretis ac eorundem executione tradatur. Atque adeo dicta ſcripturæ principia ſunt, ex quibus ſingula demonſtranda veniunt, nec ſine iis quicquam dicendum. Verba autem ſcripturæ revocanda ſunt ad notiones diſtinctas, quas per ea indigitare voluerunt Autores ſacri, neque enim niſi ex diſtinctis notionibus procedit demonſtratio. Demonſtrandum vero etiam eſt, notiones iſtas eſſe menti Autorum ſacrorum conformes, ne ſenſum alienum inferas, conſequenter principia ſumas, quæ perperam pro iis venditantur, quæ ſcriptura ſacra ſuggerit. Atque hac in re haud raro peccant interpretes ſcripturæ, multoque frequentius oratores ſacri, qui, quæ memoria de rebus ſuggerit, verbis ſcripturæ accommodant, ſuaque cogitata Autoribus ſacris tribuunt, quaſi ipſorum ore loquerentur, dum ſuo loquuntur. Evenit hoc modo, ut, qui rationis infenſiſſimi hoſtes ſunt, non tamen alia proferant, quam quæ rationi conſentanea ipſis videntur. Et quamvis recte omnino damnent ſententiam iſtam, quam integro tractatu adſtruere conatus eſt quidam ſpinoſæ diſcipulus, quaſi ratio ſcripturæ ſacræ interpres eſſe debeat; incauti tamen ipſimet ſenſum ſcripturæ rationis ſuæ modulo metiuntur. Enimvero ut metam pertingas, ad quam hic contendendum; verſionibus non inhærendum, ſed ipſi fontes ſunt adeundi: qui enim verſiones dederunt, in reddendis vocabulis non fuerunt admodum ſcrupuloſi, quemadmodum requiritur, ſiquidem mentem autorum ſacrorum ex aſſe aſſequi volueris, & præſens inprimis inſtitutum urget, ubi ex verbis ſcripturæ eruendum, quid de Deo & ejus operibus doceat; & quidnam ſcriptura magiſtra pro vero ſit habendum. In eruendis notionibus menti Autorum ſacrorum conformibus utendum omnino eſt Philoſophiæ principiis, aut ſi mavis, rationis, cum ſine iis illarum cum mente loquentium conformitatem demonſtrare haud quaquam detur. Notiones iſtæ diſtinctæ, quæ verbis ſcripturæ reſpondent, principia fœcunda ſunt, ex quibus tamquam ſeminibus naſcuntur veri-

veritates aliæ, inde porro legitimo ratiociniorum nexu deducendæ. Ratiocinia ſupponunt principia. In horum vero numero non modo ſunt veritates revelatæ, quæ notionibus inſunt vocabulis ſcripturæ reſpondentibus, verum etiam principia rationis ex veriori Philoſophia petenda, cum extra omnem controverſiam poſitum ſit, revelationem, quamvis in multis ſphæram rationis tranſcendat, eidem tamen minime contradicere. Non puto, quenquam fore, quem dicta offendant: dudum enim Theologi, quorum nomen orthodoxia commendant, integros Tractatus de uſu principiorum Philoſophiæ in Theologia conſcripſerunt, & ſi qui fuerint hebetiores, quam ut eundem caperent, quid rationi acceptum ferri debeat, quid ſcripturæ, non ſatis internoſcere potuerunt, mentem præpeditam habentes veſano quodam odio Philoſophiæ, cujus nihil intelligunt. Poſtquam ego Philoſophiam methodo demonſtrativa in ſyſtema veri nominis redigere cœpi; non defuerunt alii, qui inſtitutum hoc imitati ſunt in Jurisprudentia & ipſa quoque Theologia revelata. Quamvis vero non ſemper conatibus reſponderit ſucceſſus; eorum tamen laudanda eſt voluntas: etenim in magnis & voluiſſe ſat eſt. Immo ſi quæ ab aliis minus recte facta ſunt; ea prodeſſe poſſunt aliis, ut rectius faciant: neque enim inſolens eſt, ut aliorum aberrationes monſtrent viam rectam, qua eundum. Abſit adeo, ut frivolis cenſuris eos vexemus, quorum in nonnullis defecerunt conatus; quin potius operam demus, ut emendanda emendemus, quæ a nobis nondum perfecta ſunt aliis perficiendis relicturi. Has ergo mores convenire exiſtimo civibus Reip. literariæ, quorum eſt mutuis auxiliis promovere ſcientiæ incrementa ad communem generis humani utilitatem. Ego doctoribus accenſeo etiam eos, ex quorum errore rectius ſapere didici, honorem iisdem habeo eosque amo beneficium ejus me habere reputans, qui quocunque modo ad veritatis cognitionem, qua imbutus eſt animus meus concurrit: ingrati autem animi, quem odio Vatiniano conſtanter odi, non fallax indicium eſt non agnoſcere, a quibus didiceris.

Facile mihi perſuadeo, Cl. Autorem, qui Theologiam dogmaticam methodo demonſtrativa tradere aggreſſus eſt, in hiſce

mecum consentire. Videtur mihi a recto tramite, quo incedendum, minime aberrasse. Operam enim dedit, ut, cum Theologiam revelatam tradere velit, eandem cum naturali minime confundat, ex principiis rationis demonstrando, quæ ex dictis scripturæ demonstranda sunt. Ubivis enim locum aliquem scripturæ non sine selectu sumit, ex quo tamquam principio demonstret, quod de Deo affirmandum. In seligendis vero scripturæ locis non versiones sequitur, sed ipsum textum authenticum tam veteris, quam novi fœderis. Significatum vocabulorum, qui ad distinctas notiones revocandus, non sumit, sed scrutatur & determinat. In demonstrando principiis utitur philosophicis, sicubi opus est, nec ea precario sumit, sed ex operibus nostris citat, in quibus eadem demonstrata sunt. Neque enim solum doctrinam ex ore meo hausit, cum Marburgi docerem, verum etiam postea in legendis operibus latino sermone conscriptis assiduus fuit. Facultates superiores, quæ dici solent, Philosophiam supponunt, sine qua in iis nil penitus intelligitur, haud raro excutiunt, qui lyncei sibi videntur. Systema igitur doctrinarum ad Facultatem aliquam superiorem spectantium adornare minime licet, nisi supponas systema Philosophiæ, cum quo connectatur, quemadmodum Mathematicorum scripta ad partes Matheseos mixtæ spectantia cum Elementis Euclidis connectuntur. Hæc ratio utique fuit, cur Cl. Autor systema suum Theologiæ dogmaticæ cum systemate nostro philosophico connectere voluerit, principiis philosophicis, quibus ad demonstrandum opus habuit, inde petitis. Quodsi idem eadem industria systema integrum absolverit; nulli dubitamus, quin abunde satisfacturus sit desiderio illorum, qui veritates divinitus revelatas intimius perspicere gestiunt; nec dubitamus fore, ut ejus exemplo discant alii ad Theologiæ studium animum appellentes, qua via sit eundum, ut doctrinam solidam assequantur. Halæ d. 23. April 1745.

No.

Num. XIV.

Programma de neceſſitate methodi ſcientificæ & genuino uſu juris naturæ ac gentium, quo lectiones ſuas in Fridericiana in poſterum habendas intimat 1741.

Initium lectionum Perill. Autoris Halam redeuntis.

Nemo eſt qui neſciat, Potentiſſimum Boruſſiæ Regem, Dominum noſtrum longe clementiſſimum, quam primum ſolium conſcenderet, haud poſtremam habuiſſe curam ſcientiarum in terris ſuis propagandarum. Cum enim ipſemet rariſſimo, immo inaudito prorſus exemplo omni ſcientiarum genere excellat; funditus etiam perſpexit, quantum interſit Reip., ut Mars & Minerva inter ſe arctiſſimo amoris vinculo copulentur & conjugali quaſi fœdere jungantur mutuo auxilio Remp. beatam ac ſalvam conſervaturi. Eo conſilio Rex ſapientiſſimus altero ſtatim auſpicati regiminis die de me in terras ſuas revocando cogitavit, qui multis jam annis ante libros a me editos ea attentione legerat, quam ad eosdem legendos plurimi eruditorum afferre vel noluerant, vel non poterant, ſingulaque in iis contenta eo acumine diſcreverat, quod in illis deſiderabatur. Quamprimum tanti Principis, quem dudum venerabunda mente colebam, propenſiſſima erga me voluntas mihi innoteſceret; fieri profecto haud quaquam potuit, quin pronus eſſem ad voluntatem meam voluntati regiæ ſubmittendam, cum non modo per omnem ætatem curam ac cogitationem omnem in ſolidam rerum divinarum humanarumque cognitionem propagandam contulerim; verum etiam probe intelligerem, Regi de humano genere ad certam ac utilem rerum cognitionem perducendo tam ſollicito, naturali protimiſeos jure deberi omnes, quorum opera ad finem adeo præclarum conſequendum prodeſſe poteſt. Aſt diffiteri minime poſſum plurimas ſtatim animo meo ſuccurriſſe rationes, quæ eundem dubium ac perplexum reddebant, ut, quid

de me ſtatuerem, reperire minime poſſem. Ea erat Marburgi rei meæ familiaris ratio, ut vel inſolita munificentia alibi vix ac ne vix quidem in melius mutari poſſe videretur. Regis Sueciæ, Domini tunc mei indulgentiſſimi, & magni Principis ejusdem in terris hæreditariis Vicarii ſingulari prorſus fruebar gratia. Sub eorum protectione per tot annos otio tranquillo fueram uſus, ut ſcientiis longe lateque diffundendis absque ullo impedimento vacare daretur. Collegis utebar Theologis, viris cordatis & pacificis, æquis rerum arbitris: quod quantum ſit Philoſopho beneficium Numinis providi, nemo me melius noverat. Gratus in Domum Haſſiacam animus, quem quoad vixero, nunquam depoſiturus ſum, omnem cogitationem de domicilio transferendo avertebat. Divinæ igitur providentiæ me totum commiſi, nihil certi ipſemet decreturus, cui non minus durum videbatur præſente gratia non diutius frui, quam noviter oblatæ non participem fieri debere. Ecce igitur tibi, quomodo tandem ex his animi fluctibus nihil quaſi agendo emerſerim! Scripſit Rex Boruſſiæ, Dominus nunc meus clementiſſimus, ad Regem Sueciæ, Dominum tunc meum clementiſſimum, & conſilium ſuum de me Halam revocando aperuit. Etſi autem Rex Sueciæ me ſuum potius, quam alterius eſſe mallet; ex ſingulari tamen amore erga Regem Boruſſiæ, nec niſi gratificandi ſtudio clementiſſime mihi indulſit, ut conditionem oblatam acceptarem, meque ſumma cum gratia dimiſit ſingularibus documentis comprobata, cum abitum pararem: quorum perinde ac ceterorum beneficiorum per integros ſeptemdecim annos in me largiter collatorum memoria nunquam animo meo excidet. De voluntate igitur divina prorſus certus Halam redii, qui Marburgi vitam finire conſtitueram, omnem curam cogitationemque meam nunc eo convertens, quomodo exſpectationi Regis ſatisfaciam. Contulit in me Rex benigniſſimus munus Cancellarii Academiæ Fridericianæ vicarium, ut, quoties vir ſummus abſens eſt, vel morbo aut alia quacunque de cauſa impeditur, vicem ejus ſubeam. Conſtituit me Profeſſorem Juris Naturæ & Gentium atque Matheſeos: indulſit privilegium docendi, quodcunque e re ſtudioſæ juventutis viſum fuerit, ut omnium deſideriis ſatisfacere valeam, quotquot doctrinæ ſolidæ haurien-

hauriendæ gratia ad celeberrimam hanc Musarum sedem confluere voluerint. Quid igitur a me expectandum sit, publice significare debui. Puto me satisfacturum expectationi omnium, ubi intentioni regiæ satisfecero. Placet Regi solida, quam profitemur, doctrina in omni scientiarum genere: probatur methodus, qua eam tradimus. Hisce motivis permotus, proprio motu, non alieno instinctu, me ad publicum docendi munus in Fridericianam suam revocavit. Mihi igitur incumbit, ut philosophiam universam, quæ sola hominem rationalem facit, perspicue & acurate exponam; ut vastum Juris Naturæ ac Gentium campum longe latius patentem, quam vulgo creditur, emetiar & juri omni reliquo facem præferam; ut denique ad exasciatam Matheseos & intimiorem genuinæ methodi cognitionem scientiæ cupidos perducam. Quantum distet Philosophia nostra ab ea, quæ alias in scholis docebatur, nemo ignorat, qui, quæ hactenus publici juris fecimus, attenta mente discendique animo perlegit. Quam Juris Naturæ & Gentium ideam animo conceperimus, ex primo Juris Naturæ volumine hactenus in lucem edito, eidemque præmissa præfatione conjectare licet. Qua facilitate ac perspicuitate tradamus Matheſin universam, dudum agnovere, quotquot ex Elementis nostris sapere voluerunt. Qua methodo utamur in enodandis iis, quæ intellectu humano pervestigari possunt, opera nostra tam mathematica, quam philosophica loquuntur. Quem igitur fructum sibi polliceri debeant, qui studiorum gratia in Fridericiana commoraturi Lectionibus nostris intererunt, me tacente intelligitur. Ego nullus dubito fore, ut, sive quis ad Theologiam, sive ad Jurisprudentiam, sive ad Medicinam tractandam animum appellat, ceteris oculatior & eruditior evadat, nec nisi solida doctrina imbutus & virtute infucata veraque honestate ornatus in patriam redeat, ubi in doctrinis nostris avide hauriendis omnem adhibuerit diligentiam. Monui jam alias, in methodo potissimum quærendam esse differentiam Philosophiæ nostræ a reliqua, etsi quoque haud quaquam fieri potuerit, ut hac methodo usi inciderimus in multa aliis non animadversa, alia vero altius scrutati fuerimus. Enimvero non adeo facile est veræ methodi legibus cognitionem humanam adstringere, quem-

admodum

admodum multis videtur, nisi externa saltem specie tibi & aliis imponere velis, nubem pro Junone amplexus. Non omnes methodo scientifica utuntur, qui citationibus & definitionum, axiomatum, theorematum, problematum, corollariorum & scholiorum titulis ludunt: quos lusus non inepte crepundia eruditorum dixit Perillustris Cancellarius noster veræ methodi, quæ sola scientiam parit, nec osorem habet nisi ignorantem, minime osor. Exigit vera methodus istiusmodi definitiones, per quas definitum ita determinatur, ut cetera, quæ eidem necessario conveniunt, ex iis demonstrari possint tanquam ex assumtis. Exigit propositiones, in quibus subjectum ita determinatur, ut ex iis, quæ de eodem sumuntur, demonstrari possit, prædicatum eidem convenire. Exigit denique demonstrationes, quæ legitimorum ratiociniorum continua concatenatione ex iis, quæ de subjecto sumuntur, tandem colligit prædicatum, nec admittit præmissas ingredi ratiocinia, nisi in anterioribus evictas, ideo inde citandas. Quodsi hoc lapide Lydio examinare volueris demonstrationes prætensas, genuinas a spuriis separabis, modo non audeas examen, quod viribus tuis impar. Equidem non ignoro esse aliquos, qui, cum in Mathesi nulla attentione ad methodum ejusque vim facta versati satis acuti sibi videantur ad quævis alia fugitivo oculo pervidenda, methodi, qua philosophamur, prolixitatem accusant, etsi a se impetrare non potuerint, ut opera nostra perlegerent, multo minus ad ea legenda eandem attentionem attulerint, quam in Elementis Euclidis addiscendis adhibuerunt, propterea quod sibi jam satis videntur philosophi, ubi animum notionibus quibusdam, quæ, quantum ad intelligendum sufficit, paucis pagellis exponi possunt, refertum habent; eorum tamen in præsenti judicium tanquam temerarium non moror, quam sit præcipitatum alibi ex instituto ostendam. Qui prolixitatem nostram ferre nequeunt, eandem in *Euclide* reprehendere debent: quod quam sit absonum Geometriæ tyrones minime fugit. Si nullæ dantur definitiones, nisi quarum in demonstrando usus est, si demonstrationibus non insunt ratiocinia, nisi quæ absque hiatu abesse nequeunt, si denique ratiociniis non insunt præmissæ, nisi quarum recordatio lectori moram injicit, ubi prætermitte-

mitterentur; minime habes, cur prolixitatem accuſes. Saltus in ratiocinando, quem confuſæ notiones veluti per tranſennam veritatem acumine quodam pollenti conſpiciendam nonnunquam offerentes commendare videntur, extra Matheſin præſertim, ubi imaginatio minus adjumento eſt, immo facilius imponit uſum intellectus averſantibus, non ſemper tuti. Inde omnino eſt, quod bonus ſæpiſſime dormitet Homerus. Sed de his alias. Nobis enim jam propoſitum eſt neceſſitatem veræ methodi potiſſimum inculcare. Equidem abunde eam evictam eſſe arbitror, ubi oſtendero, quod paulo ante aſſerui, absque methodo ſcientifica ut veritatis convincaris, fieri minime poſſe; quoniam tamen generalis demonſtratio iis non ſatisfacit, qui præjudiciis mentem occœcatam poſſident, ut particulatim idem evincamus, non inconſultum videtur. Nemo in dubium revocare poteſt, nonniſi recto facultatum mentis noſtræ uſu ad veritatis agnitionem perveniri: non uſui enim ignorantia, abuſui error debetur. Quilibet etiam largiri debet, facultatum mentis noſtræ uſum certis regulis adſtringi, ita ut rectus non dicatur, niſi quatenus cum regulis conſentit, quemadmodum ex adverſo abuſus iisdem contrariatur. Qui in Philoſophia verſati ſunt, cum regulas iſtas diſtincta notione animo comprehenderint, iis nihil in eo, quod ſumitur, ſupererit obſcuri. Enimvero vera methodus regulis hiſce continetur, ut adeo ſolus rectum facultatum mentis ſuæ in cognoſcendo faciat uſum, qui iſta utitur. Ecquis ergo dubitet, vel prorſus negare auſit, absque vera methodo ut ad veritatis agnitionem perveniatur, impoſſibile eſſe? Sane qui hoc fecerit, affirmare tenetur facultatum non uſu & abuſu ad eandem perveniri, conſequenter eandem eſſe ad ignorantiam & errorem atque ad veritatem viam: quo quid abſurdius dici poſſit ego non video, quin potius nemo mihi videtur tantæ impudentiæ, ut, quod adeo evidenter abſurdum eſt, defendere non erubeſcat. Immo ſi quis eo audaciæ procedere velit, ut ad anguſtias redactus in tam manifeſta abſurditate præſidium omne collocet, illum ego contemnendum, non confutandum judico. Quid enim facias, ſi quis ſponte inſanire velit ad ſaniorem mentem nunquam revocandus? Facultates mentis hominibus omni-

bus eædem ſunt, nec unus aliter iisdem uti poteſt, quam alter, niſi uſum in abuſum vertere velit a regulis, quibus ille adſtringitur, diſcedens. Sive igitur Theologiæ, ſive Jurisprudentiæ, ſive Medicinæ, ſive Philoſophiæ operam navare volueris, ubi certum ab incerto, verum a falſo ſeparare, nec aſſenſum niſi veritati liquidæ dare conſtitueris, eadem omnino methodo utendum, ea ſcilicet, quæ ad rectum facultatum uſum redit, non uſui & abuſui nullum relinquit locum. Qui rectum faciunt facultatum ſuarum uſum, eundem faciunt. Eundem qui faciunt uſum, eadem ſentiunt. Vbi ergo datur diſſenſus, eidem earundem facultatum uſui locus non eſt. Non uſus igitur & abuſus miſcetur uſui, aut rectus uſus prorſus negligitur, cum uſus nonniſi idem ſit. Videamus igitur, quorumnam eruditorum ſit conſtans conſenſus, & quorumnam perpetuæ ſint diſſenſiones. Nullibi diſſenſus major eſt quam in ſcholis Theologorum, de quo plurimum conqueritur *Melanchton* in præfatione, quam *Vogelini* Elementis Geometriæ præmiſit, etſi omnes ab eodem Magiſtro Chriſto edoctos ſeſe profiteantur & ejusdem doctrinæ ſeſe aſſentiri confiteantur. Diſſentiunt in Scriptura Sacra interpretanda, diſſentiunt in doctrinis. Diſſenſus regnat etiam inter eos, qui iisdem ſacris ſunt addicti. Plura jam addere nolo, tum quod verbis opus non ſit, ubi rerum teſtimonia adſunt, tum quod veritas odium pariat implacabile. Non alia ſane de cauſa jam olim adoleſcens adductus fui ad omnem cogitationem in methodum convertendam, qua ad certam rerum cognitionem perveniatur, præſertim cum non modo *Melanchton* in præfatione ſupra laudata de diſſenſionibus iſtis conqueſtus & neglectum ſtudii mathematici accuſans non ante tantorum malorum finem fore aſſerat, quam ubi ad veram & eruditam ſtudiorum rationem juventus revocata fuerit, quemadmodum ad præfationem Elementis meis Matheſeos univerſæ præmiſſam dudum me monuiſſe memini: verum etiam *Neumanni*, Inſpectoris tunc temporis Eccleſiarum & ſcholarum apud Vratislavienſes Auguſtanæ Confeſſioni addictarum me confirmarat autoritas, qui Theologiam & Philoſophiam moralem ad methodum Mathematicorum exigendam eſſe contendebat, meamque Matheſin methodi gratia & Phyſicam diſcendi ardorem valde

valde probabat, hoc addito: Rara avis, Theologus Phyſicus & Mathematicus! Tunc enim mihi propoſitum erat Theologiæ me conſecrare, etſi Deus aliter de me ſtatuerat. Si quis igitur perpetuas iſtas diſſenſiones Theologorum iisdem ſacris addictorum, quorum conſenſus nonniſi formulis continetur, quæ imperantur, perpendit, & quanta animi contentione de rebus, quas haud raro neutra altercantium pars ſatis intelligit, diſceptetur, ad animum revocat; is haud difficulter hinc colliget, veram methodum non eſſe eam, quæ hactenus placuit Theologis, eosdemque uſui facultatum mentis non uſum & abuſum miſcere. Neceſſe igitur eſt, noſtra præſertim ætate, qua plurimi alienæ autoritati non facilem habentes fidem in errores profanos ſe præcipites dant, ut de invaleſcente indies irreligioſorum turba ubivis terrarum tot ac tantæ audiantur querelæ, ut Theologia ad veram methodum reducatur & antiſtites ſacri ſermones ſuos ad populum ad eandem methodum componant, quemadmodum fieri juſſit Rex piæ memoriæ FRIDERICVS WILHELMVS ſolidum a ſuperficiario acumine ſuo diſcernens. Nec eſt quod excipias, Theologis accurata methodo opus non eſſe, propterea quod divina gratia adjuti natura opus non habeant. Quis enim Theologorum ab Enthuſiaſtarum erroribus procul remotus unquam negavit, gratiam naturam non tollere, ſed tantummodo perficere? Quis temeritate non condonanda contendet, veritatum ſacrarum cognitionem non obtineri niſi non uſu & abuſu facultatum mentis noſtræ & a ſtudio Theologiæ proſcribendum eſſe rectum earundem uſum? Neque etiam adeo eſt, cur a vera methodo ſibi metuant ejus ignari, & neſcio quod periculum inde Eccleſiæ ac ſaluti animarum imminere ſomnient, cum vera methodus nonniſi rectum facultatum noſtrarum uſum in cognoſcendo præcipiat, ut ab ignorantia & errore nobis caveamus veritatemque liquidam intimius perſpiciamus. Optandum omnino foret, ut methodi veræ leges ante cognoſcere ſtuderent, quam de ea judicium ſibi ſumerent, aut ab eo, quod prorſus ignorant, ſibi metuerent: ita enim futurum arbitramur, ut a bono impediendo abſtinerent, quodque ſe conſequi poſſe deſperant, aliis non inviderent; immo humeros non ſubmitterent oneri, quod ferre recuſant, Eccleſiam

in periculum adducentes, quod inani conatu avertere ſtudent. Quibus Eccleſiæ ſalus curæ cordique eſt, omnibus viribus id agere debent, ut non tantum ad accuratam methodi cognitionem perducatur juventus ſtudioſa; verum etiam ut illius minime fallax uſus ejusdem poteſtati ſubjiciatur. Abſit ut nonnullorum faſtus eo usque progrediatur, quo nolint diſcipulos anteire ſe Magiſtros! Quomodo enim is cum humilitate tantopere ſuis a Chriſto commendata conſiſtat, ego profecto non video. Sed mittamus Theologos & ad JCtos accedamus, quos vera methodo non minus carere non poſſe ſupra jam aſſeruimus. Ecquis eſt, qui neſciat, quam diſſentientes ſint Doctorum opiniones, quando de Jure quæſtio incidit? Quod alii juſtum pronunciant, alii ſummam injuriam eſſe contendunt. Quam incertæ aleæ ſint ſententiæ, quibus controverſiæ de Jure in foro litigantium dirimuntur, in vulgus notum eſt. Ne exceptioni locus ſit, plus valere favorem in judice, quam legem in codice, & appetitus vitio tribuatur, quod defectui veræ methodi tribuendum erat, oculos totos convertamus ad impartiales, adverſus quos non valet iſta exceptio. Nonne lippis & tonſoribus notum eſt, ſi in eadem cauſa mittantur eadem Acta ad diverſa collegia Juridica, diſcrepantia eſſe virorum conſultiſſimorum reſponſa. Recenti adhuc memoria verſatur exemplum, quod ſolum commemorare lubet. Duo complices erant ejusdem delicti. Secundum acta & probata unus tantundem deliquerat, quantum alter. A Collegio JCtorum uno ambo ad eandem pœnam gladii condemnabantur. Cum unus capite plecteretur, alter vero verſutia Advocati impetraret, ut Acta ad aliud Collegium mitterentur, hic a pœna capitali abſolutus nonniſi biennali carcere pœnam luere cogebatur. Quod adeo delictum Collegio uni videtur pœna capitali dignum, alterum nonniſi carcere coërcendum putat, etſi utrique ſuæ ſint rationes decidendi. Quis quæſo, dixerit, utrumque collegium rectum feciſſe facultatum mentis uſum in diſcernendo eo, quod juſtum eſt, præſertim cum in iſto caſu quæſtio non erat niſi de hoc, quomodo tale delictum ſit puniendum? Quoniam itaque vera methodus rectum facultatum mentis uſum præſcribit, ut juſtum ab injuſto ſeparare poſſis; quam neceſſaria ſit intimior ejus

cogni-

cognitio Themidis cultoribus nemo non videt, nec minus patet, Juris Doctores vera methodo in docendo & applicando Jure minime uti. Quoniam judice *Vlpiano* a) Juris periti Juris ſacerdotes merito appellantur, quia juſtitiam colunt & boni & æqui notitiam profitentur, æquum ab iniquo ſeparantes, licitum ab illicito diſcernentes; id vero minime fieri poteſt, niſi recto uſu facultatum mentis, conſequenter ſi vera in veritate cognoſcenda methodo utaris; neminem cordatum offendet, quod ingenue doceamus, quid faciendum Jurisperitis, ut merito Juris ſacerdotes appellentur, nec nomine inani glorientur. Addit *Vlpianus*, quod veram non ſimulatam philoſophiam affectent. Vera autem, non ſimulata philoſophia non fert inanes titulos, quibus ſuperbiunt videri volentes, qui non ſunt, quin potius exigit, ut verbis inſit veritas. Non aliud igitur intendimus, quam ut JCti ſint, qui dicuntur, veri nimirum Juris ſacerdotes, juſtitiam colentes ac boni & æqui notitiam profitentes, dum æquum ab iniquo revera ſeparant, non ſeparare videri tantummodo volunt, dum licitum ab illicito revera diſcernunt, non diſcernere tantummodo videri cupiunt, dum veram & non ſimulatam philoſophiam revera affectant, non vero imperitis ac credulis fucum faciunt. Neque enim cenſura aliorum ad laudem contendimus, quod puerili faſtui tribuendum; ſed veritatem, quam agnoſcimus, in lucem proferendo docilium animos ad cogitandum inſtituimus, ut gloriam veram conſequantur virtutis ampliſſimum præmium. Profecto ſi per me ſtaret, ego quemvis alium efficerem me oculatiorem, ut ab eo diſcendi voluptate fruerer, qui gaudeo videns alium qua in re meliorem, ut habeam, quod imitari ſtudeam. Verum enim vero non minor eſt diſſenſus Medicorum, quam Theologorum & JCtorum, ita ut Medicina artis incertiſſimæ nomine vulgo traducatur & non incelebris quidam Medicus incertitudinis hujus ſibi conſcius ſcite dixerit, mirari ſeſe, quod, ubi Medicus unus alteri obviam fiat, unus alteri riſum minime moveat: qua etiam de cauſa accidit, ut nonnulli de Medicina ad certitudinem evehenda cogitaverint. Ecquis ergo dixerit Medicos in tradenda Medicina vera Methodo uti, qua certum ab in-

 certo

a) l. 1. ff. de J. & J.

certo diſcernitur? Quantæ denique ſint in ſcholis Philoſophorum, quantæ fuerint omni ævo nemo eſt qui neſciat, noſtro inprimis tempore, quo libertas philoſophandi temerariam quandam ſentiendi licentiam introduxit, ita ut nihil ſit tam abſurdum, quin ſtatuatur ab aliquo Philoſophi nomen affectantium. Diſſenſiones iſtæ acutioribus dudum ſcepticiſmum perſuaſerunt, ita ut in Philoſophia omni hoc unum certum putaverint, quod nihil ſciatur, ac imbecillitatem intellectus humani accuſaverint, quaſi veritati agnoſcendæ non ſufficeret. Immo cum ſpem facerem Philoſophiæ methodo vera a me digerendæ, omnibus, quibus aliquid de meo conatu ſuboleverat, promittere videbar, quæ præſtari minime poſſint, ut ideo Cl. editor operum meorum Veronenſis, vir acutus, circumſpectus & cordatus, quem præmatura morte nuper rebus humanis exemtum dolemus, in Dedicatione Logicæ meæ ad Sereniſſimum Principem *Aloyſium Piſanum* Venetiarum Ducem ſcribat, me id præter opinionem omnium, quibus de meo conatu aliquid ſuboleverat, tanta felicitate aſſecutum, ut qui me legat in philoſophicis, hic (ad methodum quod attinet) *Euclidem* ipſum in mathematicis legere ſibi videatur. Quoniam itaque, ut verba ejusdem mea faciam, pugnis atque concertationibus ſempiternis Philoſophi miſerrime diſtracti veritatem, dum conantur evolvere, implicant magis atque perturbant; eos hactenus vera uſos fuiſſe in philoſophando methodo, qua verum a falſo, certum ab incerto ſeparatur, ecquis aſſeverare auſit, niſi qui methodi veræ nullam habet notionem, nec ejus vim vnquam percepit? Ex hactenus dictis ſatis conſtare puto, quam neceſſaria ſit veræ methodi cognitio & Theologis, & JCtis, & Medicis, & Philoſophis, utut multo luculentius ac diſertius idem exponi poterat, ſiquidem volumen, non programma ſcribere inſtituiſſemus. Immo puto neminem fore Theologorum, neminem JCtorum, neminem Medicorum, neminem denique Philoſophorum, qui non ultro fateatur, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam, Philoſophiam recta methodo eſſe tradendam, cum eam, quam quisque adhibet, methodum rectam judicet. Enimvero vidimus, rectam methodum hactenus deſideratam eſſe & in Theologia, & in Jurisprudentia, & in Medicina, & in Philoſo-

loſophia. Quæritur itaque, quænam ſit recta illa methodus, quæ veritatem liquidam in lucem meridianam protrahit & omnibus, qui eam ferre poſſunt, conſpiciendam ſiſtit. Conſtat *Euclidem* Elementa ſua ea methodo digeſſiſſe, ut, qui eadem attente legit, ſtatim nolens volens in aſſenſum trahatur & veritati victas det manus. Nullus unquam Geometrarum de veritate eorum, quæ docet *Euclides*, dubitavit, multominus Geometræ de dogmatis *Euclideis* ſerram contentionis inter ſe reciprocarunt. Unanimi conſenſu vera eſſe confitentur, quæ de magnitudinibus & numeris propoſuit *Euclides*. Concedendum igitur, *Euclidem* in tradenda magnitudinum & numerorum doctrina rectum feciſſe facultatum mentis uſum, conſequenter vera methodo digeſſiſſe Elementa ſua. Quotquot igitur veritatem liquidam attingere voluerint ſive Theologi, ſive JCti, ſive Medici, ſive Philoſophi, eundem facere tenentur facultatum mentis uſum, adeoque quæ docent, eadem methodo digerere debent, quam adhibuit *Euclides* in Elementis ſuis conſcribendis. Methodus *Euclidis* ea eſt, quæ vulgo mathematica appellatur, & quæ a me ſcientifica vocatur, ſingulari autem inſtituto in diſcurſu præliminari de Philoſophia univerſa, quem Logicæ præmiſi, philoſophica nuncupatur. Scientifica igitur methodus ea eſt, qua omnis cognitio humana ad certitudinem reducitur, neceſſaria adeo Theologis non minus, JCtis, Medicis ac Philoſophis, quam Mathematicis. Atat ne hactenus dicta in perverſum ſenſum trahant malevoli aut qui imbecilliores ſunt, quam ut veritatem perſpicere poſſint, ubi præjudiciis ac appetitus vitio impeditur animus; pauca quædam adhuc notanda ſunt, antequam ulterius progrediamur. Negavi Theologos, JCtos, Medicos & Philoſophos hactenus in tradendis dogmatis ſuis vera uſos fuiſſe methodo, quæ ſcientiam parit. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, me ipſis denegare omnem veritatis cognitionem! Abſit etiam, ut quis opinetur, me affirmare, quod iidem nunquam faciant rectum facultatum ſuarum in cognoſcendo uſum! Id enim demum foret, quod non ſine injuria diceretur, & de quo jure conquererentur. Dum vero non alia de vulgari ſcribendi ac docendi methodo removemus, quam quæ a vi methodi ſcientificæ unice pendent, juſtam conquerendi cauſam nemi-

ni

ni damus. Asseveramus nimirum, absque methodo scientifica impossibile esse, ut veritatem liquidam intime perspiciamus, verum a falso, certum ab incerto accurate discernamus, nexum veritatum omnium & errorum manifestam, quam involvunt, contradictionem evidenter videamus, adæquatas denique eorum, quæ cognoscuntur, notiones consequamur. Si quis vulgari methodo contentus sibi hoc arrogat, is manifesto prodit, se horum, quæ modo dixi, nullam prorsus habere notionem & in eo confutando oleum atque opera perditur. Methodi scientificæ tanta cum sit necessitas, ut absque ejus ope doctrina solida non liceat imbuere discentium animos; omnibus in posterum viribus eo annitemur, ut studiorum gratia ad nos adventantes in intimiorem methodi scientificæ notitiam deducamus eandemque potestati ipsorum subjiciamus. Methodus scientifica regulis Logicæ continetur, quippe quæ nomen suum non tuetur, nisi doceat rectum facultatum mentis humanæ in cognoscenda veritate usum. Ad quem vero lapidem Lydium exigenda sit Logica, ut genuinam agnoscas, nec a Logicæ scriptoribus rectum facultatum nostrarum usum ignorantibus, quorum infinitus est numerus, tibi imponi patiaris, dudum in Logicæ Prolegomenis b) docuimus ostendentes, Logicam genuinam esse praxi veterum Geometrarum conformem, ejus regulas ex ipsa mentis humanæ natura & notione entium in genere demonstrari posse, & per easdem rationem reddere nobis licere cogitationum, quæ se invicem naturaliter consequuntur. Lubens concedo hoc examen non esse adeo facile, ut Matheseos ac Philosophiæ omnis rudis Logicam examinare valeat, quam nondum didicit. Sed nec tyronum est examinare Logicam, qui initio studiorum judicio non suo, sed aliorum stare debent, quorum autoritatem rationes extrinsecæ firmant. Sufficit, quod recta institutione eo perduci queant, ut, quam initio docenti habuerunt, fides in scientiam sua quasi sponte vertatur: quod quomodo fieri possit, ex sequentibus luculenter constabit. Eo igitur fine Logicam perspicue explicabimus, ut nihil in ea superfit obscuri, ejusdemque multiplicem in omni cognitione humana usum & in ipsa praxi vitæ solerter inculcabimus. Rationes extrinsecæ, quæ persuadere possunt tyronibus veritatem Logicæ

b) §. 26. 27. 28.

gicæ noſtræ hæ ſunt. Ad Matheſin addiſcendam, quemadmodum plus ſimplici vice monuimus, methodi potiſſimum cognoſcendæ gratia acceſſimus, adeoque in eam omnem mentis aciem convertimus operamque inprimis dedimus, ut demonſtrationes redderemus completas & ordinatas, conſequenter ut notionem adæquatam demonſtrationum conſummatarum conſequeremur, quam diſtinctam non habuiſſe ſummos, qui magno ſuo merito celebrantur in Orbe, Geometras, facile doceri poterat, ſi prolixioribus eſſe liceret. In opere etiam majore Logicæ ſingula exemplis mathematicis illuſtravimus. Satis adeo ſe circumſpectum præbet, qui fidem habet aſſerenti Logicam noſtram eſſe praxi veterum Geometrarum, veluti *Euclidis*, conformem. In eodem opere theoriam Logicæ ex ipſa mentis humanæ natura & notione entium in genere demonſtravimus, id quod ante nos nemini in mentem venit. Cum nemo ante nos methodo ſcientifica in tradenda Philoſophia feliciter fuerit uſus; non eſt quod ſibi metuat a præcipitantia, qui fidem habet aſſerenti, theoriam noſtram Logicæ ex ipſa mentis humanæ natura & notione entium in genere eſſe demonſtrabilem. Denique nos primi omnium publice monuimus, per regulas Logicæ ſeriem perceptionum in anima eſſe explicabilem & in Pſychologia atque altera Philoſophiæ practicæ univerſalis parte fidem dedimus oculatam. Quamobrem nec eſt, quod vereatur, ne forſan fallatur, qui fidem habet aſſerenti, per regulas Logicæ noſtræ ſeriem perceptionum in anima eſſe explicabilem. Si quis naſutulus aliorum famæ detrahendo ad nominis celebritatem contendens multa hic ſumi argutetur, quæ tyroni certa non ſunt; is miſerrime certum cum probabili, fidem cum ſcientia confundit & hoc ipſo genuinæ Logicæ ſe ignarum probat, commiſeratione, non refutatione dignus. Magna igitur fiducia ad nos accedere poſſunt, qui genuinæ Logicæ addiſcendæ deſiderio flagrant. Verum enim vero etſi quis Logicam genuinam didicerit eamque totam animo comprehenderit; ejus tamen examen nondum in poteſtate habet, nec methodo ſcientifica dextre uti poteſt. Quamobrem Rex ſapientiſſimus quoque voluit, ut Matheſin doceremus. Nos igitur in poſterum Mathemata ea methodo trademus, qua uſus facultatum mentis in

omni cognitione humana redditur expeditus & amplificatur. Quoniam noſtram in docenda Matheſi methodum abunde explicavimus in Tomo quinto Elementorum Matheſeos univerſæ; quæ ibi legi poſſunt, hic repetenda non ſunt. Quodſi quis in mathematicis ſedulum ſeſe nobis præbuerit auditorem, is ubi in Arithm. & Geom. ſuam non paſſus fuerit attentionem ac diligentiam deſiderari, animadvertet Logicam noſtram eſſe praxi Geometrarum conformem, & aſſiduitate rectum facultatum ſuarum in veritate cognoſcenda uſum faciendi quendam ſibi habitum comparabit. Habitus hic ut indies magis magisque confirmetur, idemque uſui ſit in omni ſtudiorum academicorum omnique futuro vitæ genere, Philoſophiam univerſam, quam primi methodo ſcientifica dirigere cœpimus, ex primis ſuis principiis ea perſpicuitate explicabimus, ut auditores noſtros ſupponamus rerum omnium ignaros, eorumque animos doctrina ſolida imbuemus. Qui hiſce lectionibus frequenter intererunt & omnem adhibebunt diligentiam, quæ doctrina ſolidæ acquirendæ convenit, inexpectata in Theologia, Jurisprudentia & Medicina fruentur luce, ac in dirigendis actionibus ſuis evadent circumſpecti & erga alios æqui. Non opus eſt, ut de fructu Philoſophiæ, quam profitemur, verba faciamus. Poſtquam enim ſingulari providentia divina contigit, ut totius Europæ oculi in eandem fuerint converſi; opera mea philoſophica in omnium manibus verſantur, & ubivis locorum reperiuntur, qui Philoſophiæ noſtræ utilitatem proſpiciunt noſtramque philoſophandi rationem approbantes cum Cl. Editore Veronenſi operum noſtrorum philoſophicorum, quæ Latino idiomate conſcripſimus & in poſterum continuaturi ſumus, ſperant fore, ut methodus noſtra philoſophica, cum plane erit perſpecta & cognita, teneatur ab omnibus, & nullo unquam tempore intereat. Sufficit itaque publice ſignificaſſe, me poſthac perinde ac ante ſeptemdecim hoſce annos in hac Academia ſingulas Philoſophiæ partes Juventuti Studioſæ eſſe explicaturum, Metaphyſicam ſcilicet, Philoſophiam moralem ſive Ethicam, Philoſophiam civilem, ſive Politicam, Philoſophiam naturalem ſive Phyſicam, Philoſophiam denique experimentalem, qua ad certam naturæ cognitionem via ſternitur. De inſtituto harum lectionum

in

in peculiari libello jam olim dixi. Prodiit ſub titulo Rationis Prælectionum, cum adhuc in hac Academia docerem, ac deinde cum augmento quodam de lectionibus Grotianis recuſus fuit, cum in Academia Marburgenſi publico docendi munere fungerer. De mea quoque philoſophandi ratione ac ſingulis Philoſophiæ partibus ea, quæ prænotanda ſunt, expoſui in libro Germanica lingua conſcripto de ſcriptis meis in univerſum, quæ de Philoſophia patrio ſermone edidi. Hos igitur libros conſulat, qui plura de prælectionibus noſtris philoſophicis prænoſcere cupit eorundemque fructum quodammodo perſpicere geſtit, ut ardor diſcendi magis intendatur aſſiduitatem, qua in doctrina ſolida haurienda opus eſt, conſervaturus. Non hodie demum ad docendam Philoſophiam accedimus; ſed per continuos triginta octo annos in diverſis Academiis eodem ſemper applauſu eandem docuimus. Quodſi ergo de Prælectionibus noſtris philoſophicis plura dicere inutiliter vellemus, eas commendare velle videri poteramus, qui tamen nunquam deſideravimus Auditores, niſi quibus eædem ſemetipſas commendant. Publice tantummodo ſignificandum erat, quibusnam prælectionibus in hanc Academiam redux vacaturus ſim, ne doctrinæ ſolidæ cupidi ignorent, ad quasnam ipſis pateat aditus, ubi ad nos accedere decreverint. Quod de ſtudio genuinæ methodi notitiam animis auditorum noſtrorum ingenerandi eandemque in poteſtatem ipſorum redigendi fuſius diſſeruerim, neceſſitate, quæ legem non habet, coactus & invitus feci, quod non modo videam plurimos veræ methodo adverſos, ſive quod eam inutilem arbitrentur, ſive quod prorſus nocuam exiſtiment; verum etiam ab eodem procul adhuc diſtantes, qui eam adamant eademque uti volunt. Quemadmodum enim illorum autoritate præjudicia doctrinæ ſolidæ propagandæ damnoſa alte lateque ſerpunt; ita ex adverſo multi, quorum animos illa non occupant, a vera methodo avertuntur, nec doctrinæ, cui inhiant, compotes redduntur. Redimus itaque voluntate Regis doctrinæ perfectæ ſtudioſi ex longo intervallo ad easdem lectiones, non ſine Numine provido interruptas, quas in eminente hac Muſarum ſede non minore utilitate diſcentium, quam fidelitate atque aſſiduitate per ſeptemdecim annos continuaveramus.

Enimvero Rex ſapientiſſimus Fridericianæ, cui me reddidit, utiliorem me eſſe vult, quam fueram antea, atque ideo Jus Naturæ ac Gentium a me doceri jubet, quod methodo ſcientifica digerere cœpi & per aliquot annos in Academia Marburgenſi interpretatus ſum. Quoniam qui hactenus ad Jus hoc enucleandum animum appulerunt, nimis arctis limitibus idem coarctarunt, differentia ejus a poſitivo non intime perſpecta, nec, quod optaverat *Grotius* c), ſpecioſiora opera jactis ab eo fundamentis ſuperſtruxerunt, ſed primum de mente ipſius aſſequenda tantummodo ſolliciti nonniſi commentatores & repetitores egerunt, deinde audaciores facti multa reformando non in melius, ſed in pejus mutarunt; illius quoque ampliſſimum uſum penitus inſpicere non potuerunt. *Grotius*, qui primus hoc Jus univerſim & certo ordine tractavit, monuerat, quod inter populos plures aut populorum rectores intercedat d), & reprehenderat Juris civilis Doctores, omnes Regum populorumque controverſias ex legibus Romanis, aſſumtis interdum canonibus, definire volentes e). Quamobrem qui exiſtentiam hujus Juris admiſerunt, ejus quoque uſum in definiendis Gentium controverſiis agnoverunt. Non nego Jus noſtrum hoc ſolo nomine ſe ſatis commendare & mereri, ut cum *Grotio* f) pars Jurisprudentiæ longe nobiliſſima dicatur: qui tamen præterea nullum alium uſum agnoſcit, nimis adhuc abjecte de ejus Majeſtate ſentit ejusque ſtudium nonniſi ad paucos reſtringit. Poſtquam homines in ſocietates civiles coiverunt, jura etiam tam Rectorum civitatis & ſubditorum originarie ex hoc fonte deducenda, & quamvis poſtea voluntate humana variis modis fuerint immutata, penitus tamen intelligi nequeunt, niſi ad principia Juris Naturæ & Gentium recurras. Ipſum bellum & pax, propter quam illud geritur, Jure noſtro regitur. Sed ea ſunt, quæ unicuique ſatis cognita, qui vel ſolum opus *Grotii* præclarum de Jure belli & pacis legit. Nobis igitur jam incumbit de iis potiſſimum verba facere, quæ vulgo non ſatis animadverſa.

c) De J. B. & P. lib. 3. c. 25. §. 1.
d) In Proleg. §. 1.
e) loc. cit. §. 54.
f) loc. cit. §. 32.

verſa. Dudum monuit *Vlpianus* g) jus proprium, id eſt, civile effici, cum aliquid addimus vel detrahimus juri communi. Per jus autem commune Jus naturæ & gentium intelligit. Dixerat enim jus civile eſſe, quod neque in totum a naturali vel gentium jure recedit, nec per omnia ei ſervit. Hoc igitur judice jus civile penitus intelligi nequit, nec de ejus æquitate certi quid ſtatuere licet, niſi jure noſtro penitus perſpecto. Quomodo ex Jure naturali, ſeu naturali & Gentium Jure, quemadmodum loqui amant JCti Romani ſtrictiore ſenſu h), quam qui nunc obtinet, efficiatur Jus civile, *Vlpianus* explicatius minime dixit. Quamobrem interpretes Juris Romani in Jure naturali non ſatis verſati ac methodi ſcientificæ prorſus ignari, quod verba JCti plus habeant in receſſu, quam in fronte promittunt, minime intellexerunt. Immo eadem de cauſa Juris Naturalis Doctores, quorum erat docere, quomodo ex jure naturali efficiatur civile, theoriam naturalem Juris omnis poſitivi prorſus intactam reliquerunt, quam ſuo ordine demonſtratam dabimus opus noſtrum de Jure Naturæ continuaturi. Itaque nemo exiſtimet, in favorem hujus juris nec ſine injuria in Viros Conſultiſſimos dici, quod absque penitiore Juris naturalis notitia in omni jure poſitivo, quocunque tandem nomine veniat, haud raro cœcutire & quaſi in tenebris ceſpitare debeant, cum ex adverſo illud penitus perſpiciens & methodo ſcientifica pollens pleniſſima luce fruatur. Multa hic dici poterant, quæ ad commendationem Juris naturalis faciunt, ſed ne in diſceptationem adducantur, quæ hic non ſatis exponi poſſunt, alio loco ac tempori reſervanda ſunt. Sufficit adeo monuiſſe quod a Jure naturali expectandum, ut ſolidam Juris poſitivi notitiam nobis comparemus & ex dubitationum fluctibus emergamus, jusque omne efficiatur certum, nec ullus amplius locus relinquatur controverſo, fugatis opinionibus Doctorum tam variis tamque inter ſe diſſidentibus, methodo ſcientifica & naturali us inter ſe & poſitivis cum illis vi theoriæ naturalis legum civilium in concordiam redactis. Non poſſunt omnes arti-

 culi,

g) L. 6. ff. de J. & J.
h) Vid. Horæ ſubſeciv. Marburg. An. 1729. trim. brum. 2.

culi, quemadmodum ait *Julianus* i), ſingulatim legibus comprehendi, nec hæ ita ſcribi, ut omnes caſus qui quandoque inciderint, comprehendantur k): ſed cum in aliqua cauſa ſententia illorum manifeſta eſt, is qui jurisdictioni præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet. Quodſi hic a vero aberrare nolis, facem præferre debet jus naturæ, quod penitus cognitum & perſpectum nec errori in intellectu, nec vitio in appetitu locum relinquit mentis aciem obtundenti, ne verum cernere poſſit, appetitu in aſſenſum non influente niſi in inevidentibus. Vult Imperator l) unum juris eſſe concordiam, unam conſequentiam. Hujus nemo' ſe prorſus certum fieri poſſe exiſtimet, niſi juris naturalis auxilio & methodi ſcientificæ adjumento. Jura poſitiva, quæ in Academiis docentur, admodum diffuſa ſunt, ut ea memoria complecti difficile ſit diſcentibus multique efficerentur ſtudiorum deſertotes, niſi Jurisprudentia eſſet de pane lucrando. Enimvero ſi quis Jus naturæ penitus perſpexit, is leviore via, ſine magno labore & ſine ulla diffidentia maturius ad ſolidam Juris omnis poſitivi cognitionem perducetur. Quæ modo dixi omnia palam futura confido, ubi opus noſtrum Juris Naturæ & Gentium integrum proſtabit. Incaſſum caderent omnia, ſi horum fidem in præſenti lectori facere conaremur, ſupponenda enim erant eidem non magis certa, quam quæ probari debebant. Contra methodi vero leges aliquid audere ejus non eſt, qui methodi veræ doctorem ſe profitetur. Quinam ſit Juris Naturæ uſus genuinus in Jurisprudentia, quo ſeſe mirifice commendat futuris Juſtitiæ ſacerdotibus, ex iis, quæ dixi, intelligi poteſt, quamvis non ignoremus plura addi poſſe iſtis non minus præclara, quæ nunc conſulto ſilentio præterimus: illius autem prorſus convincetur, qui veram ſtudiorum rationem nobis præeuntibus ſecutus & recta via progrediendo indefeſſus horum omnium veritatem in ſemetipſo experietur. In Jure naturæ bonum & malum intrinſeca ratione diſcernitur atque adeo ſine eo virtus non agno-

i) L. 12. ff. de LL. &c.
k) L. 10. ibid.
l) L. 1. C. de veteri jure enucl. &c.

agnoſcitur, nec ſine eo virtus infucata a fucata ſeparatur. Jus adeo Naturæ omnem lucem affundit Philoſophiæ morali, quæ quomodo ab eodem diſtinguatur, alibi jam docuimus m). Quodſi juris naturalis ſcientia ſatis exaſciata; philoſophiæ quoque morali ſua conſtare poteſt integritas: illius vero nævi hanc quoque labefactant. Omnium hominum intereſt, ut bonum quid ſit, quidve malum accurate internoſcant, ne dum virtutem ſectari volunt ad vitiorum tramites deflectant tanto pertinacius malum facientes ſibique non minus, quam aliis nocentes, quanto magis a malo faciendo abhorrent. Perfecta igitur theoria boni & mali ex Jure Naturæ haurienda opus habent, quotquot obligationi naturali ſatisfacturi vitam perfectam anhelant. Sine intimiore Juris naturæ notitia friget virtus, nec Philoſophia moralis ſuo fulget nitore. Quoniam, qui populo erudiendo præficiuntur, publici morum cenſores merito appellantur; non recte facient, quod eſt officii ſui, niſi Jure naturæ prælucente. Quamvis enim in Scriptura ſacra ſatis inculcentur, quæ ad omnem morum doctrinam faciunt; cum tamen Deus non demum revelaverit, quæ rationis beneficio aſſequi licet, ſed ſapienter potius ſuppoſuerit uſum rationis, quam benigne conceſſit homini, eximium donum ſuum minime damnans, diſtinctas eorum, quæ urget, notiones ex theoria Juris naturæ exaſciata petere tenetur, qui vim & poteſtatem verborum tenere voluerit. Quod enim *Celſus* n) de legibus recte dixit; ſcire leges non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem, idem quoque de Scriptura ſacra fateri debes, niſi te omnis Logicæ ac facultatum mentis prorſus ignarum prodere velis. Nemo niſi inexpertus aſſeverabit, ſe præcepta moralia Chriſti, optimi Juris naturæ interpretis, penitus intelligere absque hujus Juris notitia. Sane ipſi *Grotio*, viro valde acuto, defectu methodi ſcientificæ opum ſuarum non ſatis ſibi conſcio accidit, ut Chriſtus ſublimiorem diſciplinam eamque ſeveriorem a ſuis exigere viſus fuerit, quam quæ Juris naturalis pandectis continetur, & Socinianorum errorem Theologis ſanioribus improbatum ſuum fecerit, quo Chriſtus novus fertur legislator. Inſi-

m) In præfat. ad part. I. Juris Naturæ.
n) L. 17. ff. de LL.

Insignem vero prorsus utilitatem habet, si demonstrare vales, præcepta Christi moralia esse eadem cum præceptis Juris naturalis. Vt enim alia taceamus, haud leve argumentum affert ad dignitatem & præstantiam religionis Christianæ evincendam, ejus vero veritatem commendandam, sicque Jus naturæ nos nonmodo invitat, verum etiam manuducit ad religionem revelatam: qui usus haud postremus censeri debet, quemadmodum Philosophiæ omnis, ita etiam Juris naturalis. Enimvero alium adhuc usum præstat Jus Naturæ Theologo, nec is, quem dixi, etsi hoc solo eidem sese mirifice commendet, pro unico habendus. Plura sunt Scripturæ Sacræ loca, quæ rite nunquam interpretabitur nisi penitiore Juris naturæ cognitione instructus, quorum specimina dabimus alio loco. Quid quod oratores sacri verba ad populum facientes haud raro delabantur ad quæstiones juris, quas Juris Naturæ notitia destituti miserrime tractant? Accedit quod Pastores Ecclesiæ præsint conscientiæ illorum, quorum animarum curam gerere tenentur. Conscientias igitur scrupulosas efficere debent certas, ut inquietæ reddantur tranquillæ. Quam multi, bone Deus, hic occurrunt casus, in quibus sine Jure naturæ nihil agitur. Nemo igitur miretur, quod *Johannes Thesmarus*, JCtus quondam in Academia Marburgensi, cujus memoria mihi semper voluptati erit, cum opus præclarum *Grotii* de Jure belli & pacis perpetuis commentariis illustratum ederet, idem vocaverit opus Theologis perquam utile & necessarium. Quando opus nostrum de Jure naturæ & gentium absolutum & consummatum prostabit, non solum ea, quæ de usu ejus hactenus diximus, multo clariora evadent ac evidentius patebunt; sed & plura hisce animadvertet, qui ad ejus usum animum attendere voluerit. Absit autem, ut quis sibi persuadeat, nos Juri civili derogare velle, aut prorsus contendere, quod istud ex Dicasteriis sit proscribendum, & in ejus locum Jus naturæ surrogandum, qui & Juris civilis a naturali differentiam forsan melius inspicimus aliis, ejusque necessitatem vi ipsorum principiorum Juris naturæ aliquando adstruemus, nihilque contemnentes singula suo pretio æstimare solemus. A puerili illo fastu & semper fuimus, & semper erimus alieni, qui, ut præstare aliis videantur, aliena omnia con-

tem-

temnunt ſuam unice immodicis laudibus extollentes Minervam: veritatem, quam cognoſcimus, in utilitatem generis humani libere profitemur. Quoniam itaque Rex ac Dominus Noſter clementiſſimus, cui utilitas Juris Naturæ ac Gentium abunde perſpecta, munus hoc Jus docendi in hac Vniverſitate nobis demandavit, operam quoque dabimus, ut eodem pro virili fungamur. Jus itaque iſtud in poſterum ita enucleabimus, ut nihil in eo relinquatur obſcuri ac incerti, adeoque Auditores noſtri omnem conſequantur utilitatem, quam inde ſperandam promiſimus. Genuinos hujus Juris fontes recludemus & ex iis ſcientifica methodo totum derivabimus. Ita enim demum ſcientiæ præſtantiſſimæ ſuum conſtabit decus & ejus pomœria indies proferentur, ut nulla ſit juris poſitivi quæſtio, quæ non intra ea coerceatur, jusque naturale omni jure poſitivo latius patere intelligatur. Erit etiam uſus Juris naturæ in Dicaſteriis, quoties in gratiam finis civitatis obtinendi nihil in eo immutandum: quod quando obtineat, ex Theoria noſtra naturali Juris civilis palam erit. Neque poſthac in contemtum Juris Canonici pro arbitrio unusquisque ſibi effinget Jus eccleſiaſticum, ſed principiis religionis, quam gens unaquæque profitetur, convenienter eodem modo ex Jure naturali efficietur Jus eccleſiaſticum, quo efficitur civile. Quæ enim de civili monuit *Vlpianus*, ea recte intelliguntur de omni Jure poſitivo, quocunque tandem nomine veniat, prouti ſuo loco ac tempore demonſtraturi ſumus. Quoniam Inſtitutiones Juris Naturæ ac Gentium, quæ ſerviant Prælectionibus noſtris academicis, non ante conſcribere conſultum ducimus, quam opus Juris Naturæ ac Gentium ad umbilicum fuerit perductum; interea opus præclarum *Grotii* de Jure Belli & Pacis interpretaturi ſumus. Idem fecimus in Academia Marburgenſi & rationes, quæ nobis hoc perſuaſerunt, expoſuimus in præfatione ad editionem hujus operis *Grotiani* Marburgenſem, quam in uſum Auditorii noſtri curavimus. Ibidem etiam & in capite ultimo Rationis Prælectionum novæ editionis docuimus, quomodo in eodem explicando verſemur. Itaque non opus eſt, ut hic repetamus, quæ ibidem legi poſſunt: neque enim lubet cramben bis coctam apponere. Atque hæc dicta ſunto de prælectionibus privatis, quibus

in posterum tempus impendemus in hac Academia. Restat ut etiam nonnulla dicamus de Lectionibus publicis. Dicam vero breviter. Publice docebo, quæ ad uberiorem Juris Naturæ ac Gentium enucleationem & ejus usum amplificandum faciunt. Puto itaque me muneris mihi demandati partes adimpleturum & privilegio docendi, quicquid e re studiosæ juventutis commodum mihi visum fuerit, recte usurum, si in iis, quæ promisi, docendis me assiduum ac indefessum præbuero, Deo vires corporis ac animi benigne conservante. Puto non minus, me hoc pacto singulis, qui doctrina solida animum imbuendi gratia in Academiam hanc advenient, abunde satisfacturum, ut ipsos huc venisse nunquam pœniteat. Hæc in genere dicta sunt de Lectionibus nostris academicis tam diu continuandis, quamdiu Deo visum fuerit. Enimvero expectabit dubio procul etiam, qui hoc Programma legit, ut indicem, a quibusnam Lectionibus munus docendi sim exorsurus, & quasnam futura æstate sibi promittere debeat, ut de studiorum suorum ratione statuere possit. Necesse itaque est, ut de his speciatim adhuc dicam. Cum, ut huc venirem, non a mea pependerit voluntate, sed a nutu unico Potentissimi Suecorum Regis, Domini tunc mei clementissimi, sine cujus venia & approbatione conditiones splendidissimas & lautissimas acceptare nec poteram, nec volebam, regia autem voluntas circa finem demum mensis Octobris mihi innotescceret; in potestate mea positum non erat adesse eo tempore, quo collegia aperiri solent. Etsi adeo abitum maturarem, quantum dabatur; haud quaquam tamen fieri poterat, ut ante sextum Decembris, quo hanc urbem ingressus sum, adessem. Antequam igitur res meas domesticas & familiares utcunque ordinare licuit, maxima pars illius temporis præterlapsa, quod lectionibus hibernis destinatur. Accedit, quod plurimi, qui lectionibus nostris interesse vellent, nomen suum dederint aliis collegiis, quæ per illam temporis partem frequentarunt. His ergo rationibus adductus præter Lectiones privatissimas, quibus nonnullorum ad sublimiora in Matheſi adspirantium desiderio satisfaciendum erat, collegium tantummodo Logicum aperire constitui, hora nona antemeridiana, in quo rectum facultatum animæ usum in omni cognitione humana

per-

perſpicue ac ſolide explicaturus ſum, ut methodi ſcientificæ ad doctrinam ſolidam conſequendam & in omni vita ad exacta judicia ferendum actionesque rite determinandas ſcitu adeo neceſſariæ, prouti in ſuperioribus abunde oſtendimus, intimiore cognitione imbuantur animi Auditorum. Futura autem æſtate in Lectionibus publicis demonſtrare decrevi, quænam in Inſtitutionibus ſint Juris naturalis, quænam vero pure civilis, & quantum hæc ab illo diſcedant, ut intelligatur illud *Vlpiani* o), Jus civile neque in totum a naturali, vel gentium recedere, nec per omnia ei ſervire, ſimulque appareat, quomodo eodem Doctore efficiatur Jus proprium, id eſt, civile, cum aliquid addimus, vel detrahimus Juri communi, id eſt, naturali. Quid ab hiſce Lectionibus ſibi promittere debeant, qui iis intereſſe voluerint, non eſt, quod pluribus dicam. Malumus Auditores noſtros percipere fructum inexpectatum, etſi ſuo tempore ſuoque loco monendi ut ad eum attentionem ſuam convertant, quam ut magnificis promiſſis ad eas invitentur. Hoc unicum ſilentio præterire nefas exiſtimamus, quod eundem morem, quem in ceteris Lectionibus noſtris ſequimur, tenaciter quoque ſimus obſervaturi, ſcilicet ut nihil dicamus, quod non perſpicue explicetur, nec quicquam affirmemus, niſi quod ratione intrinſeca firmetur. Privatim vero explicabimus Metaphyſicam, quæ omnis cognitionis humanæ fundamentum continet, & ſine qua in nullo ſcientiarum genere ad certam cognitionem pervenire licet. Aperiemus quoque collegium mathematicum, in quo omnes ingenii nervos in id potiſſimum intendemus, ut veræ, hoc eſt, ſcientificæ methodi uſum in poteſtatem auditorum noſtrorum redigamus, modo & ipſi agant, quod ſuum eſt, ſcilicet ut adſint frequentes & attenti, in repetitione autem aſſidui. Præterea Jus Naturæ ac Gentium docebimus, duce *Grotio* in eximio opere de Jure belli & pacis; in quo enucleando ita verſabimur, quemadmodum in Ratione Prælectionum expoſuimus. Lectiones inſuper privatiſſimas, quas me cœpiſſe ante dixi, continuaturus ſum, ut adeo collegiis pluribus aperiendis, niſi forſan phyſico, per hanc æſtatem otium non ſupereſſe videatur. Reliquum enim temporis impendemus conti-

o) L. 6. ff. de J. & J.

nuando operi noſtro de Jure naturæ, cujus Tomus primus anno ſuperiori lucem conſpexit, & cui continuando moleſta non minus, quam ſumtuoſa mutatio domicilii morem hactenus injecit. Non minus habenda eſt ratio illorum, qui ex ſcriptis a me libris & adhuc ſcribendis proficere cupiunt, quam qui viva voce inſtitui deſiderant, præſertim cum & hi doctrinam, quam ex ore noſtro hauſerunt, ex illis & perficere & augere debeant. Immo non deſunt complures tum in Germania, tum in terris exteris, qui in ſuis ad me literis contendunt, me plus temporis in Philoſophia reformanda, quam in Juventute academica informanda, collocare debere; nec deſunt, qui poſthabitis Lectionibus omnibus academicis me continuandis operibus philoſophicis unice vacare debere arbitrantur, quod Profeſſorem Academiæ agere non conveniat, quem Profeſſorem generis humani conſtituerit providentia divina. Quamvis vero procul ab ea vanitate remotus ſim, ut titulo Profeſſoris generis humani condecorari velim; me tamen ipſo Naturæ jure obligatum eſſe abunde convictus ſum ad omnes ingenii nervos intendendos, ut in opere philoſophico, cujus maxima pars nondum perfecta, conſcribendo alacriter pergam: hac vero obligatione non tolli alteram erudiendæ Juventutis academicæ non minus evidenter agnoſco. Vtramque enim obligationem adeo arcto vinculo inter ſe connexam deprehendo, ut, ſi illi pro virili ſatisfacere velim, nec huic deeſſe debeam. Idem ſentit Rex Auguſtus, Dominus noſter, inprimis meus longe clementiſſimus. Neque enim alio fine me docendi muneri admovit, quam ut celeriore gradu in inſtauranda Philoſophia progrediar; minervai autem lautiſſimum præberi juſſit, ne informandæ Juventuti academicæ plus temporis impendere cogar, quam patitur tam vaſti operis continuatio. Equidem non dubito fore haud paucos, quibus paradoxum hoc videtur: ſed hi erunt, qui vel methodi ſcientificæ leges prorſus ignorant, vel ad legendos libros eadem conſcriptos non omnem attulerunt attentionem, quam afferre debebant, ut veritatum a principiis remotis dependentiam obſervarent. Nimirum docendo conſervantur notiones fundamentales, ut maneant familiares, & evolvuntur, ut luce ſua ſtatim perſtringant mentis aciem, quam-

quamprimum eandem ſubeunt: quod quantum juvet eum, qui veritates omnes, quæ cognoſcere datur, inter ſe & remotiſſimas cum primis connectere debet, non minus ratio, quam experientia loquitur. Accedit, quod, ubi quis methodo nobis familiari docet, ut non verba fundat memoriæ infixa, quam contra labilitatem MSC. haud raro tueri opus habet, prælectorem magis, quam Doctorem agens, ſed notiones quaſi tum primum naſcentes continuo evolvit, donec luce ſua non minus in animo docentis, quam audientium radient, animus mirifice recreetur & ſanguinis circulus quamvis perturbatus æquabilitati ſuæ reſtituatur non ſine certo ſanitatis conſervandæ commodo. Paucis multa dico, ſed quæ pro dignitate hoc loco explicari minime poſſunt: ſufficit me non loqui niſi experta, ex principiis Philoſophiæ noſtræ facile demonſtranda, ſi quædam neceſſitas demonſtrationem exigeret, ut cum ſyſtemate, quod molimur, cohæreant. Halæ Magdeburgicæ d. XIV. Jan. clɔ Iɔ CC XXXXI.

Num. XV.

Præfatio Catalogi librorum J. P. de Ludevvig 1745.

Merita Ludevvigii in rem literariam &c. recenſentur.

Leibnitii & Joh. Bernoullii ſtudia in vario genere ſcientiarum.

Ludvvigius non niſi abuſum matheſeos taxavit.

Ratio & uſus Bibliothecæ quam comparavit.

Vita Ludevvigii.

Non dubito fore haud paucos, qui cum viderint tantum librorum apparatum, quo bibliotheca Ludewigiana ſuperbit, admirabuntur, cur Illuſtris Poſſeſſor tot ſumtus tantam induſtriam impenderit, tot & tam varii argumenti libris comparandis. Enimvero hi erunt, quibus vaſta viri ſummi eruditio minime innotuit & quam ICti, veri juſtitiæ ſacerdotis, ideam is animo comprehenderit. Neque enim exiſtimandum eſt, poſſeſſorem tanti

theſauri literarii ICtum fuiſſe vulgarem, ſed excellentem ac prorſus ſingularem, qui omnem movit lapidem, vt inter ICtos primi ordinis emineret, ac ceteris palmam dubiam redderet, immo eriperet. Conjunxit autem jurisprudentiam publicam cum privata, & ne quicquam ipſi deeſſet, quod præſidio eſſe poterat in utraque excolenda, emendanda, illuſtranda, amplificanda & ornanda, nihil eorum prætermiſit, quod facem præferre poterat ad tam præclara, tamque ardua auſa. Nunquam animum ad ſcribendum appulit, niſi eo animo, ut lumina accenderet in tenebris aut obſcuro adhuc cœptæ lucis cæſpitantibus. Decere quoque ICtum eruditum exiſtimavit, ut literis elegantioribus ſe inſtructum & in omni eruditionis genere verſatum probaret. Inprimis autem notandum eſt, non ſuffeciſſe Noſtro, ut academiæ, in qua publici doctoris munere fungebatur, ac orbi erudito utilis eſſet, ſed hoc etiam ipſi maxime cordi fuit, ut Regis jura defenderet ac ex obſcuro in apricum produceret, & commoda regiæ domus omni fide, diligentia atque ardore animi promoveret. Fidem dictis faciunt tot præclara, quæ publice proſtant, monumenta, &, ſi alia non proſtarent, abunde ſufficerent ad fidem dictis faciendam ea, quæ vir ſingularis eruditionis in ſchedis hebdomadalibus Halenſibus dedit, tanto applauſu ubivis locorum exceptis, quod ea in iisdem legerentur. Quamobrem cum enitendum eſſet, ne qua earum deperderetur; in tria volumina collectæ publici juris ad perpetuam utilitatem factæ ſunt. Non probavit vir acutus illorum morem, qui nudos repetitores agunt, & centies immo millies dicta recoquendo integros tractatus, immo volumina, in publicum protrudunt, ne nomen ipſorum in orbe erudito maneat ignotum. Noluit eſſe in numero illorum Profeſſorum juris, qui novo quodam compendio juris vel commentario quodam in Inſtitutiones, aut Pandectas ad nominis ſui gloriam contendunt, in quo tamen nihil novi deprehendes, niſi novi in rep. literaria hominis nomen titulo libri adſcriptum. Publice de hoc ſcribendi pruritu, lue erudita, conqueſtus eſt in præfatione ad volumen primum ſchedarum hebdomodalium Halenſium, de quibus ante diximus, & valde probavit morem illum, qui in ſocietatibus ſcientiarum regiis receptus eſt, & quem viri magni in

orbe

orbe literario adamarunt, ut quæ vel noviter detecta ſunt, vel accuratius expenſa, ſchedis committantur, & in diariis eruditorum, vel ſocietatum eruditarum in publicum emittantur. Quantum inde ſcientiæ ac omnis generis eruditio capere poſſint incrementa, vel ſola matheſis ſublimior abunde confirmat.

Quantum hanc promoverint *Leibnitius*, atque *Joannes* inprimis *Bernoulli*, nemo non confitetur, qui in matheſi ſublimiori aliquos ſaltem fecit progreſſus. Vterque tamen nullum de ea conſcripſit librum; ſed noviter inventa, diariis ſaltem eruditorum, actis inprimis Lipſienſibus, inſeri curavit. Quodſi tamen ſchedas, ſucceſſive editas, colligere volueris, non unum prodibit volumen inventis novis, quibus ſcientia augetur & via ad ulteriora ſternitur, totum refertum. Exemplo eſſe poſſunt ſchedæ ſingulares *Joannis Bernoulli*, mathematici eminentis, cuius perſpicillis utuntur, qui longius ſibi proſpicere videntur: quæ cum nuper colligerentur, in quatuor volumina diſtribuendæ fuerunt, verus theſaurus, quo vir immortalis memoriæ orbem eruditum ditavit. Non deerunt forſitan, qui mihi objicient, quod ipſe ab hoc more diſceſſerim, & integra volumina conſcribere, quam ſchedas ſingulares ſocietatibus regiis, quarum ſum membrum, exhibere maluerim. Etenim hi erunt, qui non perpendunt, inſtitutum meum mihi impoſuiſſe hanc legem, quam ſecutus ſum & adhuc ſequor. Cum enim veritates mathematicæ ſolæ hactenus inter ſe connecterentur, ac propterea continuo ad ulteriora pateat aditus, quæ quantocunque intervallo ab elementis *Euclidis* remota ſunt, cum his tamen cohærent, nec ſine iis detegi potuiſſent; neceſſarium eſſe duco, ut etiam veritates ceteræ eodem modo inter ſe connectantur, ſicque intimius perſpiciantur & remotiorum, quæ quæruntur, aditum patefaciant. Ecquis ergo non videt, hoc inſtitutum per ſchedas diariis eruditorum inſerendas me exequi minime potuiſſe? Veritates inter ſe connecti minime poſſunt, niſi eadem utaris methodo, qua cum *Euclide* uſi ſunt geometræ veteres, & quam ſive mathematicam dixeris, quia mathematici eadem utuntur, ſive demonſtrativam, quia propoſitiones ſingulæ demonſtrantur, ſive ſcientificam, quia ad ſcientiam perfectam acquirendam neceſſaria, ſive denique logicam,

cam, quia in accurata logicæ applicatione tota consistit, perinde est. Quamobrem mihi quoque hac methodo erat utendum, si quidem metam, ad quam contendebam, contingere vellem. Equidem Noster de methodo mathematica parum honorifice sensit *); sed hoc condonandum est viro, qui cum omnem ambitum eruditionis emensus esset, quemadmodum ipse ingenue confessus est, solam matheſin intactam reliquit, non tam culpa sua, quam quod communi fato, cum studiis operam daret, commoda matheſin addiscendi occasione destitueretur. Et si benigna interpretatione judicium viri acumine pollentis ad vivum reseces, a vero minime aberrasse videtur, quia interiora methodi mathematicæ non perspexit, sed ad exteriora saltem animum advertit. Commendat enim ICto logicam mirifice, ipsius quoque methodi causa. Ecquis vero est, qui, ubi ad interiora methodi mathematicæ penetravit, nesciat, eam iis absolvi, quæ *Aristoteles* de tribus mentis operationibus recte docuit. Methodum adeo mathematicam etiam ICto necessariam judicat, dum eam quasi ludicram ad pueros relegandam esse statuit: affectatam titulorum definitionis, axiomatis, postulati, propositionis, corollarii ac scholii adscriptionem indigitans, qua utique viri non indigent, nec nos opus esse putavimus, ut veritas intime perspiciatur & solida rerum cognitione imbuatur animus. Quod *Plato* matheſin pueris, logicam viris tractandam esse dixerit, non alia nititur ratione, quam quod logica non satis possit intelligi, multo minus dextre ac feliciter applicari, nisi ante animus cognitione elementorum matheseos fuerit imbutus, quemadmodum alias me ostendisse memini. Noster adeo non usum sed abusum methodi mathematicæ, quæ vulgo nomine nimis angusto dicitur, extra matheſin reprehendisse dicendus est, cum & ipse commendet ea, quæ ad legitimum ejus usum pertinent. Ceterum Viro beatæ memoriæ non sufficiebat, ut quæ ad omne eruditionis genus faciunt, indefessa industria addisceret; verum etiam quæ didicerat alios docendo confirmavit & auxit. Atque hoc pacto vastam sibi acquisivit eruditionem, cui tam amplus librorum apparatus respondebat. Quamvis enim non satis tutum sit librorum, quos

*) Vid. Gelehrte Anzeigen part. 2. p. 751. & sq.

quos quis poſſidet multitudine doctrinam ac eruditionem, qua pollet metiri; id tamen ſingulare eſt in Noſtro, quod ejus doctrina & eruditio ex librorum multitudine, quibus Bibliothecam ſuam inſtruxit, menſuram accipiat. Facile autem judicatu eſt, tantum virum, tantis ac tam egregiis animi dotibus inſtructum, ac in hiſtoria, ut reliqua omni, ita etiam in literaria verſatiſſimum, præſtantiſſimos in ſuo genere ſibi comparaſſe libros præſertim cum nullis ſumtibus, nulli labori parceret, ut rariorum compos fieret. Aſt non opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. Qui librorum notitia inſtructi, prolixum hunc catalogum bibliothecæ Ludwigianæ perluſtraverit, quid de illis ſtatuendum ſit abunde perſpiciet. Quamvis vero in eodem multa etiam occurrant ſcripta eriſtica quod ſingularem eorum uſum facere noverat beatus poſſeſſor; ipſe tamen ab iſtiusmodi ſcribendi genere animum habuit maxime alienum. Ac ideo inſultus hominum invidorum generoſo contemtu vindicare malebat, quam altercando tempus conſumere, quod longe utilius collocare poterat. Magnos omnino ſumtus in tot libros cœmendos fecit; non tamen imprudenter, quemadmodum facere ſolent, qui libros cœmendo plane fortunis omnibus ſuos evertunt. Quemadmodum enim ſingularia fuerunt viri magni merita; ita etiam ſingulari quadam providentia contigit, ut non modo, quamdiu vixit, dignitates augerentur, ſed fortunæ quoque indies amplificarentur, ut inter literatos feliciſſimos eminentem obtineat locum, iis adhuc annumerandus, etiamſi bibliotheca tanti pretii in bonis ejus non fuiſſet. Voluit autem illuſtris ejus Poſſeſſor, ut poſt mortem ſuam publica auctionis lege diſtraheretur, quo theſaurus hic literarius, qui ſibi vivo adeo utilis fuerat poſt obitum ſuum multis utilis evaderet. Commoda enim jam offertur occaſio ſibi comparandi libros in quovis genere eruditionis præſtantiſſimos, & inter hos haud paucos, adeo raros ut alias facile haberi minime poſſint. Nec a vero aberravero affirmans ſingulis omnino libris adhærere pretium quoddam affectionis, quatenus jucundum eſt poſſidere librum, quo antea uſus eſt vir quidam magni nominis. Halam venit vir etiam poſt fata magnus Witteberga felici ſidere

cum ICto conſummatiſſimo *Stryckio* A. MDCXCII. continuaturus in academia tum naſcente prælectiones philoſophicas, quas philoſophiæ ac artium liberalium magiſter magno applauſu in academia Wittebergenſi inſtituerat, & commendatione inprimis Theologi ſummi *Bajeri* A. MDCXCV. ad profeſſionem philoſophiæ theoreticæ promotus. Suaſu tamen *Stryckii*, quo conſtanter patrono uſus fuerat, miſſis collegiis philoſophicis ad eloquentiam & hiſtoriam inprimis imperii Romano-Germanici aliorumque ſtatuum Europæ docendam animum appulit, in quo ſtudiorum genere egregios progreſſus fecerat ſub *Schurzfleiſchio* cui à latere hæſerat, quamdiu Wittebergæ eſſet. Atque ſic tandem effectum eſt, ut profeſſionem hiſtoriarum ipſi cederet *Cellarius*, cui ea cum profeſſione eloquentiæ demandata fuerat, antequam Noſter in illo ſtudiorum genere apud nos inclaruiſſet. Et quoniam conſilio itidem *Stryckii* jurisprudentiæ, miſſa theologia, cui antea ſeſe conſecraverat, cum Wittebergæ eſſet, ſeſe totum dabat; mox occaſionem nactus præclaras ingenii dotes explicandi, ut attentionem aulæ in ſe provocaret atque egregia ejus merita indies magis magisque eniteſcerent, & quemadmodum ipſe de augenda fama academiæ, ita ſummi rerum in aula adminiſtri de ipſo ornando cogitarent, ut quemadmodum meritis, ita etiam dignitate ab aliis doctoribus publicis diſtingueretur. Academiam igitur noſtram per plurima luſtra ornavit, decus inſigne totius orbis literarii, cujus memoriam nulla ætas delebit. Hæc quidem præfari debui, ut dignam tanti viri memoriam etiam conſervet catalogus bibliothecæ ipſius, aliorum bibliothecis tam publicis, quam privatis inſerendus, quam nunquam intermori permittent tot præclara, quæ prodidit vita omni in laboribus glorioſis conſumta, monumenta literaria. Halæ d. 12. Auguſti, Ao. MDCCLXV.

Num.

Num. XVI.

Præfatio ad Leibnitii Methodum discendi Jurisprudentiam 1748.

Compendium vitæ Leibnitii.
Sententiam de vacuo mutavit mòrades demonstrans.
Plura in quibus a pristina opinione discessit.
Alia quæ saltem promisit.
Libellum hunc a Leibnitio juvene conscriptum ad perficiendam Jurisprudentiam juvare.

Tanta sunt Leibnitii in rem litterariam universam merita, ut non modò totius Germaniæ, verum etiam orbis eruditi universi lumen, & ornamentum magno suo merito celebretur. Vastam eruditionem & scientiam cum virtute, sine qua gloria vera, gravi & solida nemo excellere potest, arctissimo vinculo copulans æternam gloriam consecutus, ut qui nefando ausu eam imminuendo ventosam gloriam quærit nullam nanciscatur. Adolescens studio Juris potissimum se consecraverat, sed more minime vulgari se eidem dedit, eum non modo scripta Clarissimorum JCtorum, verum etiam Autorum quorumcunque Græcorum & Romanorum, Philosophorum, & Mathematicorum tam veterum quam recentiorum, ipsorum etiam Theologorum, omni assiduitate & diligentia perlegeret atque omnia perscrutaretur, ita ut vix juvenis factus eruditione altissima, & scientia inter viros doctissimos emineret. Non opus est verbis, vbi rerum testimonia adsunt. Etenim vix annum ætatis vigesimum primum compleverat, cum in lucem publicam proferret libellum mole exiguum, sed doctrina subtiliore, ac uberrima gravem, de nova methodo discendæ docendæque Jurisprudentiæ, quam in itinere omni librorum apparatu destitutus ita conscripserat, ut in bibliotheca instructissima confectus videatur, & acre ac subtile autoris acumen spiret. Diu libellus hic desideratus & a multis frustra quæsitus fuit.

Merebatur itaque, ut denuo recuderetur. Sunt tamen nonnulla, quæ moneri conſultum duco. Scripſit, quemadmodum dixi, hoc opuſculum Leibnitius, vix Juvenis factus.

Quoniam vero per omnem ætatem, quam diu vixit, in omni ſtudiorum genere indefeſſus hæſit, & veritatis amore nihil unquam antiquius habuit atque carius; mirum ſane videri minime debet, quod in nonnullis, quæ Juvenis olim ſtatuerat, poſtquam ea ſeveriori examini ſubjecerat, ſententiam ſuam mutaverit. Ita e. g. in Theoria motus concreti, quam ſibi juveni excidiſſe ipſe confeſſus eſt in Actis Eruditorum, quæ Lipſiæ eduntur, admittit *vacuum* & materiæ non tribuit niſi ſimplicem extenſionem ad motum atque quietem prorſus indifferentem, nec alia agnoſcit corporum elementa, quam particulas mole ac figura differentes: quæ tunc temporis communis erat Philoſophorum ſententia, anteſignanis eorum Carteſio atque Gaſſendo approbata. Enimvero ubi judicio magis limato & polito perpenderat inextricabiles difficultates, quæ hypotheſis iſta affert, & quam ea abhorreat ab omni ratione evidenter perſpexerat, miſſam eandem fecit; cumque omni animi contentione in naturam corporum inquireret, ea ſine vi activa concipi non poſſe, nec ſine vi, qua omni mutationi reſiſtunt, quæ aliunde venit, didicit, tamque agnovit, phænomena iſta intelligibili modo explicari minime poſſe, niſi admittantur ſubſtantiæ ſimplices, quas *monades* appellavit. In eo autem ſibi adeo ſatisfecit, ut mihi dixerit, ſe ſuum de monadibus ſyſtema eodem rigore demonſtraturum, quo Euclides ac veteres Geometræ theoremata ſua demonſtrarunt, ſi animum huc appellere per alia vacaret, nec ſe propterea a multis jam annis amplius legere quicquam, quod de principiis rerum materialium in lucem ab aliis edatur. Videant ergo, quo jure Leibnitium præcipitantiæ cujusdam in judicando, & neſcio cujus defectus acuminis accuſent, qui in iis, quæ nondum ſatis explorata olim juveni placuerant, ſibi reperiſſe videntur non quod pueri in faba, & iis audacter tamquam ipſi ignorata objiciunt, quæ ſolidiore diſcuſſione facta animum ſciendi cupidum exſatiaverunt.

verunt. Quodſi cui glorioſum videatur perſpicacia æquiparari Leibnitio juveni, annon is famæ ſuæ melius conſuleret, ſi acumini ſuo diffidens hebetudinem ingenii ſui agnoſcere mallet, quod ea perſpicere nondum poſſet, quæ Leibnitio viro innotuerunt, poſtquam omnes ingenii ſui nervos in ea exploranda intenderat, publice tamen magis indicavit, quam ſufficienter explicavit, ut quemadmodum dicere ſolebat, fungeretur vice cotis? Sane ſi Leibnitio juveni hæc excidiſſent, dum nimia ac multivaria lectione obrutus omnia concoquere non poterat; excuſatior erat factus, quo quis eodem acutior videri affectat.

Verum enim vero, non opus eſt, ut exempla e longinquo petamus, quibus probetur Leibnitium maturiori ætate in nonnullis mutaſſe ſententiam ſuam, & a vulgaribus opinionibus, quas juvenis amplexus fuerat diſceſſiſſe. Occurrunt talia quoque in præſenti libello. Certe quæ de *infuſione diabolica* part. I. §. 9. tradit, ea cum ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ, quod poſtea demum invenit, minime conſentiunt, conſequenter dubitandum non eſt, eum in ætate provecta infuſionem diabolicam in mancipia ſua tamquam opinionem nullo fundamento nixam rejeciſſe. Huc etiam pertinet, quod §. 35. animum noſtrum *cauſam motus* corporis pronunciet, ut ideo juvenis falſo ſibi perſuaſerit, ſe in Pneumatica & Philoſophia practica propriis meditationibus ad certitudinem mathematicam perveniſſe: neque enim illo tempore eos adhuc fecerat in Matheſi progreſſus, quos poſtea demum fecit, ubi Pariſiis degebat & conſilio Hugenii, Mathematici conſummatiſſimi, uſus in ima adyta ſcientiæ penetrabat. Quamobrem quoque nullus dubito, Leibnitium ætate maturiori minime probaſſe rationem, quam reddit pars 2. §. 19. cur & quatenus *teſtamenta* ſint juris naturalis, quippe quæ magis ingenioſa, quam ſolida eſt. Hæc ideo moneri non abs re eſſe duxi, ne quis Leibnitium ſibi adverſarium conſtituat in iis quæ ipſe tamquam a veritate aliena, mutata ſententia rejecit, & ne quis contradictiones fingat, aut inſcitiam ac-

cuſet in illis, quæ accuratiori examine facto ad errores vulgares retulit.

Alterum, quod bene notandum, hoc eſt. In præſenti opuſculo Leibnitius multa promittit ab aliis neglecta, quæ dare voluit. Exempli loco eſto *Theatrum legale*, & *Hiſtoria Juris Romani* de quibus vide §. 28. part. 2. Inprimis huc facit Catalogus *deſideratorum in Jure* libello huic in fine adjectus, & ex eodem excerptus, quem proxime minuere pollicitabatur. In nullo tamen ſtetit promiſſis, etſi vitam ſatis longam in ſolo otio literario confeciſſe videatur. Cum enim hæc ſcriberet, ad Profeſſionem quandam Juris in aliqua Academia adſpirabat. Quodſi votis, quæ tunc ipſius erant, reſpondiſſet eventus, nullus amplius foret Catalogus deſideratorum, & alia opera egregia proſtarent, quibus Jurisprudentia fuiſſet ad id perfectionis faſtigium evecta, a quo adhuc tam procul abeſt, quam illo tempore, quo Catalogus deſideratorum condebatur. Quoniam vero longe alia fuerunt, Leibnitii fata, quam prævidere potuerat; cum unus homo omnibus non ſufficiat, deficiente tempore, ſi vel maxime non deficiant vires, a Jurisprudentia ad alia prorſus ſtudia avocatus, de iis, quæ ad Jurisprudentiam perficiendam tendunt, cogitare haud quaquam potuit. Non eſt quod objicias, Leibnitium quoque maturiori ætate multa promiſſiſſe, quorum nihil perfecit, veluti *ſcientiam dynaſticam*, ſcientiam *infiniti*, Geometriam *ſitus*, commercium *epiſtolicum*, commercio epiſtolico Anglorum opponendum, aliaque non minoris ponderis ac utilitatis. Cum enim nihil magis curæ haberet quam ſcientiarum incrementa, & ea promovendi cupidine inexſatiabili flagaret; ſi qua occaſione ferente ipſi incidebat cogitatio de iis, quibus perficiendis vires ſuas pares noverat, ea quoque perficere ſibi propoſuit. Aſt quoniam tempus non eſt res venalis, quod volunt vota, tollunt fata, nec homo ſeſe obligare poteſt ad id, quod hæc reddunt impoſſibile. Ceterum etſi præſens libellus a Leibnitio juvene fuerit conſcriptus, & quamvis ipſe in nonnullis, quæ rem ipſam non contingunt, mutaverit poſtea ſententiam ſuam; hoc tamen non

non obſtante in illo reperient etiam ſeniores Jcti, quibus eorum conatus in perficienda Jurisprudentia juvari poterunt, & ipſum hoc opuſculum monumentum excelſi ingenii eſt, quo inter primi ordinis eruditos eminet Leibnitius. Faxit Deus, ut publica utilitas, quam ſe quæſiviſſe in fine profitetur Autor, promoveatur! Halæ d. 24. Aprilis, Ao. 1748.

No. XVII.

Præfatio ad D. Bertlingii Elementa Theol. moralis 1753.

Differentia philoſophiæ moralis & Theologiæ moralis.
Ordo easdem addiſcendi.
Præſtantia Theologiæ revelatæ.
Differentias naturæ a revelatione Autor hujus libelli exponit.

Noſtro inprimis ſeculo plurimum intereſt, in quonam conveniant, in quonam differant Philoſophia & Theologia moralis, intimius perſpici. Agit utraque de actionum humanarum directione voluntati divinæ conveniente; ſed quænam ſit Dei de eadem voluntas aliunde oſtendit Philoſophus, aliunde Theologus. Philoſopus nimirum ex principiis rationis, in ſubſidium ſubinde vocata experientia, quæ defectum illorum ſupplet, quid velit Deus, ut agamus, vel non agamus demonſtrat; Theologus autem idem ex Scriptura ſacra, in qua Deus hominibus voluntatem ſuam revelavit, docet. Voluntas Dei cum eadem maneat, quocunque modo cognoſcatur, modo recte cognoſcatur; quæ Philoſophus de actionum humanarum moralitate demonſtrat, eadem ſunt cum iis, quæ Scriptura ſacra de iisdem docet. Quodſi ergo quæſiveris, quænam actiones bonæ ſint, ideoque committendæ, quænam malæ, ideoque omittendæ, quænam licitæ, ut jure nobis competente uſi eas committamus; non aliud reſpondet Theo-

Theologus, quam Philoſophus. Ac ideo hac in parte Philoſophiæ & Theologiæ moralis una eſt concordia, concentus unus, qualis conſpicitur inter ea, quæ Philoſophus de Deo in Theologia naturali demonſtrat, & quæ Theologus de eodem in Theologia revelata ex Scriptura Sacra docet, quoad articulos fidei, qui mixti dicuntur, & quorum veritas non minus lumine rationis, quam revelationis cernitur. Conſenſum horum, quæ ex principiis rationis de Deo demonſtratur, cum Scriptura ſacra evicimus in ſyſtemate Theologiæ naturalis, nec abſimili modo conſenſus quoque illorum, quæ de actionum moralitate in juris naturæ ſyſtemate demonſtravimus, cum Scriptura ſacra evinci poterat, neque defuerunt Theologi, quamvis alienis ſacris addicti, qui ut id facerem me hortati ſunt, ſed ut rationes alias jam taceam, molem operis per ſe ſatis vaſti adaugeri non conſultum duxi. Enimvero quamvis de actionum humanarum moralitate idem eſt judicium Philoſophi atque Theologi, modo is in demonſtrando, hic in explicandis verbis Scripturæ minime peccet; ubi tamen porro quæſiveris, cur hæc actio ſit committenda, illa omittenda, aut cur hoc facere liceat, ſeu probationem moralitatis actionum requiſiveris, non amplius eadem eſt Philoſophi & Theologi reſponſio. Philoſophus enim moralitatem actionum humanarum deducit ex iis, quæ de eſſentia & natura hominis experientia nobis innoteſcunt, ut pateat convenientia & diſconvenientia earum cum natura humana, cujus autor cum ſit Deus, in voluntatem divinam illam reſolvit; Theologus vero ex Scriptura ſacra adducit verba, quibus Deus nobis declaravit, velle ſeſe ut hoc faciamus, illud non faciamus, ac permittere, ut hoc, vel iſtud facere poſſimus. Quamobrem ſi Philoſophus ex Scriptura ſacra aſſertum probat, partes Theologi in ſe ſuſcipit. Si vero Theologus idem ex principiis rationis adſtruit, partes ſuas deſerit & a Philoſopho mutuatur, quod ex Scriptura ſacra petendum erat, quæ de agendis & non agendis eum ſufficienter inſtruere poterat. Quamvis vero probationes philoſophicas & theologicas confundi nolimus in tradenda Philoſophia & Theologia morali, cum multipliciter interſit, ut, quæ rationis lumi-

lumine assecuti sumus, ea internoscantur ab his, quæ per oracula divina nobis innotuerunt; absit tamen ut existimes a nobis improbari, si verbi divini præcones verba ad populum facientes de agendis & non agendis a principiis rationis sese non abstineant, quorum potius esse non una de causa statuimus, ut principia rationis cum dictis Scripturæ conjungant, combinatis probationibus ex illis pariter atque his contextis.

Quæ etiam ratio est, ut Theologiæ studiosis suadeamus, ne ante ad Theologiam moralem tractandam accedant, quam ubi industriam suam in Philosophia morali exercuerunt. Ex diversitate autem hac probandi moralitatem actionum magna nascitur differentia inter Theologiam & Philosophiam moralem, quæ illi prærogativam insignem præ hac conciliat. Cum enim demonstrationes in Philosophia multa supponant, quorum certitudo successive agnita influit in assensum, ut veritatis convincamur; in Theologia veritas patet vel ex dicto Scripturæ allegato, vel uno aut altero ratiocinio ex eo deducitur, quod erat probandum. Illa igitur non satisfaciunt nisi iis, qui intellectum multo studio atque labore perfecerunt; probationes autem in Theologia morali sunt ad ipsum captum vulgi, præsertim si exemplo Christi ad sensum communem reducantur, ut notiones eorum, quæ a sensu remota sunt, per ideas rerum sensibilium in vulgus notarum animo ingenerentur, quemadmodum in Ethica me ostendisse memini. Cumque in Philosophia veritas, quantum ad plenariam convictionem sufficit, sine qua assensus immotus non concipitur, non agnoscatur, nisi quatenus in catena veritatum per modum partis cum ceteris cohærentis continetur; in Theologia morali singulorum veritas independenter ab aliis agnoscitur. In Theologia itaque morali, modo de divina Scripturæ sacræ autoritate fueris certus, quod in eadem supponitur, facile addiscuntur, quæ in Philosophia cognitu difficilia sunt. Docet præterea Theologia moralis, quomodo supernaturaliter convincamur veritatis: quæ convictio multo firmior est ea, quæ vi demon-

ſtrationum in Philoſophia obtinetur. Quodſi jam porro conſideremus, voluntatem determinari per motiva; in Philoſophia morali non alia locum habere conſtat, quam quæ deſumuntur ab honeſtate & turpitudine intrinſeca actionum, quæ tandem in felicitatem & infelicitatem vitæ præſentis reſolvuntur, cum appetitus naturaliter feratur in felicitatem, facultas autem averſandi ab infelicitate reclinata ſit: aſt in Theologia morali motiva quoque deſumuntur a felicitate & infelicitate futuri ſeculi, quod initium ducit a morte corporis & in æternum continuatur, Scriptura ſtatum poſt mortem revelante, quem ratio aſſequi nequit.

Et quamvis etiam in Philoſophia morali motiva fortiora efficiantur, ſi accedant quæ ab attributis divinis deſumuntur, officiis erga Deum in omnes actiones influentibus; multo tamen majorem adhuc efficaciam acquirunt, ſi addantur in Theologia morali motiva ab opere redemtionis & Chriſto redemtore petita, quo ipſo attributa quoque divina redduntur illuſtriora, ut ab iis deſumta motiva fortius commoveant voluntatem & noluntatem. In Philoſophia morali ſaltem docetur, quomodo naturali facultatum uſu voluntas & noluntas emendari debeat, quod adeo arduum ac difficile eſt, ut quantum in ea proficere detur definire non auſim; aſt in Theologia morali oſtenditur, quomodo auxiliis ſupernaturalibus vincantur difficultates, quas homo ſibi relictus inſuperabiles agnoſcit, gratia naturam perficiente, quæ uſum facultatum ad ſublimiorem gradum evehit. Quodſi hæc ſingula uberius explicanda forent, tantus aperiretur dicendorum campus, quæ integro volumini implendo ſufficerent. Aſt non opus eſt, ut in tantas ambages deſcendamus. Theoriam actionum humanarum ſatis amplam tradidimus in jure naturæ, quæ vero ad praxin ſpectant, in Ethica. Theologiæ moralis tam theoriam, quam praxin in hoc opere, ad quod præfationem dedimus, Theologus ſuo merito celeberrimus concinna methodo perſpicue expoſuit. Cum abunde conſtet, quod ſit Theologus, Philoſophus, Philologus, Hiſtoricus, idemque diſertus atque facundus; quo-

modo

modo telam pertexerit, vel conjectando assequi datur. Quodsi ergo ea, quæ de differentia Philosophiæ ac Theologiæ moralis breviter delineavimus, plenius cognoscere volueris; non alia re opus habes, quam quæ a nobis in Philosophia dicta sunt cum his conferas, quæ in opere theologico tradit Venerandus Autor, insigne hactenus ornamentum Academiæ Helmstadiensis, nunc vero Dantiscum eum voluit esse suum. Hæreo an potius amico, quem colo; an vero civitati, quam amo, gratulari debeam. Quod ille spem de se susceptam abunde sit impleturus, extra omnem dubitationis aleam positum est. Faxit Deus, ut idem diu fruatur bonis, quibus eum cumulatum iri certum est. Idem vero Numen optimum omnibus ejus moliminibus prosperos porro addat successus, detque, ut labor, quo in conscribenda Theologia morali perfunctus est, omnibus utilis sit, qui ad Theologiam addiscendam animum appellunt, quemadmodum esse potest, ne scilicet saltem discant, quænam sit vita christiana, verum etiam eandem vivant! Dabam Halæ die XXII. Augusti A. 1753.

Tab. I.

Fig. 1. pag. 8.



Fig. 2. C pag. 22.

Fig. 3. pag. 31.





Fig. 5. pag. 32.





Fig. 4. pag. 32.



Fig. 15. pag. 48.

Fig. 12. pag. 45. Tab. II.

Fig. 13. pag. 46.



Fig. 11. pag. 47.





Fig. 10. pag. 47. 48.

Fig. 7. pag. 35.

Fig. 16. pag. 71.





a Fig. 6. pag. 34.



Tab. III.

Fig. 8. pag. 45.

Fig. 9. pag. 45.

Fig. 17. pag. 74.



Fig. 20. pag. 74.



Fig. 14. pag. 46.





Fig. 18. pag. 74.

Fig. 19. pag. 76.



Fig. 21. pag. 66.



Fig. 22. pag. 78.



Tab. IV.

Fig. 24. pag. 110.



Fig. 23. pag. 109.



Fig. 25. pag. 110.



Fig. 26. pag. 111.

Fig. 28. pag. 112.





Fig. 29. pag. 113.



Fig. 27. pag. 111. 114.

Tab. V.

Fig. 32. pag. 166.



Fig. 30. pag. 115.



Fig. 31. pag. 115.



Fig. 37. pag. 310.



Fig. 34. pag. 269



Fig. 33. pag. 268.



Fig. 36. pag. 309.

Fig. 35. pag. 286.